

chi l'a pi 'd fil farà pi 'd teila

Ex libris

LUIGI FIRPO

5. 1. 15.

92

45

FIRPO

771

BIBLIOTECA NAZIONALE
TORINO

R. 52.

Geprüft
Datum 29. 12. 48.
[illegible]
(Unterschrift)

HISTORIÆ FLORENTINÆ
NICOLAI MACHIAVELLI, CIVIS ET SECRETARII FLORENTINI,
LIBRI OCTO,

IN QUIBUS MIGRATIONES POPULORUM SEPTENTRIONALIUM, POST devictos à C. Mario Cimbros: item RUINA IMPERII ROMANI, & incrementum Pontificum: inprimis

FLORENTINORUM ORIGO ET progreſſus; eorumque res geſtæ, ſimul & univerſæ Italiæ ſtatus, ad Caroli VIII. regis Galliæ trajectum in Italiam, accuratiſsime deſcribuntur.

NUNC PRIMUM OMNES LATINITATE donati, atq; ob varium amœnumq; tam rerum quàm doctrinarum Politicarum penum, in commodum utilitatemq; publicam typis vulgati.

ARGENTORATI,
Impenſis LAZARI ZETZNERI *Bibliop.*
ANNO MDC X.

NICOLAUS MACHIAVELLUS CIVIS ET SECRETARIUS FLORENTINUS.



SI cupis Imperii caſus, cauſasq; ruinæ
Noſcere, & in Latio prælia mota ſolo:
Hæc lege, Pontifi um vireſq; doloſq; videbis,
Omne per Imperium qui peperere malum.
Hinc Latii procerum res geſtas, ſtemmata, bella,
Multaq; cum fructu divite facta leges.
Autorē commendat opus: ſcripta erue Lector,
Plus quàm fortè putas, utilitatis habent.

BIBLIOTECA NAZIONALE

CANDIDO LECTORI.

EMISERAT IN LUCEM ante annos plus minus triginta Hieronymus Turlerus I. V. D. primum librũ, hoc eſt, initium & tanquam proœmium Hiſtoriæ Florentinæ, à Nicolao Machiavello olim conſcriptæ, reliqua hiſtoriæ parte neglecta ipſoq; titulo immutato. Mirari iſtud conſilium, at repræhendere non poſſum, imò, ut debeo, bene ſentio. Gratum ſiquidem eum laborem, quantumvis nec dimidiatũ, fuiſſe, teſtatus aliquoties repetita libelli impreſſio. Poſtquam vero univerſam eam hiſtoriam, quantum quidem ejus octo libris comprahenſæ in lucem prodiiſſe conſtat, (nam uberiorem aut ſcripſiſſe, aut ſcripturum fuiſſe; tam ex authoris præfatione, quam aliquot libri octavi locis apparet) non ſine aliquo labore, ſumptuque & videre & habere mihi licuit, nulla ex parte ſcriptore ſuo (qui acutus Hetruriæ doctor apud Juſtum Lipſium, hujus ſæculi literati ſolem, audire meruit) inferiorem: equidem non potui, tam pro meo in publicum ſtudio, quam quod id à multis maximopere deſiderari animadverterem; quin eam impenſis meis in Latinum ſermonem converſam, hiſtoriæ ſtudioſis communem fa-

cerem. Nolo vero hic uberioribus operas meas lectori commendare, poſtquam vinum vendibile hœdera ſuſpenſa nil egeat. Habent ſane Reges, Principes, Reſpub. Nobiles, Conſiliarii, duces, milites, publici, privati, hinc quod capiant, hinc quod caveant, habent & ſtudioſi quod cupiant. Utitor ergo, lector, hac mea opera ſtudio, atque ſumptu, tuo aliorumque commodo, utilitati, voluptati, meosque labores, quibus prodeſſe cupio, æqui bonique conſulito. Vale.

Lazarus Zeznerus
Bibliopola.

ILLU-

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. AUGUSTO, SACRI ROM. IMP. ELEctori ac Archimareſcalco, Duci Saxoniæ, Lantgravio Turingiæ, Marchioni Miſniæ, & Burggravio Magdeburgenſi, Domino ſuo clementiſſimo.

ILLUSTRISSIME ELECTOR, Domine clementiſſime, Omnium temporum hiſtoriæ teſtantur, Monarchias & imperia ſingulari Dei voluntate conſtitui ac gubernari. Ut autem nullum majus aut potentius fuit Romano illo, ita nullum habuit tam mirabiles mutationes ac μεταβολήματα*: Nam ſi quis ſingula ea conſideret, quæ in iis conſiderare jubent homines ſapientes & politici, originem, progreſſum, partes, formam, & declinationem ſeu interitum: intelliget utiq; cætera, Imperia & Monarchias Romanæ huic admodũ diſſimiles fuiſſe. Ut enim nihil dicam de incunabulis eiuſdem, quæ & initiũ aliud habuerunt, quàm priores illæ, omnesq; Rerumpub. formas ac partes propter Regiam, Conſularem ac Tribunitiam poteſtatem ferendarum legum: ubi tempus aderat, ut Deus filium ſuum mitteret in hunc mundum, qui, quemadmodum initiò nos creavit è nihilo, ita ad regenerationem vocaret, & ex filiis tenebrarum filios lucis faceret, regnumq; ſacerdotale conſtitueret: an non tunc accidit mira rerum omnium metamorphoſis, longè diſſimilis initiis aliarum monarchiarum? Cœptum præterea eſt non per unum aliquem conſuli orbi, neq; per optimates, neq; per omnes, ut antea conſueverat fieri: ſed per Pontifices ſimul ac Imperatores: quorũ alteri divinis, alteri humanis rebus præeſſent. Ac initio quidem magis emi-*

cuit Imperatoria, *quàm* Pontificalis *dignitas, in hac gubernatione orbis, cùm Roma ſub Imperatoribus vigeret civilis ſapientia, quæ tamen partim ſcribentium multitudine, partim hoſtilibus barbarorum incurſibus mirum in modum confundebatur. Poſtea Juſtiniano Principe Conſtantinopoli potiſſimùm imperante, æqualibus fermè auſpiciis regnarunt Pontifices & Imperatores, factumque per eundem Juſtinianum, ut poſt orbem arctius pacatum leges quoque haberemus ad certum modum ac legitimum ordinem revocatas. Poſtquam autem ſumma rerum ad Germanos noſtros venit, certa quædam ac propè divina ratio eligendi Imperatoris inventa eſt, obtinuitque, ut partim Pontificiis, partim Juſtinianeis legibus in hunc uſque diem viveremus.*

Sed ſi quis expendat tempora, quæ inciderunt inter tres iſtas mutationes gubernationis hujus Monarchiæ, intelliget, ni fallor, CCCCC. *fermè annis ſingulas accidiſſe. Sunt enim ab ætate Julii Cæſaris vel Auguſti, à quo omnes hiſtorici quartam hanc Monarchiam ordiuntur, anni circiter* CCCCC. *uſque ad Juſtinianum Imperatorem: ab hoc iterum totidem ferè uſque ad Electorum inſtitutionem in Imperio: & totidem denique uſque ad Patrum noſtrorum memoriam, annum Chriſti 1500. ſumuſque jam ingreſſi novam periodum ad annos 64. qua quid futurum ſit, ſoli Deo cognitum eſt, quem etiam atque etiam oramus, ut id quod ipſi, non nobis optimum videtur, benignè ac clementer largiatur. Ita breve hoc annorum curriculum quaſi terminus eſt, & limes eorum, quæ vel conſtituuntur & fiunt, vel mutantur in hac Monarchia Romana, quemadmodum etiam in reliquis Monarchiis & Imperiis poſſumus animadvertere, ſingulis* CCCCC. *annis illuſtres mutationes factas. Nam Herodotus ſcribit ultra* CCCCC. *annos*

Aſſyrios

Aſſyrios non tenuiſſe primam Monarchiam, ſed in ipſo penè iſtorum annorum momento incidiſſe in ea mutationem, captaque Babylone ad Medos translatum eſſe Imperium. Quid? quòd multa regna & Reſpub. non attigerunt illam periodum, ut Athenienſium, quæ à Cecrope ad Codrum uſque floruit tantùm annos 490. Lacedæmoniorum, quæ itidem tot annos, nimirum à Lycurgo uſq; ad Alexandri Magni ætatem: & Æneæ poſteritas Albæ imperavit, annos non plus 430. quibus peractis, Roma *eſt condita, factumque initium novæ Monarchiæ & Imperii. Paucula denique regna, Monarchiæ aut Reſpubl. terminum huius periodi exceſſerunt, quin inſignis aliqua fieret in iis mutatio: & experientia teſtatur, ſolere plerunq; in ipſo articulo illius fatales mutationes accidere.*

—Sic omnia verti
Cernimus, atq; alias aſſumere pondera gentes,
Concidere has, *inquit ille.*

Sunt autem duo, quæ exitium pariunt omnibus Imperiis aut Regnis: Propria voluntas, & vis externa; *hoc eſt, ut clariùs dicam ruunt illa, cùm vel ipſa ſe conficiunt, vel vi externa premuntur. Prius accidit multis modis: veluti cum vulgus res novas cupit, & qui vulgo præſunt, ignaviâ torpent, nec tàm publicæ utilitati, quàm privatis commodis ſunt addicti. Unde vel in religione oritur mutatio aliqua, vel in forma adminiſtrationis. Externa vi labefactantur, cùm peregrinæ gentes in ea ſe effundunt, novas ſedes, nova domicilia quærentes: Ut cùm Vandali Africam, Gothi Italiam invaſerunt, cumque Romanis à Gallis, Longobardis, & tandem à Germanis ereptum eſt imperium. Peſſimè autem fit, ſi utrumque hoc malum concurrit in regni alicuius mutatione, hoc eſt, ſi ipſum ſe conficit, ſimul & externa vi premitur. Quæ enim poteſt eſſe ſpes diuturnitates ac*

potentiæ, ubi ſumma eſt animorum diſtractio, & privatum commodum præfertur bono publico, ubi veſtigia majorum relinquuntur, nova placent, & res veteres non tam delent conſultò, quàm furenter evertuntur? Hoſtis autem & vis externa eò minus queunt reprimi, ſi intus iſta gerantur in Repub. ſiq; is, qui, ut dicitur, pro focis & aris adverſus communem hoſtem, cum concive ſuo in acie pugnare debet, cum eodem ipſe acerrimam foveat ſimultatem, & digladietur fide. Nulla major aut acerbior inimicitia eſt inter cives unius eiuſdemque Reipub. hac ipſa, quæ ex religione oritur. Nam ut divinum quiddam eſt religio, nec fuit ulla unquã gens tàm barbara, quam illa non commoverit: ita ſua cuiq; maximè chara eſt, etiamſi mala ſit, ac mutata novos & inſolitos motus gignit in animis hominum, amorem mutuum extinguit, & pulcherrimũ illud vinculum nexumq; ſocietatis humanæ diſſolvit. Sin etiam civilia mala accedunt, fieri non poteſt, quin extremum exitium immineat ei, ſive Reipub. ſive Imperio, quod hiſce morbis & ſymptomatibus eſt infectum: & plerunq; ſequitur tertium illud malum, nimirum, ut & ipſum ſe conficiat intus, odio ac opinionum varitate, & foris ab hoſte opprimatur. Nihil opus eſt commemorare exempla veterum, cum vel ſola Græcia illuſtre, at horrendum exemplum nobis ſe præbeat: Quæ cùm contentionis eſſet amantior quàm pacis, nec tam veritatis ſtudioſa quàm opinionũ, mutaretq; indies multa, quæ olim ſummo labore & prudentia conſtituta eſſent à majoribus: foris quoque reperit hoſtem, qui eam premeret; fecitq; ſua hac contentione ac diſcordia, ut & ipſa tandem funditus periret, & quod omnes nunc dolemus, ſtupenda quadam Dei permiſſione Oriens ab Occidente avelleretur. Sunt igitur illa, quæ jam dixi, cauſæ & media, quibus omnia Imperia concidunt, ſecundum Ethnicos ſcripto-

res, paucis demptis, quæ caſu aliquo, vel potius divinitus interierunt, diluvio, conflagratione, aut ſimilibus miſeriis. Sed ſi quis rurſum quærat cauſam harum cauſarum, maximè in Repub. Chriſtiana, nullam inveniet, opinor, quàm peccatum. Sæpe etiam ob unius hominis tantùm delicta tota regna perſolverunt pœnas. Quòd Priami regnum deleretur, non erat in cauſa Palladium furto ſublatum ab Ulyſſe, & à Palamede proditum, ut Phrygius ſcribit: ſed ſcelus Paridis erat in cauſa, injuſtè rapientis alterius conjugem, & hoſpitii jura violantis: poſtea accedebant peccata aliorum, tam procerum quàm ſubditorum in eodem regno, & animi Græcorum accendebantur ad vindictam, cùm Menelaus raptam conjugem ſine armis recipere non poſſet. Oriebatur igitur hac occaſione bellum diuturnum inter Græcos & Trojanos, verè, quod ajunt, Ἰλιὰς κακῶν, *non Trojanis tantùm, verùm aliis quoque populis, Aſiæ ac Europæ. Hanc cauſſam malorum non novit Ethnicorum doctrina, nec judicat primam ac præcipuam cauſam mutationis regnorum hominum ſcelera eſſe: ſed arcanum & fatalem naturæ ordinem, materiam variè miſcentem, & omnia paulatim præparantem ad interitum, ſicut Cratippus dicebat Pompeio conquerenti, quòd in cauſa juſtiore à Deo deſertus eſſet, multas eſſe cauſas, partim phyſicas ac fatales, partim morales, & harum alias propiores, alias remotiores, cur Imperia mutentur.*

Certiſſimum autem eſt, mutationes iſtas varia præcedere indicia, veluti horrendas eclipſes ſolis, cometas, terræ motus, omnis generis prodigia, & ſummorum virorum interitum. *Quanquam enim pleraque ex his efficiantur certo quodam ſiderum congreſſu, vel aliàs naturali quadam ratione & commixtione Elementorum, ſub Luna globo, ut iſti docent, qui ſecreta naturæ ſcrutantur: Scriptura tamen di-*

vina expreſſè teſtatur, eſſe ea imminentium periculorum notas, maximè ſi metas uſitatas excedant, aut inſolito tempore fiant. Cùm initio belli Peloponeſiaci tanta eclipſis ſolis conſpiceretur in medio die, ut aves deciderent in terram ex aëre, tenebris pulſi, manifeſtè deſignabatur Græciæ calamitas, Periculis tempore. Sic cùm urbis Hieroſolymitanæ excidium inſtaret, totiusque Judaicæ politiæ, poſt Meſſiam interfectum, annos circiter 40. ſcribit Joſephus, gravis autor, præter eclipſes, cometas, & horrenda meteora, etiam miſerabiles ejulatus canum armorumque ſtrepitum auditum fuiſſe. Planè eodem modo vaſtationem Italiæ denunciarunt multa ac varia prodigia, conſpectæ ſunt igneæ acies in aëre inter ſe dimicantes, ſanguis ex terra & parietibus ſcaturiens: & alia multa ejus generis. Atque ut iterum dicam de Græcia, quòd illa indicium ex his aut ſimilibus non vidit, antequam avorum noſtrorum memoria opprimeretur à Turcis. Nec minus ornata erat illa viris ſummis in re militari, ac optimarum artium diſciplinis, qui tamen omnes ferè antè auferebantur è vivis, ne calamitatem & interitum patriæ viderent, vel in ipſo interitu interficiebantur: pauci ex his evaſerunt, ut Gaza, Beſſarion, Trapezontius. *Ac eſt profectò digna memoria notatio, ſummorum virorum mortem plerunq; trahere ſecum magnas Imperiorum ruinas: non ſolùm, quia ſcriptum eſt* pios præripi impendentibus malis, *verùm etiam, ut morte eorundem admoneamur mirabilis ſapientiæ Dei, qui calamitatibus publicis has ſimilesque notas ac indicia præmittit, velut* προδρόμους *quoſdam, quibus mala impendentia prævideamus, vocemur ad meliorem vitæ frugem, nec confidamus noſtris viribus aut prudentiæ. Obibat diem Alexander Magnus, exercitum maximum relinquens Philippo filio, interim regna parta ab eo deficiebant, & vires Imperii relicti*

ſtatim

ſtatim debilitabantur. Sin piorum exempla requirimus, notum eſt Stiliconis dictum; poſt mortem Ambroſii ſecuturas magnas calamitates: id quod accidit deinceps. Mortuo enim Ambroſio Gothi invaſerunt Italiam, & horribiliter eam devaſtârunt. Sic mortuo Auguſtino, Africa potiebantur Vandali, & plantarunt in ea provincia horrendam hæreſin.

Jam verò ſi quis conſiderat præſentem rerum ſtatum in Imperio Romano, & Germania noſtra, reperiet profectò in ea mirabilem confuſionem rerum ſimul ac perſonarum. Quotusquiſque enim eſt, qui officium ſuum rectè facit & exequitur? Non dico de perfectione illa, quam Plato ſomniat in ſua Rêpubl. & quæ in hac corrupta naturæ imbecillitate eſſe non poteſt: de politicis virtutibus loquor, quæ civili quadam ratione ab uno quoque requiruntur, propter vinculum ſocietatis humanæ. Tanta enim eſt nequitia multorū, vel perfidia potius, ut paucos admodum reperias nō ſolùm Pyladas, Oreſtas, Theſeos, Perithoos, Scipiones aut Lælios, verum eos quoque, à quibus rebus in adverſis rectum conſilium capere, tuique animi tui cogitationes tutò concedere poſſis. Sunt autem mala hæc majorum malorum in Rebuſpub. initia & fontes. Itaq; nihil mirum, ſi hoc tempore diſſenſiones oriuntur alibi, alibi manifeſta bella civilia. Sed certè nihil eſt pernicioſius Imperiis, quàm tali morbo laborare. Nam vires opesque civium hoc pacto faciliùs franguntur, & externis populis occaſio præbetur, dilatandi Imperium ſuum, quam ſi ſapiunt, negligere non ſolent. Græciam Mahometes ſubegit, dum Hiſpani de Sicilia & Neapoli certantes totam turbarent Italiam, & Germaniam Huſſitæ. Bajazetes Venetis ademit Methonem, Naupactum ac Dyrrhachium, dum Maximilianus ardens bellum gerebat contra Helvetios. Quid autem Selymus? Nonne ille arma in Ægyptum tranſtulit,

tranſtulit, victisque duobus Sultanis, Campſone & Tomembeio, totam Ægyptum occupabat eodem tempore, quo Maximilianus bellum internecinum habebat cum Venetis, & Sigiſmundus Rex Poloniæ, Boruſſiam eriperet Imperio. Solymannus Belgradum tunc cepit, quando Carolus Imperator recuperavit Mediolanum, Franciſco rege Galliarum ad Ticinum capto. Breviter, nihil aliud Turcarũ Imperatorem in Hungariam primum omnium pertraxit, quàm quòd videret incolas illius regni inteſtino odio ac ſimultate inter ſe flagrare, & Carolum Imperatorem bello Gallico implicatum, Ludovico Regi auxilio eſſe non poſſe. Deinde tanta eſt quorundam imprudentia & temeritas hoc tempore, ut ſtudioſè negligant officium ſuum, ac præclarè ſe facere exiſtiment, ſi quid faciant præter id, quod ipſos decet, ſi magiſtratui ſuo totis viribus ſe opponant, ſi viros ſummos atque optimè meritos de Republ. lingua pariter ac calamo proſcindant: ſi virus ſuum venenoſiſſimum in omnes expuant: ſi ad ſeditionem moveant plebem, eandemq; egregiè præparent ad barbariem. Sed quoniam ipſi acceſſivimus hoc malum, dum omnibus hactenus impunè licuit ſcribere & loqui quodvis, vel debacchari in quemvis, eò difficilius poterit eradicari. Loquor autem de politicis rebus. Nam quod ad religionem attinet, magna gratia habenda eſt Deo Opt. Max. qui veræ doctrinæ lucem nobis jam reſtituit, traditionibus humanis ante hac mirum in modum obſcuratam: ſed dolendum interea eſt. paſſim reperiri aliquos eruditos quidem, eo tamen animo præditos, ut ſive animi acerbitate moti, ſive vanæ gloriæ cauſa ea moveant in dubium, in ſacroſanctæ fidei noſtræ doctrina, quæ aut damnata olim, aut ejus generis ſunt, cujus illa, quæ à I. C. ἀνόητα. à Rhetoribus ἄπορα, ſeu inexplicabilia vocantur, ſæpe etiam non neceſſaria aut utilia: Quod equidem zelone religionis,

gionis, an verò ſpiritu Pythonis ab illis fiat, pii, ac qui contentiones non amant, facilè dijudicant. Una enim veritas eſt, *inquit Paulus*, unum Baptiſma, unus Chriſtus, *nec in alium finem incipiunt multi dubitare de fide, quàm ut nulla tandem vera exiſtat: quod etiam de ſua ætate conqueritur Hilarius. Non lubet recenſere alia vitia & incommoda Reipub. cùm multa videamus indies, ac tanta ſit turpitudo morum in quibusdam, ut Cynicorum more nihil exiſtiment eſſe turpe, & ornatus loco turpitudinem etiam in veſtitu quærant. Scribunt Mago aliquando Perſis prædixiſſe, brevi ipſis Macedones imperaturos, quod eo anno, qui proximè præcedebat pugnam commiſſam inter Darium & Alexandrum Magnum, Darius gladium quem geſtare ſolitus erat, Macedonum more ornaſſet: & Auguſtus Imperator conſpiciens quendam è ſuis civibus pallâ indutum, fertur exclamaſſe illud Vergilii:*

Romanos rerum dominos, gentemq́; togatam.

Quid diceres, Auguſte, ſi hoc tempore in Repub. noſtra videres homines non modò palliatos, aut armis Perſicis, verùmetiam Turcicis ornatos, & capite criſtatos, pedibus braccatos alatósve? Ita nimirum vetera aſpernamur, ſtudemus novis, ſimultate mutua & diſſenſione ipſi nobis inferimus bellum, at intus nos prius letaliter vulneramus, quàm ab hoſte trucidamur foris. Porrò paucorũ annorum ſpacio tot horrendas vidimus eclipſes utriuſque luminis cœleſtis, tot cometas, prodigia, terræmotus & portenta, ut nihil unquam iſtorum omnium acciderit ullo tempore apud veteres, cujus non inſignia aliqua exempla fuerint conſpecta, ſitque integer liber conſcriptus de his ac ſimilibus naturæ miraculis, quæ recenter acciderunt. Vidimus etiam multos præclaros Duces, & inter hos Imperatorem D. CAROLUM V. *ſcientia rei militaris, virtute, au-*

toritate

toritate & felicitate præſtantem, optimumque Principem: Vidimus item viros ſummos in omni diſciplinarum genere, qui omnes propemodum nobis ſuperſtitibus evocati ſunt ex hac vita ad cæleſte illud animorum concilium, ubi quiete ſumma fruuntur. Nec ulla ætas à Theodoſii temporibus tulit ſimul tot eruditos viros, ut noſtrà illa ſub Imperatore Carolo: Vidimus denique multa alia diverſorum generum partim præclara atque utilia, partim ſtupenda & inuſitata: quæ ſi quis temerè facta arbitratur, is mihi videtur non tam extimeſcere caſus humanos, quam cæleſtem iram aſpernari. Sin ἀκόπα, dixerit eſſe, hoc eſt, ſigna non neceſſaria, ſed quæ communiter ſoleant accidere, vereor ne erret: habent enim τεκμήριον certiſſimum conjunctum, vitæ diſſolutionem, & honeſtatis omnis interitum. Non ſunt igitur inania hæc ſigna, aut ludibria fortunæ; ſed aut Diaboli opera in corrupta hominum voluntate, aut naturæ dolentis quodammodo caſum noſtrum, & diſſolutam vivendi rationem, monſtrantisque calamitates, quæ cervicibus noſtris impendent, ac mirabiles rerum mutationes minantur. Fortaſſe etiam eò majores, quò major eſt perturbatio & ἀταξία, omnibus in rebus: quò ſecurius vivimus ac indies mages magisque concitamus adverſum nos iram Dei, & juſtum ejus judicium: quò artes ſimul ac vitia omnia ſunt in ſummo loco poſita: plerunque enim fit, ut cùm res ad ſummum devenère, in proximo ſit ruina. Cum Theodoſii tempore artes omnes florerent, ac in omni doctrinarum genere eſſent homines excellenter docti, Theologi, Jureconſulti, Poetæ: mortuis illis, ſequebatur barbaries, & profeſſiones pariter ac humaniores diſciplinæ cœperunt negligi, idemque verendum ne accidat noſtra hac tempeſtate. Sed & periodus, ſecundum quam oſtendi fieri mutationes in Imperiis, eadem de re nos admonet; cumque ſecum initio ſtatim attraxerit

traxerit mutationem magnam in religione, & diſtractionem animorum maximam inter homines: non obſcurè indicat, opinor, quid porrò nobis exſpectandum ſit, quemadmodum etiam eclipſes & magnorum planetarum conjunctio. Nunquam enim ſine illuſtri aliquo effectu fuerunt tales eclipſes: & experientia teſtatur ſuperiorum planetarum congreſſus in rebus humanis tantò majores mutationes decernere, quantò tardior eſt illorum motus. Certò igitur ſtatuamus imminere nobis varia & magna mala, eaque ex vita noſtra metiamur. Ut autem parum prodeſt ægrotis, morbi quo laborant cauſas habere cognitas, niſi quoque medicinam adhibeant, qua cauſas illas tollant, vel ſaltem impediant aliqua ex parte: ſic non ſatis fuerit nobis noſſe, quidnam minitentur iſta ſive ἀκόπα, ſive τεκμήρια, ut illa vocant, niſi etiam ſciamus, qua ratione & quomodo futura pericula evitare poſſimus, aut certè adverſus ea nos munire, ne Stoici videamur, & inevitabilem quandam neceſſitatem in rebus humanis ponere, quam ne Ethnici quidem ſcriptores ſapientes probarunt, ut Plato, Cicero & alii. Et quamvis Plato, ubi de mutationibus Imperiorum tractat, aſſerit eas fieri fato quodam, cum quinarius ſeſquitertiæ in generatione junctus, duas effecit harmonias: nam ultra has naturam non poſſe progredi, qui gignat deinceps deteriores: non tamen de fato Stoico, aut de neceßitate quadam abſoluta loquitur, ſed cæleſtem, arcanam & moralem cauſas conjungit in mutationibus Imperiorum, & vult aliquantiſper gigni bonos ac præſtantes gubernatores, quorum virtute Imperia conſerventur, deinde paulatim gigni alios non ita præſtantes, eorumque negligentia Imperia iterum corruere. At quemadmodum numerorum finis in natura ordinatus eſt, cum planus numerus fit ſolidus: nõ enim ſequuntur cubici, aut cum harmonia Muſicali ventum eſt ad διὰ πασῶν,

quæ

quæ ſit junctis διὰ τεσσάρων & διὰ πέντε: Sic (ait Plato) legibus fatalibus ſubinde oriri nova Imperia, ruentibus prioribus, præſtantioribus ſcilicet, donec rurſus fatali aliqua lege fiat inſtauratio: hoc eſt, affirmat divina providentia ſic ordinatam eſſe rerum ſimul ac hominum naturam, ut ruentibus prioribus Imperiis alia conſtituantur, licèt debiliora: quæ ſententia pia eſt, nec à religione noſtra abhorret. Ac multa certè traduntur paſſim ab eodem Platone præclarè & ſapienter, quibus vel perſonæ in Republica juvari poſſunt, vel res vel deniq; judicia: explicatur etiam, quomodo ratio habenda ſit perſonarum ac rerum, juxta Arithmeticam aut Geometricam proportionem, ne in juſtitiæ locus aliquis fiat, cùm idem illa efficiat in Republ. quod in corpore humano morbus. Traduntur & alia præcepta ab aliis, perſonis atque rebus inſervientia, pro temporum ac locorum varietate, qualia multa peti poſſunt ex Thucydidis hiſtoria, ut cùm συγκρητισμὸν ſuadet aliquis in Repub. Cretenſium, vel ἀμνηστίαν, Thraſybulus in Athenienſium Republ. & Chryſippus fertur integros libros ſcripſiſſe de Republ. ad hominem collatione. Verùm ut præclarè, quod ajebam, ac ſapienter hæc atque alia dicuntur à viris ſummis, & rectè accommodatur communi Reipub. ſaluti, non tamen omnibus ejus partibus malè affectis mederi poſſunt: quia cauſam ac radicem malorum non tollunt. Eſt autem vera cauſa ſeu αἰτία peccatum, quod in corrupta noſtra natura hæret, quemadmodum antea oſtendi. Hanc cùm non agnoſcat Plato aut alii, nec ſciant voluntatem iraſcentis Dei adverſus peccatum, ignorant etiam quo pacto is placari velit, ut pœnas impendentes mitiget: humana ſapientia nituntur tantùm, eaque exiſtimant rem omnem ad meliorem ſtatum reduci poſſe. Doctrina autem cœleſtis exclamat ruinas Imperiorum accerſiri humanis furoribus, non fato ali-

qua

quo Stoico, aut inevitabili aliqua neceſſitate, has ait eſſe atrocium ſcelerum pœnas, &, ut Siracides inquit, transferri Imperia à gente ad gentem, propter injuſtitiam ac dolos. *Quare audiamus illam doctrinam, nec præferamus ei noſtras cogitationes ac conſilia.* *Scriptum enim eſt,* auxilium à Domino expectandum in tribulatione: *& Prophetas omnes videmus populos illos, quibus interitum vel alioquin gravem aliquam calamitatem prædixerunt, non tam ad mœnia reficienda, conſtruenda propugnacula, aut humana arte ac conſilio infecta membra Reipub. ſananda, hortatos eſſe, quàm ad agnitionem peccati, emendationem vitæ, & ad veram Dei veri invocationem. Quemadmodum igitur totum hoc univerſum partim à divina mente, partim à neceſſitate eſt profectum: ita Reſpub. & Imperia duo præcipuè habent, quibus vel ab initio rectè conſtituuntur, vel morbo aliquo infecta ſanantur, vel ruinam minitantia adjuvantur: Pietatem ſeu juſtitiam, ac ea quæ humanis neceſſitatibus inſerviunt. Sed aliam, ut dixi, pietatem vel juſtitiam tradit doctrina cœleſtis, aliam Ethnici ſcriptores. Atq; ut mentis eſt illa longeque præſtantior, quàm altera: ita quoque prior cura illius eſſe debet: ea verò ſalva etiam externa juſtitia rectè urgetur à politicis viris, & utraque conjuncta ſummo ſæpe adjumento fuit laborantibus Imperiis aut regnis. Neque enim Deus piorum preces non exaudit, nec prohibet, quò minus humanis quoque conſiliis utamur, modò ab eo petamus felicem eorum ſucceſſum.*

Primum itaque ac optimum remedium eſt laborantibus Rebuſpublicis, Imperiis aut regnis, ut agnito malorum omnium fonte, peccato ſcilicet, à Deo petatur auxilium: Juſtitia mentis reſtituatur tam in gubernatoribus, quàm in ſubditis, tollatur idololatria, & rite colatur Deus, quemadmodum ipſe ſe verbo ſuo pa-

teſecit, alioqui SI DEEST AGNITIO ÆTERNÆ ET INCOMPARABILIS VERITATIS, FALSA VIRTUS EST IN MORIBUS. *Proximum deinde huic, ut hi, quibus ſumma rerum eſt commiſſa, videant, quo conſilio & ordine creator mundi Deus ex mente ſua ac divinitate, mundũ hunc univerſum creârit, eodemque exemplo tanquam minores Dii utantur in ſanandis languidis Reipub. membris. Civilem juſtitiam reſtituant, & virtutes juſtitiæ conjunctas, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam. Sed quoniam notitiæ virtutum mentibus noſtris inſitæ, unà cum natura noſtra ſunt corruptæ, & in incultis ac plebeis hominibus vix excitari queunt, ſatisfuerit, ſi in genere, quod ajunt, reſtituantur actiones harum virtutum in Republica: nam ad perfectam illam & primam rerum naturam reſpicere, atque ad illius præſcriptum leges omnes confirmare velle, monſtro ſimile eſt, & ut nunc ſunt homines, obtineri nullo pacto poteſt. Quod ad veteres leges attinet, certum eſt, eas aliquando mutari debere à prudentibus gubernatoribus, pro ratione temporis, locorum ac perſonarum: ſed niſi modeſtia quadam id fiat, res eſt æquè periculoſa, ac ſatius eſt interdum errata legislatorum ferre, quàm corrigere, quod mutatio legum tantam utilitatem non adferat ſecum, quantum mali, hominesque paulatim aſſuefaciat nõ obedire Magiſtratui. Cavendum præterea eſt, ne inquietis ingeniis licentia detur prætextu quodam pietatis ferendi in vulgus novas opiniones, & debacchandi in quoslibet. Dici enim non poteſt, quantum licentia illa mutuum amorem inter homines diſtrahat, & quàm multis ſeditionibus præbeat occaſionem: Verùm magna cum autoritate & unanimi conſenſu defendenda ea, quæ cum expreſſo Dei mandato non pugnant, nec ſine gravi cauſa conſtituta ſunt à majoribus noſtris in religione ac politia. Adhortandi*

ortandi cives ad concordiam, ut in communi periculo communis ſit deliberatio: ἀμνηςία præferenda ſυγκεκριμένη: Boni præmiis ac honoribus afficiendi, mali pœnis: Denique quemadmodum in corpore humano aliter curatur caro, aliter inteſtina, aliter nervi; ita per omnia cavendum bonis gubernatoribus, ne unam omnibus, ſed ſingulis Reipubl. partibus ac membris peculiarem & convenientem adhibeant curationem: &, ſi non omnes, ſaltem præcipuas vitiorum fibras è Republica excindant. Quòd quidem qua ratione fiat, eorum libri oſtendunt, qui hac eadem de re præcepta tradiderunt: quæ quàm neceſſariò hoc tempore urgeantur in Republ. noſtra adeoq; univerſo Imperio Romano, omnes videmus, & multi boni viri deplorant.

Laboramus inter nos ipſos odio inteſtino, & diverſarum rerum ſtudiis: cum vicinis noſtris, ſi non aliam ob cauſam, certè de religione diſceptamus: à Septentrione Moſchi jugulum noſtrum petunt, homines Barbari, & ad idololatriam uſque ſuperſtitioſi: In Oriente verò res nobis cum eo hoſte eſt & tyranno, qui totius Aſiæ ac Aſſyriæ, totius Ægypti regnique illius florentiſſimi Sultanici dominus eſt: qui Græcorum Imperium tenet, Bulgariam, Vallachiā, Serviam & Thraciam occupavit: Hugariam penè univerſam vaſtavit, ac potiſſimam partem illius nobis eripuit. Quare ſi vita noſtra & communis patriæ ſalus nobis chara eſt, nec malumus breviter turpiſſimam ſervitutem diſcordes, quàm libertatem concordes ferre: demus operam, ut, poſita omni ſimultate, unanimiter deinceps pugnemus adverſus communes hoſtes. Id ſi fecerimus, præſenti rerum ſtatui rectè conſulemus, nervum Reipubl. noſtræ non leviter laxatum atque convulſum, iterum corroborabimus aliquantulum, & optimè merebimur de poſteritate. Dabit etiam Deus felicem ſucceſſum

his conatibus noſtris, cùm autor ſit pacis ac concordia, ac ipſemet polliceatur opem ſe laturum his, qui fide firma eum invocant, & auxilium ab eo petunt in afflictis rebus. Et quanquam nemo ſanæ mentis negat, qui magna mala impendeant cervicibus noſtris, tamen poteſt ille, ſi vult, non ſolùm mala illa pro clementia ſua mitigare, verùm quoque omnino tollere, & aureum quoddam ſeculum reſtituere, in quo nos poſterique noſtri vivamus, donec dies ejus adveniat. Non poteſt autem ille longè abeſſe hinc: nam, ut eruditè quidam ſcripſit antè annos 24. Omnes Monarchias incepiſſe videmus, cum centrum excentrici Solis in aliquo inſigni loco Epicycli fuit. Ut cùm Solis eſſet maxima excentricitas paulò ante Chriſtum natum, Romanum Imperium ad Monarchiam declinavit: &, quemadmodum illa decrevit, ita & hoc tanquam conſeneſcens defecit, atque adeò evanuit. Cùm perveniret ad quadrantem terminumq́ mediocrem, lata eſt lex Mahometica, incepit itaque aliud magnum Imperium, & velociſſimè ad motus rationem crevit. Jam 100. annis, cùm minima futura eſt excentricitas, hoc quoque Imperium ſuam conficiet periodum, ut circa noſtra tempora in ſummo ſit faſtigio, à quo æquè velociter, Deo volente, lapſu graviore ruet. CENTRO VERO EXCENTRICI AD ALTERUM TERMINUM MEDIOCREM PERVENIENTE, SPERAMUS ADFUTURUM DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM. NAM HOC LOCO CIRCA CREATIONEM MUNDI FUIT, *&c. Sive igitur hæc ita futura ſunt, quemadmodum eruditè conjiciuntur, ſive prius nos opprimet piis omnibus optatus judicii dies, ſemper orandus nobis Deus, ut pœnas quas commeruimus mitiget, excolenda diſciplina morum & modeſtia: denique pro virili cuique enitendum, ut re ſimul & conſilio Reſpub. collapſa juvetur.*

Cùm

Cùm autem valdè proſit ad recta & ſalubria conſilia hiſtoriæ cognitio, propter exempla, quæ inde peti poſſunt: & tranſtuliſſem anne annos duos ferè ex Italico ſermone in Latinum librum primum NICOLAI MACHIAVELLI de hiſtoria Florentina: *in quo ille eleganter admodum & ſuccinctè oſtendit ruinam Imperii Romani per annos mille, ex Ruffino, Socrate, Evagrio, Caſſiodoro, Procopio, Marcellino, Jornande, Platina, Sabellico, Blondo, Volaterrano ac aliis probatis autoribus: volui illum auſpiciis tuis dare in lucem, Illuſtriſſime Elector: non equidem, ut exilem hunc laborem meum dignum arbitrer quem tibi viro Principi dedicem, ſed cùm dicandus eſſet alicui, putabam nulli potius offerendum quàm tibi: quòd & optimus Princeps ſis, & patriæ meæ parens. Feliciter vale. Marpurgi Haſſiæ, prid. Calend. Februaris. Anno Chriſti* M. D. LXIV.

Celſ. tuæ
ſubditus
HIERON. TURLERUS J. D.

BEATISSIMO PATRI DOMINO CLEMENTI SEPTIMO PONT. MAX.

NICOLAUS MACHIAVELLUS
Servus humiliſſimus.

POSTQUAM à tua S. Pater Beatiſſime, dum minore in dignitate conſtitutus eſſes, mihi demandatum fuerit, ut Florentinorum res geſtas deſcribendas mihi ſumerem, nihil ſane mihi antiquius fuit, quam omnem induſtriam artemque, quæ mihi tam natura quam uſu obtigerunt, experiri, quo exſpectationi tuæ abunde ſatisfacerem. Viſum ergo fuit, poſteaquā ſcribendo ad ea uſque tempora deveniſſem, quæ ob mortem Magnifici viri Laurentii Medicei, ſtatum totius Italiæ immutarunt, & quæ longe accurationem quam hactenus diligentiam atq; conatum in ſcribendo requirunt, utpote quæ res multo præſtantiores, magisque arduas complectantur, id omne, quod hactenus à me conſcriptum erat, in unum volumen redigere, atque S. T. offerre, quo ipſi liceret, aliquem fructum ſuæ ſementis, meorumque laborum prægustare. Hinc itaque dignoſcet S. T. quantis cum cladibus univerſa Italia conflictata, & quot ea imperia perpeſſa fuerit,

erit, poſtquam nimirum Imperium Romanum, in partibus occidentalibus, à priſtina virtute & potentia declinare cœpit: percipiet etiam, quibus modis & rationibus Pontifices, Veneti, Reges Neapolitani, Ducesq; Mediolanenſes, potiores partes atq; provincias hujus regionis conſecuti fuerint: perſpiciet denique, ut patria ſua, ob diviſiones, Imperium excuſſerit, atque inter easdem diviſiones ſteterit, quoad ſub umbra familiæ tuæ Mediceæ felicius regeretur. Licet autem à S. T. mihi ſedulo injunctum fuerit, ut majorum ſuorũ res geſtas, cum ad modum deſcriberem, quo omnis adulationis ſuſpicio quàm longiſſime à me abeſſet, ſiquidem tam confictæ, atq; in gratiam conſcriptæ laudes, tibi diſplicere, quã veræ & genuinæ te capere ſoleant: non mediocriter tamen vereor, dum candorem Joannis, prudẽtiam Coſmi, humanitatem Petri, & magnificentiam atq; ſapientiam Laurentii depingo, ne ſane leges tuas neglexiſſe tibi videri queam, quod quidem tam tibi, quam aliis, quibus iſtiuſmodi deſcriptiones, tanquam minus ex fide, ſuſpectæ eſſe poſſint, excuſatum velim. Cum etenim tantorum virorum laudes, ab iis omnibus, qui temporis iſtius hiſtoriam conſcripſerunt, tanto cum aſſenſu celebrentur, aut ſanè eædẽ mihi ſimiliter percurrendæ, aut, tanquam invido, ſilentio

prætereundæ erant: at ſi iiſdem cenſoribus viſum ſit, ſub iſtiusmodi laudatiſſimis moribus, ambitionē publicæ utilitati contrariam delituiſſe, quod ego quidem id minus deprehendam, ideo ad ea perſtringenda adſtrictus eſſe nolim, ſiquidem nuſquam in hiſce narrationibus, ea quæ contra honeſtatem facta videbantur, ſpecioſis nominibus involvere, neq; etiam egregiè geſta, tanquam in contrarium finem deſtinata fuerint, invidioſius arrodere conatus ſum. Quantum autem inprimis ab adulatione abeſſe cupiam, id verò univerſa hæc hiſtoria, præcipue tamen conciones atque orationes privatorum, tam eæ quæ bonitate nituntur, quam quæ contra eunt, ſparſim inſertæ, abunde teſtari queant, utpote quæ non modo ſententiis refertæ ſint, ſed etiam eo ordine, quem qualitas perſonæ cujusq; poſtulare videtur, poſthabito omni privato ſtudio, à me recenſeantur: licet ubivis vocabula odioſa, tanquam veritati dignitatiq; hiſtoricæ minus neceſſaria, declinaverim, Nemo itaque qui ſcripta mea æquo animo legere adgreſſus fuerit, me aſſentationis merito accuſaverit, præſertim quod videre liceat, in his narrationibus, patris tui parcius mentionem fieri, quod quidem ob vitam ipſi minus diuturnam, à me factum monendum duxi, unde nimiſum nec ipſi ingenium ſuum nobis teſtari,

nec

necmihi ſcribendo id illuſtrare ſatis licuerit. Extant tamen permagna & præclara ipſius monumenta, vel illud inprimis, quod S. T. nobis poſt ſe reliquerit, atque ea quidem ratione, omnes res geſtas majorum, ſuorum, longo intervallo anteiverit, hincque famam ſuam in tot ſæcula propagaverit, quot annos vitæ ipſius, demere, iniquæ fortunæ viſum fuit. Conatus itaque ſum, Pater beatiſſime, hac mea opella, dum veritatem ſartam tectam eſſe cupio, omnibus ſatisfacere, licet fortaſſis ſatisfecerim nemini. Neq; ſi fiat, id magnopere mirandum ſit, quod meo quidē judicio fieri nequeat, quin hiſtoriam ſui temporis conſcribenti, multorum aures offendendæ ſint. Interim alacri animo in hanc arenā deſcendo, confiſus fore, ſicuti à S. T. hactenus humaniter & honorificè habitus atque conductus fui, ita armatis legionibus ſanctiſſimi ejuſdem judicii, me deinceps juvatum atque protectum iri, quo non minore fiducia, reliquā hiſtoriæ hujus partem contexere atq; abſolvere valeam, quod me facturum polliceor, niſi vel vita, vel S. T. me deſtituerint.

PRÆFATIO AUTHORIS.

CUM IN ANIMUM INDUXIſſem, Populi Florentini res, domi foriſqúe geſtas, cenſcribere, conſtitutum mihi erat, narrationem meam, ab Anno Chriſtianæ religionis M. CCCC. XXXIIII. ordiri, quo nimirum tempore, Mediceorum familia, ob Coſmi, atque Joannis patris officia in publicum, omnes reliquas Florentinorum familias, authoritate anteire cœpit: Exiſtimabam ſiquidem, quæ tempora iſta anteceſſerunt, ea à Leonhardo Aretino, tum etiam Poggio, tanquam præſtantiſſimis Hiſtoricis, particulatim memoriæ conſignata fuiſſe. Poſtquam verò horum ſcripta diligentius perluſtranda mihi eſſent, ut, dum eorum methodum atq; ſeriem mihi imitandam proponerem, hiſtoriæ noſtræ plus fidei accederet, facile animadvertere mihi licuit, fuiſſe quidem viros iſtos, in deſcribendis iis, quæ Florentini foris præclare geſſerunt, diligentiſſimos, quoad vero civiles diſcordias, inteſtina odia, inimicitias, eaq; quæ inde conſecuta ſunt eos, vel magnam eorū omnium partem ſilentio præteriiſſe, vel paucula quædam tanta brevitate attigiſſe, ut inde in lectorem nihil, nec utilitatis, nec voluptates redundare poſſit: quod quidē factū cōjicio, aut iſti quod uſmodi actiones, non eius momenti

menti

mentieſſe arbitrarentur, quas memoriæ poſteritatiq; committerent, aut quod eorum offenſiones metuerent, quorum majores calamo perſtringendi veniebant: quæ quidem cauſa, quod paceipſorum dictum cupio, Viris magnis mihi prorſus indignæ videntur. Quod ſi enim quidquam in hiſtoria ſit, quod vel delectare vel erudire poſſit, id ſane ab iſtiusmodi deſcriptionibus dependet: quod ſi etiam ij, qui ad Rerumpub. gubernacula ſedent, quidquam utilitatis legendo ſibi parare velint, id ex his narrationibus hauriant neceſſe eſt, quæ diſſenſionum atq; inimicitiarũ cauſas, unde cives in partes concedere, interdum ſolent, ob oculos ponunt, quo alieno periculo cautiores, concordes vivere diſcant. Quod ſi etiam quodvis exemplum Rerumpub. movere ſoleat, ſane id, quod noſtræ ipſius Reipub. caſum nobis proponit, eò magis ad movendos animos aptum erit. Quod ſi denique unquã partium ſtudia in Rebus aliis publicis notatu digna viſa ſunt, ea certe in Florentinorum Repub. diligenter notaſſe, æquiſſimum fuerit. Siquidem permagna earum Rerumpub. pars, quarum memoriæ apud nos ſupereſt, unica eademq; diviſione, in partes diſtracta manſit, quæ quidem publicum vel auxerunt, vel quod ſæpius peſſum dederunt: Florentia vero nõ in unas, ſed quamplurimas partes diviſa eſſe maluit. Roma poſt exactos Reges, quod omnibus notum eſt, diſcordia inter

Hiſtoriographi officium.

Nobiles

Nobiles plebemq́; exarſit, quæ ipſam exercuit, quouſque Res illa publica interiret: Athenæ idem teſtantur, omnesque illæ Rèſpub. quæ iis ſæculis floruerunt. At Florentiæ, primum nobiles intra ſe in partes ſeceſſerunt, inde Nobiles cum populo, tandem populus cum plebe diſſidere cœperunt. Non raro etiam eveniſſe conſtat, ut aliqua harum partium, ſuperatis reliquis, ipſa iterum divideretur, quæ ſane diſſidia tot clades, exilia, integrarumqúe familiarum interitus, pepererunt, quot alibi gentium nuſpiam cernere liceat. Hinc verò, meo quidem judicio, emergere arbitror, nihil adeo potentiam hujus Reipub. noſtræ teſtari, quam quod ex hiſce diviſionibus apertum fit, utpote quæ omnem, quantumvis maximam & potentiſſimam civitatem, funditus evertere pòtis fuerint. At noſtra hæc inde potiſſimum creſcere videbatur, adeo ingenio, virtute animique viribus volebant cives illi, ut tam ſeipſos, quam patriam illuſtrare, atque exigua illa pars, quæ cladibus ſuperfuerat, eam virtute ſua multo plus extollere, quam tot adverſi caſus unquam opprimere potuerint. Neque dubitare fas eſt, quod ſi per fortunam Florentinis, poſtquam ii Imperii Rom. jugum excuſſerunt, obtigiſſet, in eas leges, quæ concordiam conſervarent atque tuerentur, inter ſe convenire, quin nullam Rempub. ſeu priſcas illas, ſeu recentiores ſpectes, ſuperiorem fuiſſent habituri, adeo & viribus

& ingenio abunde valuiſſe conſtat. Siquidem compertum eſt, poſtquam eos, qui Imperatorum partes ſequebantur, quos Ghibellinos vocamus, in tanto numero urbe expuliſſent, ut iis Tuſcia & Inſubria omnis referta conſpiceretur, nihilominus alteram partem, quæ Pontificibus favebat, atque Guelforum nomine appellatur, in bello contra Aretium, anno uno ante prælium Campaldinum geſto, ex propriis civibus, mille ducentos cataphractarios, & duodecim millia peditum ſcripſiſſe. Inde ad bellum, quod contra Philippum Viſcontium Ducem Mediolanenſium integro quinquennio actum eſt, ubi non tam proprio Marte (ſiquidem id temporis arma apud ipſos propemodum ſepulta jacebant) quam induſtria ipſis opus erat, liquet, eos, trigeſies quinquies florenorum centena millia erogaſſe, eaque ad exitum deducto, pace neglecta, quo potentia nimirum urbis luculentius conſpiceretur, Luccenſium urbem obſidione cinxiſſe. Videre eam ob rem nequeo, quid tandem cauſa eſſe poſſit, quo minus iſtiusmodi ſtudia partium, accuratam deſcriptionem mereantur. Quod ſi verò ſcriptores illi nobiliſſimi, id ſpectarunt, ne ſcilicet memoria eorum, quorum mentio facienda erat, offenderetur, non minus hac in re eos erraſſe, atque ambitionem humanam, qua quisq; ſuam majorumque memoriam, apud poſteros, ſupereſſe cupit, minus compertam habuiſſe liquet, ipſosq; latuiſſe,

permultos,

permultos, quod virtute nomen adipiſci nequirent, id flagitiis venatos eſſe: neq; denique cogitaſſe, omnes eas actiones, quæ aliquid magni præſeferunt, inter quæ imperia rerumque gubernacula non poſtremas obtinent, quocunq; tandē modo tractentur, quemcunque etiam finem ſpectent, non tam vituperationem, quam gloriam ut plurimum mereri. *Hæc itaq; mecum perpendenti, cauſam præbuere, ut à propoſito meo deflecterem, atque hiſtoriam meam, ab incunabulis huius urbis, altius repeterem. Cum vero meum non ſit, in alienam meſſem falcem meam immittere, eam ob rem, ea ſaltem particulatim narrabo, quæ ad annum ſupra milleſimum quadringenteſimum trigeſimum quartum uſque, in ipſa urbe geſta ſunt, quæ foris obtigere, eatenus tractaturus, quatenus ea, ad res in urbe geſtas cognoſcendas atque illuſtrandas, facere videri queant. Hos vero annos egreſſus, particulatim utramque partem tractabo: Quo vero hæc hiſtoria ab omnibus, omnique tempore melius percipiatur ea ob rem prius quam res Florentinorum adgrediar, qua ratione Italia in eorum manus devenerit, qui hodiernum imperia in ea obtinent, mihi enarrandum erit, quæ quidem omnia, tam ea quæ in urbe, quam univerſa Italia geſta ſunt, quatuor libris abſolventur. Primus ſiquidem ea, quæ declinante Imperio Rom. in Italia uſque ad annum 1434. accidere, univerſaliter*

erſaliter complectetur. Secundus ab exordio rbis Florentinorum, in bellum, quod profliga- Duce Athenienſi, cum Pontifice geſtum fuit, eſinet. Tertius ad mortem Regis Neapolitani Iladislai, in annum 1414. atque hinc quar- us ad 1434. annum pertinget: inde particu- latim, tam ea quæ in urbe, quam foris ad hacuſque tempora noſtra ſucceſſere, conſcribentur.

DE MIGRATIONIBUS POPULORUM SEptentrionalium, poſt devictos à Mario Cimbros; & De Ruina Imperij Romani LIBER, factus ex Italico ſermone Latinus.

SEPTENTRIONALES populi, qui ultrà Rhenum & Danubium habitant, quoniam in regione populoſa naſcuntur, & quæ aerem habet ſaluberrimum, ſæpe excreſcũt in eam multitudinem, ut pars aliqua illorum patria relicta, novas ſedes novaque domicilia quærere cogatur: Quod cùm faciunt, univerſam multitudinem partiuntur in partes tres, quarum ſingulæ è nobilibus ſimul ac plebeis, è locupletibus item & egenis hominibus conſtant. Ex his partibus ea, quam ſors definierit, emigrat, & fortunam ſuam experitur in quærendis novis ſedibus: reliquæ domi remanent, & ſolæ perfruuntur patriæ commodis. Hæ igitur illarum gentium emigrationes, cauſa fuerunt ruinæ Imperii Romani. Sed occaſionem ei rei dedere ipſimet Imperatores, qui relicta antiqua Imperii ſede urbe Romana, ubi Conſtãtinopoli cæperunt habitare, partem occidentalem Imperii debilitarunt. Nam & ipſi deinceps negligentius eam adminiſtrarunt, & expoſuerunt avaritiæ & rapinis cùm præfectorum, tum etiam hoſtium. Ut autem everteretur tantum Imperium, ſanguine & virtute præſtantiſſimorum hominum partum, non equidem oportebat ſegnes & ignavos eſſe principes, infideles miniſtros, denique neque inconſtantes, neque animi abjecti eos, qui exitium illi machinarentur. Itaque non unius tantùm, ſed multorum populorum migrationes in perniciem ejus conſpirarunt. Verùm ex Septentrionalibus populis, poſt devictos à Mario Cimbros, primum omnium illud oppugna-

Cauſa & occaſio ruinæ Imperii Romani.

Gothorum occidentalium irruptio

runt Veſtrogothi, ſeu Gothi occidentales, qui bello inconfinibus moto, pace ac permiſſu Imperatorum multis annis ſedes ſuas habuerunt ad Danubium. Et quanquam variis ex cauſis, ſæpè & diverſis temporibus bellum moverint Imperio, fuere tamen ſemper repreſſi ab Imperatoribus: tandem glorioſiſſimè eos devicit Theodoſius: ita redacti ſub illius poteſtatem vivebant ſine rege, & ſtipendiis ac armis ſuis cōtenti, ſub Imperio militabant. Cùm autem è vivis excederet Theodoſius, relictis Arcadio & Honorio filiis, hæredibus quidem Imperii, virtutis autem & fortunæ nequaquam: omnis rerum ſtatus ſimul cum principe mutabatur. Erant tres Imperii partes tribus præfectis mandatæ. Ruffino Orientalis, Occidentalis Stiliconi, Gildoni Africana, qui mortuo Imperatore, partes illas non tam gubernabant, quàm ceu proprias poſſidebant. Sed Gildo & Ruffinus in ipſo ſtatim initio gubernationis opprimebantur: Stilico egregius nequitiæ ſuæ diſſimulator, in hoc unum incumbebat, ut gratiam novorum Imperatorum ſibi conciliaret, omnem tamen rerum ſtatum perturbabat, quò facilius deinde ipſe imperio poti-retur. Quò igitur Veſtrogothos ab amicitia Imperatorum ſejungeret, autor erat, ne ſtipendia ſolita in poſterum iis exolverentur. Præterea, quoniam arbitrabatur eos ſolos non ſatis virium habituros; ad perturbandam tanti Imperii tranquillitatem, efficiebat ut Burgundi, Franci, Vandali, & Alani, populi item Septentrionales (qui etiam tum novas ſedes quærebant) provinciis Imperii bellum inferrent. Sic Veſtrogothi ſtipendio privati, ut injuriam illatam, ulciſcerentur, Regem eligebant Alaricum, & hoſtiliter oppugnantes Imperium, poſt varios rerum eventus, depopulabantur univerſam Italiam, urbemque Romam expugnabant. Hac victoria potitus Alaricus diē obit, cui ſuccedebat Adaulphus, qui uxorē ducebat Placidiā, Imperatorū ſororem: qua affinitate contracta, conveniebat inter eos, ut Galliæ ſimul & Hiſpaniæ provinciis opem ferrent, quæ à Vandalis,

Theodoſius I. Imp.

Arcadius & Honorius Imp.

lis Francis Burgundis, & Alanis erant occupatæ, propter cauſas ſuprà recitatas. Ac Vandali quidem ex Hiſpania Bætica ejecti per Veſtrogothos, in Africam vocabantur à Bonifacio, ejus regionis præſide; qui cùm rebellis fuiſſet Imperatori Romano, metuebat ne machinationem iſtam ſuam Imperator reſciſceret: Ideoque faciliores erant Vandali ad illius preces, ac duce Genſerico Africam occupabant.

Genſericus Vandalorum Rex.

Succeſſerat interea in Imperio Theodoſius, Arcadii filius: is cũ exiguam admodum curam haberet rerum occidentalium, ſpem maximam faciebat devaſtatoribus iſtis, retinendi provincias, quas occupaverant. Itaque in Africa Vandali, in Hiſpania Veſtrogothi regna ſibi conſtituebant: Franci & Burgundi nõ modò Galliã omnẽ tenebant, verumetiã regiones quas occupaverant, ſuo nomine appellabant, alterã Franciã alterã Burgundiam, Porrò horũ populorum felix ac fortunatus ſucceſſus, novam devaſtationem peperit Imperio: Nam alii populi, quos Hunnos appellant, occupabant Pannoniam regionem ad Danubium ſitam, quam etiamnum hodie vocamus Hungariam: Imperator verò ex omni parte oppugnatus, quò pauciores haberet hoſtes, nunc cum Vandalis, nunc cum Francis pacem inibat: Quæ res vires & potentiam Barbarorum adaugebat, Imperii imminuebat. Nec verò Britannia inſula, quæ *Anglia* hodie eſt, tuta erat ab ejuſmodi incurſionibus. Nam cum Britones ſibi timerent ab iis, qui Franciam occupaverant, & viderent ſe ab Imperatore juvari non poſſe, Anglos Germaniæ populos in auxilium vocabant, qui etiam Rege & Duce Vortigerio, patrocinium illorum ſuſcipiebant. Ac primum quidem defendebant eos, deinde expellebant ex ea inſula, ipſi eam occupantes, & ſuo nomine Angliam appellabant Sic ejecti è patria Britones, neceſſitate ferociores reddebantur. Ac licèt proprias ſedes defendere non potuiſſent, ſpem tamen optimam concipiebant de alienis potiundis. Itaque trajecto mari, cum univerſa familia, vicina littoris loca occupabant, voca-

Theodoſius II. Imp.

Franciã Burgundia.

Britannia.

bantque ex nomine ſuo Britanniam. Sed & Hunni, qui, ut ſuprà dictum eſt, Pannoniam occupaverant, Gepidis, Herulis, Thuringis & Oſtrogothis ſeu Gothis orientalibus ſe adjungebant, atque iterum quærebant novas ſedes, cumque Franciam occupare non poſſent, quòd illa ſe egregiè tutaretur adverſus vim Barbarorum; impetum faciebant in Italiam, Attila duce, qui vt ſolus potiretur regno, paulò antè interfecerat fratrem Germanum, Bledam nomine, eoque ex parricidio factus erat potentiſſimus. Reliqui, vt Audaricus Gepidarum, & Valamir Gothorum Orientalium Rex, ſubditi magis ejus erant in eo negocio quàm ſocii. Italiam ingreſſus Attila Aquileiam obſidebat toto biennio, & depopulabatur omnem agrum vicinum incolis ejectis, quæ res urbi Venetæ initium dedit, ut inferius dicemus. Potitus Aquileia multisque aliis civitatibus, Romam ſe conferebat cum exercitu: ſed exoratus precibus Pontificis Maximi, nihil damni dabat urbi: quinetiam tanti apud eum valebat illius autoritas, ut Italia relicta, rurſum ſeſe in Auſtriam reciperet, ubi tandem expiravit. Eo vita defuncto, Valamir Oſtrogothorum Rex, & aliorum populorum principes, bellum movebant filiis Attilæ, Tenderico & Eurio, interfectoque altero illorum, eò alterum redigebant, ut cum Hunnis ſuis flumen Danubii trajicere & in patriam ſeſe recipere cogeretur. Pannonia ab Oſtrogothis occupabatur, Gepidi, Heruli ac Thuringi ad ripam Danubii conſidebant. Jam verò liberata Italia ab Attila, unum hoc agebat Valentinianus Imperator, ut in priſtinum ſtatum eam reduceret: quod quò rectius efficere poſſet, & ut commodius eam defenderet ab incurſionibus barbarorum, relicta urbe Roma, Ravennam transferebat Imperii ſedem. Omnium igitur malorum, & ruinæ Imperii Occidentalis, cauſa & occaſio fuit, quòd Imperatores Conſtantinopoli habitantes ſæpè illud aliis conceſſerant gubernandum, ut pote rem difficilem factu, & quæ ſumptus maximos requireret: Sæpè etiam cives Romani inter ſe ipſi creabant

Gothorum Orientaliũ irruptio.

Attila Hunnorum Rex.

Valamir Gothorum Rex.

Valentinianus Imp.

ant Imperatorem, quando videbant aliorum auxi-
o ſe deſtitutos: Sæpè aliquis illorum propria auto- *Maximus*
tate uſurpabat ſibi titulum Imperatoris, ut Maxi- *Imp.*
ius poſt mortem Valentiniani, qui etiam Eudoxam
emortui Imperatoris uxorem cogebat, ut ſibi nu-
eret; quare illa commota ut eam injuriam ulciſce-
etur, cum ex Imperatoria ſtirpe eſſet prognata, ac
rivati hominis conjugium ferre non poſſet, Genſe-
cum accerſebat in Italiam, Vandalorum & Africæ
egem, monſtrabatque ei quàm facile ſit regione il-
potiri, quàm item utile & commodum. Hac præda
llectus Genſericus, impetum faciebat in eam
urbem Romam omni defenſione ac patrocinio
ſtitutam ſpoliabat, manſitque in ea per dies 14. Oc-
ipabat præterea multa alia Italiæ loca, poſt ſpoliis
mnis onuſtus, revertebatur in Africam. Cives qui
urbe aufugerant, rurſum ſeſe in eam recipiebant,
Maximo interfecto, Imperatorem creabant, Avi- *Avitus*
m nomine. Quæ omnia dum partim in ipſa Italia, *Imp.*
rtim extra eam geruntur, poſt multos & varios
ſus, & poſt multorum Imperatorum mortem, de-
lvebatur Imperium Conſtantinopolitanum ad *Oreſtes &*
enonem: Romanum, ad Oreſtem & Auguſtulũ fi- *Auguſtulus*
ım Oreſtis, ſed ii fraude & dolo occupabant illud, *Impp.*
ımque vi conarentur retinere Heruli & Thuringi
uos dixi mortuo Attila ad Danubii ripam conſe-
ſſe) confœderati, duce Odoacro impetum in Ita- *Odoacer*
am faciebant, & quæ illi non occupabant loca, ea *Rugianus.*
ongobardi populi quoque Septentrionales, juſſu &
ipendiis Godoglii regis ſui ſuccedebant, fueruntque
tima Italiæ peſtis, quemadmodum ſuo loco dice-
ius. Odoacer ubi in Italiam venit, prælio vincit O-
ſtem, eumque interficit ad urbem Ticinum, Au-
ıſtulum conjicit in fugam. Ea victoria potitus, ut
rbis Romæ nomen ſimul cum potentia mutaret,
eglecto Imperii titulo, Romæ & Italiæ Rex appella-
volebat, ac primus omnium inhabitabat Italiam,
earum gentium principibus, quæ tum vagaba-
r in orbe, atque novas ſedes quærebant, alii depo-

pulati tantum fuerant, quia animadvertebant facilè eam defendi poſſe ab Imperatoribus Orientalibus, vel aliam fortaſſe ob cauſſam, poſt in alia loca ſe receperant, in quibus ipſi quoque tutò & tranquillè commorarentur, Ad eum modum ſerviebat vetus Imperii Romani dignitas & ſplendor, principibus exteris. Ac Zeno quidẽ Orientale imperiũ tenebat; Oſtrogothi Myſiam & Pannoniã: Veſtrogothi, Suevi & Alani, Caſcoviam & Hiſpaniam; Vandali Africã; Franci & Burgundi Franciam; Heruli & Turingi Italiam.

Theodoricus Gothorum Rex.

Pervenerat autem regnum Oſtrogothorum ad Theodoricum nepotem Valamiris, qui cum Zenoni eſſet amicus, per literas ei ſignificabat, rem indignam videri ſuis Oſtrogothis, nullam admodum aut exiguam rationẽ illorum haberi in imperio, cum & virtute & re bellica alios longè antecellerent, nec poſſe illos ſeſe intra limites Pannoniæ continere. Itaq; cũ, quemadmodum eos cohiberet, rationẽ non inveniret, quominus novas ſedes quærerent, ſuadere ſe illi, ut rebus ſuis conſulat, & regionem aliquã concedat, in qua honorificè & cum venia ipſius habitent. Tum Zeno partim metu, partim ut Odoacrum ex Italia eiiceret, permittebat Theodorico bellu alteri moveret, & ipſe occuparet Italiã. Ille igitur relictis in Pãnonia Gepidis amicis, ubi in Italiã venit, Odoacrum ſimul cũ filio interficiebat, ejusq; exẽplo ſumebat ſibi titulũ regis Italiæ, ſede regia in urbe Ravẽna conſtituta, eadem ex cauſa qua Valentinianus Imperator. Fuit hic Theodericus vir egregius in ſago pariter & toga: Nam & feliciſſimus erat in bello; & optimè proſpiciebat ſubditis. Diſpertiebatur etiam ad eum modum Oſtrogothos ſuos cum illorum præfectis, ut & belli tempore imperare iis poſſet, & pacis, ſi opus eſſet, eos in officio continere. Urbem Ravennam amplificabat, Romam inſtaurabat, omnibus priſtinæ dignitatis titulis reſtitutis civibus, una militari diſciplina excepta. Arcebat præterea ſola autoritate ſua Reges barbaros, Imperii hoſtes, deniq; munitio-

nes

s aliquot conſtruebat intra fauces Alpiū ac maris driatici, ut omnem occaſionem irruendi in Italiam vis barbaris intercluderet. Ac niſi ille tot egregi- virtutes, quibus præditus erat, contaminaſſet cru- litate, cum ſuſpectos haberet nonnullos affectati gni (quemadmodum Symmachi & Boëtii inno- entiſſimorum hominum mors & interitus oſtendit) igna, me hercule! erat ejus memoria ſumma & per- etua laude. Non modò enim urbē Romam & Italiā niverſam, verum cæteras quoq; provincias Imperii occidentalis à continuis illis barbarorum incurſioni- bus, quas tot annis à tā immani colluvie illorū ſuſti- nuerant, liberaverat virtute & probitate ſua, & in ordinem ſtatumq; ſatis felicem reduxerat. Certè ſi unquā tempora miſera & calamitoſa fuerunt Italiæ, atq; aliis provinciis, quæ à barbaris vexabantur fuere illa, ab Arcadio & Honorio ad hunc usq;. *Nam ſi quis perpendat, quàm pernicioſum ſit Rebuſp. aut regnis, mutare principes formamq; gubernationis, non ob extraneam aliquā potentiam vel vim, ſed ob levem aliquam diſcordiam, & ſimultatem, videatque quàm vel exigua aliqua mutatio no- cere poſſit, quantumvis potentiſſimis opulentiſſimisq;, facile intelliget, quantum mali eo tempore Italia, aliæq; provinciæ Imperii Romani ſint perpeſſæ, cùm non ſolum formam gu- bernationis mutarunt, verumetiam leges, inſtituta, mores, religionem, linguam, veſtitum, nomina: quæ vel ſingula per ſe fortiſſimum quemque movere poſſent, ſi audiat ea facta eſſe, nedū ſi videat, aut ipſe experiatur.* Fuit Præterea hæc perturbatio rerum multis civitatibus exitio, multis cauſa ut extruerentur, multis deniq; ut ampliaren- tur, fierentq; opulentiores. Inter eas quæ devaſtabā- tur, erat Aquileia, Luna, Cluſiū, Populonia, Feſula, aliæq; multæ. Quæ à novo extruebātur, Venetiæ, Se- na, Ferraria, Aquila, multæq; aliæ civitates & oppida quæ brevitatis cauſa omitto. Quæ ampliſſimæ & po- tentiſſimæ ſunt factæ, Florentia, Genua, Piſæ, Medio- lanū, Neapolis, Bononia, quibus omnibus urbis Ro- mæ reparatio annumerari poteſt, pluresq; aliæ civi- tates, quæ nunc devaſtatæ fuerunt, nunc reædificatæ.

Mutatio in Imperiis periculoſa.

Nata etiam eſt ab iſtis exteris nova & inuſitata lingua, quemadmodũ certum eſt, linguá, qua vel Galli & Hiſpani, vel Itali nunc utuntur, factá eſſe ex antiqua illa Romana, & ea qua Barbari iſti utebantur. Nec verò provinciarũ tantũ nomina fuere mutata, ſed etiá ſtagnorũ, fluminũ, mariũ & hominũ: eſtq; Gallica ſimul & Italica ac Hiſpanica lingua, refertiſſima hujuſcemodi novis ac peregrinis rerũ vocabulis, quę prorſus ignoravit antiquitas. Atq; ut alia infinita propemodũ omittá, videmus hoc in vocabulo Po, Garda, Archipelago, quibus longè alia in ſignificatione uſi ſunt veteres. Sic loco Cæſarũ & Pompeiorũ: habemus Petros, " Ioannes, Matthæos. *Omniũ verò maximè deploranda eſt* " *religionis mutatio. Vbi enim cõſuetudo religionis veteris pu-* " *gnat cũ miraculis recẽtis aut novæ, fieri nõ poteſt, quin gravi-* " *ſſimæ diſſẽſiones oriantur inter homines.* Et licèt trãquillus fuiſſet ſtatus religionis Chriſtianæ, nõ tamẽ defuiſſẽt alię diſſẽſiones: Sed cũ etiá inter ſe cõtẽderent. Eccleſia Romana, Græca, & Ravẽnẽſis, pręterea ſectę hæreticorũ cũ Catholicis, non mirũ ſi ea res perturbationẽ maximá peperit in univerſo orbe. Teſtis eſt ejus rei Africa, quę plus mali & incõmodi capiebat è ſecta Ariana, qua infecti erát Vãdali, q̃ vel ab avaritia eorũdẽ, vel crudelitate iis innata. Igitur in tãta rerũ cõfuſione & tumultu, omniũ animi metu maximo erát perculſi. Præterquam enim, quòd nullus eſſet finis civiliũ malorũ in plurimis etiá ſtudiũ religionis extinguebatur, & vera Dei invocatio, in qua tamẽ aliàs afflicti omnes ſpẽ ſuá & fiduciá ponere ſolẽt. Ná & propter diſſẽſionẽ in religione, incerti erant multi, quẽ ná Deũ invocarent, & divino pariter ac humano auxilio deſtituti, miſerrimè vitá cũ morte cõmutabant. Quare, ut antè dixi, laudẽ maximá meretur Theodoricus quòd primus omniũ remedium adhibuerit huic malo, & in eũ ſtatũ reduxerit Italiá iis XXXVIII. annis, quibus ei imperavit, ut ex ruinis omnibus, & devaſtatione, qua barbari eam affecerant, vix amplius veſtigium aliquod conſpici in ea poſſet.

Schiſmata & hæreſes.

At verò eo mortuo, cùm ei ſuccederet in gubernatione

natione Attalaricus, nepos ex filia Amaloſuintha, paucos poſt annos ad priorem ſtatum revertebantur res Italiæ; nondum etiam adhuc ſatis confirmatæ recenti fortuna ac felicitate. Nam & Attalaricus paulò poſt avum moriebatur, & mater in eo regno ſuccedens trucidabatur à Theodato quem ideo acceſſiverat in aulam, ut ope & conſilio ipſius in gubernatione uteretur. Itaque hic, quòd & regina è medio ſublata fuerat, & ipſe ſe gereret pro rege, exoſus Oſtrogothis, occaſionem præbebat Juſtiniano ejiciendi ipſum ex Italia, eamque ad rem Beliſarium conſtituebat ducem Juſtinianus, qui Africam antea devicerat, reſtitueratque Imperio, Vandalis ejectis. Ac principio quidem Siciliam occupabat Beliſarius, indè Italiam ingreſſus, Romam ſimul ac Neapolim. Ea re intellecta Gothi Theodatum interficiebant, cauſam nimirum tanti mali, & Vitigem ſubrogabant in illius locum, qui & ipſe poſt conflictus aliquot, obſeſſus à Beliſario, Ravennæ in illius veniebat poteſtatem. Vix autem potitus erat hac victoria Beliſarius, cum Juſtinianus eum revocat, ſubrogatis ei Joanne & Vitali, admodum diſſimilibus priori; ſive de virtute loquamur, ſive de moribus, aut fortuna. Quapropter animum recolligebant Gothi, & rurſum ex ſe eligebant Regem Ildoadum urbis Veronæ præfectum: quo ſimiliter interfecto, ſuccedebat in illo regno Totila. Hic rupto exercitu Imperatoris, Tuſciam ac Neapolim recuperabat, iterumque certis ſuis præfectis diſtribuebat loca quæ Beliſarius occupaverat. Cogebatur itaque Juſtinianus Beliſarium novo cum exercitu in Italiam remittere; verùm cum is infirmus admodum eſſet, plus obſcurabat eo Beliſarius gloriâ & autoritatem antea partâ, quàm ut novam aliquam ſibi cõpararet: namq; Oſtiæ conſederat, cum eo invito & conſpiciente quodammodo vrbẽ Romã Totila expugnaret. Et quamvis captam jam difficulter relinqueret, tamen quia deſperabat eã ſe retinere poſſe, devaſtata ea maxima ex parte, ejectisq; inde hominibus plebeis, & ſenatoribus ſecum abductis, nihil

Attalaricus Gothorum Rex.

Juſtinianus Imp.

Vitiges Oſtrogothorum Rex.

Ildoadus Gothorum Rex.

Totila Gothorum Rex.

metuens Beliſarium, in Calabriam exercitum ſuum ducebat, ut copias, quæ è Græcia auxilio veniebant hoſti, impediret. Romam præſidiis deſertam Beliſarius occupabat, mœnia reficiebat, cives qui vel ipſi inde aufugerant, vel ejecti erant, in eam revocabat. Sed ſtatim adverſabatur fortuna tam laudabili ejus cœpto: revocabatur enim à Juſtiniano, cui Parthi moverant bellũ, & Italia egreſſus cogebatur eã Totilæ relinquere, à quo iterũ occupabatur urbs Romana, licet nõ ita devaſtaretur ut antea, imò aliqua ex parte inſtauraretur. Tantum nimirum valebant apud eum preces Benedicti Abbatis, qui tum maximam habebat opinionem ſanctitatis. Interea pacem faciebat cum Parthis Juſtinianus, ut Italiæ ſuccurreret, ſed impediebatur à Sclavis, quò minus id præſtare poſſet, novis populis Septentrionalibus, qui trajecto Danubio Illyriam ſimul, ac Traciam bello infeſtabant, & Totila univerſæ propemodum Italiæ imperabat.

Narſes. Mittebatur deinde à Juſtiniano, poſt devictos Sclavos, in Italiam Narſes eunuchus, homo exercitatiſſimus in re militari. Hic cum Totilam in pugna interfeciſſet, quæ ex Gothis manſerant reliquiæ, Ticinum ſe recipiebant, & Teiam quendam conſtituebant Totilæ ſucceſſorem. Hac victoria potitus Narſes, urbem Romam recuperabat, pòſt commiſſa ad Nuceriã pugna, Teiam quoq; interemit, cæſo fugatoq; illius exercitu. Ita prorſus extinguebatur nomen Gothorum in Italia, in qua illi à Theodorico ad Teiam usq; annis LXX regnaverunt. Vix autẽ liberata erat à Gothis, cum Juſtinianus quoque diem ſuum obibat, relicto filio Juſtino hærede & ſucceſſore in Imperio, qui, Sophiæ uxoris ſuæ conſilium ſecutus, Narſen ex Italia revocans, Longinum in illius locum ſubrogabat. Habebat is Ravennæ ſuam aulam, anteceſſorum exemplo, ac novam formam adminiſtrationis conſtituebat in univerſa Italia: neq; enim proviciis tantum certos imponebat præfectos, quẽadmodum Gothi fecerant antea, verum ſingulis quoq; civitatib. & locis præſtantioribus, quos duces appellabat, neq

Teias Gothorum Rex.

Juſtinus Imp.

pluris

pluris faciebat urbem Romam in ea diſtributione, quàm aliâ quamcunque. Abrogabat conſules & Senatum, qui tamen ſemper manſerat in ea urbe, ac ducẽ quendam in illius locum ſubſtituebat, quem ſingulis annis Ravennâ miſſum eò, *ducem Romanum* appellari volebat, ſicuti alium qui Ravennæ cõmorabatur, & univerſæ Italiæ præerat, *Exarchum*. Verum enimvero plus oberat Italiæ, quàm proderat hæc gubernandi forma: Nam & occaſionem dabat Longobardis, ut eò facilius eam occuparent, & auferebatur ab illa ratio gubernãdi longè pulcherrima, morte ac virtute multorum hominum comparata. Deniq; non ſatis erat Sophiæ, ut Narſen ex ea revocaret, ſed domũ reverſum probris quoq; afficiebat, dicens, ideo ſe eum revocaſſe, ut ipſe quoq; cum cæteris Eunuchis fila columq; traheret. Quare ira percitus Narſes, Alboino Longobardorũ Regi, Pannoniã eo tempore tenenti, autor erat, ut ipſe Italiã occuparet; Nam, ut ſuperius dictũ eſt, conſederant Longobardi iis in locis ad Danubium, quæ ab Herulis & Turingis derelicta erant, cum ſub Odoacro illorum Rege militarent in Italia. Jamq; ea inhabitaverant ad hujus Alboini uſq; gubernationem, hominis ferociſſimi audaciſſimiq;, ubi Danubio trajecto bello ſuperabant Cunimundum Gepidarum Regem, Pannoniã tenentem: cumq; etiam Roſimunda Cunimundi filia prædæ loco iis contigiſſet, in uxorem eam ducebat Alboinus, ſimulq; Pannonia potiebatur. Erat is, ut dixi, natura admodum ferox, & motus ea ferocia, poculum faciebat è craneo capitis Cunimundi, è quo biberet deinceps in memoriam partæ de illo victoriæ. Vocatus igitur à Narſete Alboinus, cujus amicus fuerat bello Gothico, relicta Pannonia Hunnis, (qui, ut ſuprà dixi, Attila demortuo in provinciam hanc, patriam nimirum, erant reverſi) & Italiam ingreſſus inteſtino bello laborantẽ, & in factiones ſciſſam, illicò potiebatur Ticino, Mediolano, Verona, & Vicentia, præterea univerſa Tuſcia, ac bona parte Flaminiæ, quã Romandiolã hodie vocant. Et quoniã perſuaſum illi erat, tota jam Italia ſe poti-

Alboinus Longobardorum Rex.

ſepoſiri, regium convivium inſtituebat in urbe Verona;in quo cum benè potus eſſet, ex nimia ingurgitatione,uxori Roſimundæ,quæ è regione ſumebat cibũ,craneum Cunimundi vino repletum perferri jubet,& addit (ita ut exaudiri ab ea poſſet) velle ſe, ut in tanta omniũ hilaritate& lætitia,ipſa quoq; bibat cum ſuo patre. Hac voce quaſi vulnus infligebatur pectori Roſimundæ,deliberat igitur,quo pacto injuriam tam gravem ulciſceretur. Cumq; ſciret nobilem quendam Longobardum,cui Helmechildi erat nomen, juvenem & ferocem,unam ex pediſſequis ſuis amare, agebat cum eadem,aſtu efficeret,ut Helmechildis loco ipſius rem ſecum haberet: Quod cùm feciſſet, & juvenis in eum locum,quem ei pediſſequa deſignaverat,veniſſet, cum Regina concubuit, quòd & locus obſcurus eſſet, & ancillam eam eſſe arbitraretur: Sic regina illius amore potita, omnem ei rem & conſiliũ aperiebat,oſtendens quàm in illius manu ſit poſitum, ut interfecto Alboino ſe ſimul ac regno potiretur: ſin aliter faciat, fore ut ipſe interficiatur ab Alboino, & ſtupri illati pœnas perſolvat. Gerebat morem reginæ Helmechildis,& Alboinum interficiebat: ſed cum videret regno ſe potiri non poſſe, & metueret ne viciſſim obtruncaretur à Longobardis, quibus admodum charus fuerat Alboinus,collecto omni regio theſauro, Ravennam confugiebat, unà cum uxore adultera ad Longinum, à quo honorificentiſſimè excipiebantur. Jam verò diem ſuum obierat Juſtinus Imperator, & Tiberius, qui in locum illius ſucceſſerat, bello Parthico impediebatur, quo minus Italiæ opem ferret. Itaque Longinus, ratus occaſionem ſibi oblatam potiundi theſauro illo & toto regno Longobardorum, deniq; univerſa Italia, ſuadebat Roſimundæ, ut interfecto marito ſibi nuberet. Placebat mulieri hoc conſilium, & poculum vino venenoq; mixtum, Helmechildi è balneis exeunti atq; ſitienti porrigebat:cujus mediam partem ubi ille ebibiſſet,jamq; cruciatus ſentiret in corpore, & rem intelligeret, vi adigebat Roſimundam,ut quod reliquum erat in poculo,

Tiberius Imp.

lo,ipſa exhauriret. Sic paucas poſt horas ambo extinguebantur,& Longinus quoq; fruſtrabatur ea ſpe & expectatione, quam de potiundo regno conceperat. Elegerant interea Longobardi Clephem Regem in urbe Ticini,quæ regia illorum erat.Is Imolam reædificabat, quam Narſes antè devaſtaverat.Occupabat & Ariminum, totumque illum tractum ab eo loco, ferè Romã uſq;:tandẽ in medio curſu victoriæ florentiſſimæq; fortunę,moriebatur:Erat autẽ natura crudeliſſimus nõ erga exteros tantũ,verũ etiã in ſuos. Quare partim ſeveritate illius territi Longobardi,partim regiæ poteſtatis pertæſi,interfecto eo , nolebat amplius unius alicujus imperio & poteſtati ſubeſſe,Duces inter ſe cõſtituebant XXX. numero,quæ res deinde detrimento maximo iis fuit, fecitq; ut nunquã univerſa Italia potirentur,nec imperiũ ſuũ unquam ultra Beneventũ extenderent:deniq; ut & urbs Romana,Ravenna,Cremona,Mantua,Pataviũ,Mons Silius,Parma,Bononia, Faventia, Forum Livii, item & Ceſena urbes, diu admodum ſe adverſus eos defenderent, vel omnino non ab iiſdem occuparentur. *Quia enim rege tanquam capite destituebantur Longobardi, minus proclivi erant ad militiam: atque licet novum aliquem ex ſuis eligebant, tamen aſſueti jam per aliquod tempus libertati, minus ei obediebant, quàm par erat, diſſenſionibus vexabantur, & odio inteſtino, quæ res victoriam omnem illis adimebat, & tandem ex Italia ejiciebat.* Cum igitur is eſſet Longobardorum ſtatus, ea lege pax inibatur inter eos, Longinum, & populum Romanum, ut depoſitis ex utraque parte armis, ea quiſque retineret,quæ occupaverat.

Clephes Longobardorũ Rex.

Tyranni XXX.

Cœperunt hoc tempore Pontifices Romani majori eſſe in dignitate, quàm antea fuerant: Prius enim poſt Petrum Apoſtolum, propter vitæ ſanctimoniam, & miracula ſolummodo obſervabantur, ac tantum proderant exempla illorum fidei Christianæ, ut volent nollent principes cogerentur amplecti illorum religionem, quo confuſionem illam, quæ in mũdo erat, è medio tollerent, & ad meliorem ſtatum reducerent. Etſi autem negari non poteſt, tum ſtatum adauctem

Initium dignitatis Pontificiæ.

Pontifi-

Pontificum autoritatem, cum Imperatores Romani Chriſtianam fidem amplexi, relicta Roma Conſtantinopoli cœperunt habitare, quo tempore & ruina Imperii Romani cœpit, ut jam ante demonſtravimus: quia tamen ad hanc Longobardorum usq; ætatem ſemper habuit Italia Imperatores, vel Reges, vix alia erat Pontificum dignitas & æſtimatio, præter eam, quam, ut dixi, vitæ ſanctimonia ſibi paraverant, & doctrina. In aliis rebus Imperatoribus aut regibus obediebant, ſæpè etiam ad ſupplicium ab iisdem rapiebantur. Ac ſi quid unquam dignitatis Pontificibus in Italia antea acceſſit, id omne à Theodorico venit Gothorum Rege, cum is Ravennam regiam ſuam transferret. Tum enim Roma ſine principe relinquebatur, & cives Romani eo libentius ſuberant Pontificibus, quòd tutò & tranquillè commorari ſub iis poſſent. Sed nihil aut perparum iſtud erat, & hoc unum obtinebant, ut Eccleſia Ravennenſis Eccleſiæ Romanæ eſſet ſubjecta. Cū autem Longobardi quoq; in Italiam jam venirent, & illa in factiones plurimas ſciſſa eſſet, adaugebatur Pontificia poteſtas hoc illorum adventu. Cùm enim Pontifex caput eſſet & princeps urbis Romanæ, Imperator verò Conſtantinopoli præeſſet, ita ſe tempori & præſenti rerum ſtatui accommodabant Longobardi, ac Longinus, ut mediante Pontifice, populum Romanum ſibi devincirent, non ut ſubditus illorum eſſet, ſed ſocius, & nunc horum, nunc Græcorum partes ſequentes Pontifices, mirum quàm adaugebant ſuam dignitatem. Quinetiam hæc potentia illorum cauſa erat ruinæ & interitus imperii Orientalis, cœpitque illud corruere ſub Heraclio Imperatore, cum Sclavi (quorum ſuprà fecimus mentionem) rurſum bellum inferrent Illyriæ, eamque occupatam ſuo nomine Sclavoniam appellarent: quo etiam tempore idem Imperium ex altera parte à Perſis oppugnabatur, pòſt à Sarracenis, qui ex Arabia venerant duce Mahomete, poſtremò à Turcis. Quoniam igitur Syria, Africa, & Ægyptus

Ruina imperii in Oriente.

Sclavonia.

ptus ademptæ erant huic imperio, fruſtra implora-
bat opem & auxilium illius Pontifex Romanus, ſi
quando moleſtaretur ab aliis: in Italia vis & potentia
Longobardorum augebatur. Quare novam ſibi ami-
citiam contrahendam ratus, cum Galliarum rege eā
inibat. *Sic omnium propemodum bellorum, quæ ab eo tēpore*
in Italia geſta à barbaris ſunt, cauſa & occaſio fuere Pontifices, "
& ipſimet ut plurimum attraxerunt neam barbaros, idemq; " *Pontifices*
adhuc ſolent facere: deniq; hæc una res robur atq; vires Italiæ *Romani*
fregit frangitque noſtra hac ætate. Quapropter in re- *cauſa omni-*
citandis iis quæ poſt ea tempora geſta ſunt, ad noſtra *um malorū*
usq; nihil dicam amplius de Imperii Romani ruina *in utroque*
& interitu; id enim jam humi proſtratum jacet. De *Imperio.*
Pontificibus ſermo habendus erit, deque aliis qui Ita-
liam gubernarunt, usque ad Caroli VIII. Gallia-
rum regis ætatem, ejusq; in eam adventum. Ita enim
intelligetur, quomodo Pontifices cenſura primum
omnibus injecerint metum, pòſt cenſura & armis
ſimul, quibus tandem indulgenciæ fuerunt admi-
xtæ, quàm abuſi ſint utroq; illo, quomodo item pror-
ſus amiſerint alterum, alterum ita retineant, ut aliorū
judicio & cenſuræ ſint ſubjecti. Ut igitur eò redeam,
unde ſum digreſſus: Cùm ad Pontificatum veniſſet
Gregorius III. occupabat Ravennam civitatem A- *Aſtulfus Lō-*
ſtulfus Longobardorum Rex, contra fœdera pacis, *gobardorū*
bellumq; movebat Pontifici. Itaq; Pontifex Impera- *Rex.*
toris orientalis auxilio diffidens, & perfidia Longo-
bardorum adductus, in Galliam deſcēdebat ad Pipi-
num II. ejus nominis regem, qui cum Auſtriæ antea *Pipinus*
& Brabantiæ imperaſſet, tunc etiam ad illius regni *Galliæ Rex.*
gubernacula pervenerat, non tam propria virtute,
quàm parentis ſui Caroli Martelli, & Pipini avi.
Commiſerat n. hic Carolus illam memorabilem
ſtragem ad Turonem urbem in flumine Era, qua ul-
tra CCM. Sarracenorum perierant, & ſpes maxi-
ma erat, filium non minus utilem futurum patriæ,
quàm parens olim fuerat. Hujus igitur Pipini opem
& auxiliū implorabat Gregorius Pontifex, adverſum *Gregorius*
Longobardos, & Pipinus promittebat, ſi prius illum *III Pont.*
vidiſſet.

vidiſſet, ac honore debito affeciſſet, quamobrem nulla interpoſita mora, proficiſcebatur in Gallias Pōtifex, per hoſtiles Longobardorum regiones, nemine impediente: tantus nimirum honos habebatur eo tempore religioni. Ubi in Galliam venit, multis beneficiis afficitur à rege, poſt in Italiam remittitur cum exercitu, eoque Longobardos cingit obſidione Ticini. Hic neceſſitate coactus Aſtulfus, pacis conditiones petebat à Gallis, eaſque impetrabat adjuvante Pontifice, qui negabat ſe cupere mortem & interitum hoſtis ſui: ſed ut converteretur, ac viveret. Promittebat autem Aſtulfus ſe redditurum Eccleſiæ Romanæ regiones quas occupaverat, ſed fregit fidem datam, quam primum Galli ſe in patriam receperunt. Quare rurſum petit Pontifex copias militares à Pipino, quas cùm rex mitteret, cædebantur ab iis Longobardi, urbs Ravenna recuperabatur, & Pontifici donabatur à rege, vel invito Imperatore Græcorum, donabantur quoque eidem aliæ ditiones, Exarcho ſubjectæ. Præterea ager Urbinenſis, & Marchia Anconitana: quæ omnia dum Aſtulfus Pontifici tradit, moriebatur, & Deſiderius Thuſciæ dux militem colligebat, ut regnum illud defenderet. Petebat autem opem à Pontifice ad eam rem, & amicum ſe illi fore pollicebatur, daturumque ea quæ Aſtulfus promiſerat. Cumque Pontifex petitioni ejus annueret, aſſentiebantur & cæteri principes, regnūque ei concedebant. Ac initio quidem fidem datam ſervabat Deſiderius, tradebatque ea loca Pontifici, de quibus inter Pipinum & Longobardos convenerat: Nec amplius Exarchus è Conſtantinopoli mittebatur Ravennam, ſed nutu & voluntate Pontificis gubernabatur ea urbs.

Deſiderius Longobardorum Rex.

Carolus Magnus Galliæ Rex & Imperator in Occidente.

Theodorus Pont.

Mortuo Pipino, ſuccedebat in regno Carolus filius, cognomento *Magnus*, propter res egregiè geſtas: in Pontificatu verò ſucceſſerat Theodorus I. inter quem ac Deſiderium cum lites ortæ eſſent, Deſiderius Romam obſidebat, Pontifex Carolum in auxilium vocabat, qui per Alpes Italiam ingreſſus, conſtringe-

ſtringebat Deſiderium Ticini, captumq; cum filiis in
Gallias mittebat; deinde Romam proficiſcebatur, ut
Pontificem inviſeret. Quô cum veniſſet, decernebat,
ne Pontifex, Dei in mundo vicarius, ullius hominis
judicio in poſterũ eſſet ſubjectus. *Quam ob rem à populo* “
Romano Imperator ſalutabatur, cœpitq; Roma iterũ habere “
Imperatorẽ Occidentalẽ. Et cum antea Pontifices ab Impera- “
torib. ſoliti fuiſſent confirmari, ipſi nunc cœperunt opus habe- “
re Pontificum confirmatione & autoritate; perdiditq; exiſti- “
mationem ſuam Imperialis dignitas, acquiſivit Pontificia: & “
his artibus deinceps principib. politicis ſe prætulit. Fuerant
jam in Italia Longobardi annis CCXXXII. & nomi-
ne tantum ac origine erant exterii, re nequaquam.
His igitur Carolus, cum tempore Leonis III. Ita- *Leo. III.*
liæ regiones in certum ordinem redigeret, permit- *Pont.*
tebat, ut ea loca inhabitarent, in quibus nati ac e-
nutriti eſſent, eamque regionem à nomine ipſorum
Longobardiam appellarent. Aliam Italiæ partem, vi- *Longobar-*
cinam huic, & quæ Exarcho Ravennenſi fuerat ſub- *dia.*
jecta, *Romandiolam* appellari volebat, ut Imperii Ro-
mani nomen in honore eſſet apud vicinos Longo-
bardos, & metueretur. Creabat præterea Pipinum
filium ſuum Italiæ Regem, deſignata ei Juriſdictio- *Pipinus I-*
ne Bonaventum uſque. Quod reliquum erat in Italia, *taliæ Rex.*
Imperatori Græcorum concedebat, cum quo pacem
& amicitiam iniverat.

Pervenerat ſub id tempus ad Pontificatum Pa- *Paſchalis I.*
ſchalis, ejus nominis I. *Vbi paſtores Eccleſiarum urbis* *Pont.*
Romæ Pontifici vicini, & in electione ejus præſentes, quo *Initium di-*
munus ſuum ornarent ſplendido aliquo titulo, Cardinales *gnitatis*
ſe vocabant, & ipſi ſibi dignitatẽ maximam arrogabant; jam *Cardinali-*
enim excluſerant populum Romanum ab electione *tiæ.*
Pontificis: fiebatque, ut rarò alius quiſpiam eligere-
tur ad eam dignitatem, quam qui Romam inhabita-
bant. Paſchale itaque mortuo, creabatur in Pontif.
Roma Eugenius II. tituli S. Sabinæ, & Italia in ma- *Eugenius II.*
nu Gallorum exiſtente, iterum nonnihil mutaba- *Pont.*
tur forma gubernationis, quia Pontifex opulentiſſi-
mus erat factus, & iidem Galli, Comites & Marchio-

nes conſtituerant in ea, quemadmodum Longinus Exarchus, duces. Tandem poſt aliquot Pontificum è vita diſceſſum, perveniebat ad Pontificatum quidam patriâ Romanus, qui cum *os porci* vocaretur, mutato nomine, *Sergium* ſe appellabat, quod prius nomen eſſet obſcœnum, deditque hic anſam ſequentibus Pontificibus, cur electi nomina mutare ſoleant. Sed & Carolus interea mortuus erat, & hæredem Imperii reliquerat, Ludovicum filium. Quo ſimiliter vitâ defuncto, tantæ lites oriebantur inter liberos ipſius, ut nepotum deinde temporibus, Imperium Romanum à Gallis ad Germanos transferretur, fuitq; primus Germanorum Imperatorũ *Arnolphus* dictus. Nec verò Caroli familia Imperium Romanum tantum amittebat ob diſcordiam & odia inteſtina, verùm etiam regnum Italiæ. Nam & Longobardi iterùm animati, bello laceſſebant Pontificem populumque Romanum; & Pontifex cùm neminem haberet, cujus ope & auxilio niteretur, neceſsitate coactus, regem Italiæ creabat Berengarium, Fori Julii Ducem. Addebant & Hunnis, qui in Pannonia commorabantur, animum iſtæ rerum vices, ut rurſum bellum moverent Italiæ. Sed à Berengario repreſſi, in Pannoniam ſe recipiebant, ſeu Hungariam, ſic enim eam provinciam ſuo nomine appellaverant. Præerat tum temporis Imperio Græcorum Romanus quidã nomine, qui Conſtantino illud ademerat, cum præfectus claſſis illius eſſet. Huic in ea commutatione & viciſſitudine rerum, Apulia ſimul & Calabria rebellabant, regiones Imperio illius ſubjectæ, ut ſuprà demonſtravimus. Itaque ira & indignatione percitus, Sarracenis permittebat, ut bello eas regiones impeterent: quas cùm illi occupaſſent, Roma quoq; potiri conabantur. Interim tamen Romani urbem defendebant ſub Alberico Thuſciæ Duce, quem præfectum elegerant ad eam rem, quod Berengarius cum Hunnis eſſet occupatus. Soluta obſidione caſtellum extruebant Sarraceni in Gargano monte,

Sergius Pont.

Ludovicus Imp.

Imperium Romanum à Gallis ad Germanos translatũ.

Arnolphus I. Imp. Germanus.

Berẽgarius Italiæ Rex.

monte, unde Apuliæ ſimul ac Calabriæ imperare poſſent pro arbitrio, reliquas Italiæ regiones depopulabantur. *Sic triſtis admodum facies erat Italiæ ea ætate, & ſtatus miſerrimus. Ab ea parte, quæ Alpes reſpicit, ab Hunnis vexabatur: ab altera quæ Neapolim, à Sarracenis: durabatq; ea calamitas per annos multos, ſub tribus Berengariis, qui ordine ſibi invicem ſuccedebant.* Sed & ſtatus Pontificis, & Eccleſiæ maximè erat perturbatus, nec ab ullo habebat patrocinium, propter diſſenſioné principũ, in Imperio Occidentali, & quod vires imperii Orientalis fractæ eſſent. Devaſtabatur & urbs Genua ab iisdem Sarracenis, Piſæ incrementũ ſumebant; quia multi è patria ejecti paſſim ad eam urbem confugiebant, ſub annum Chriſti DCCCCXXXI.

Pôſt ubi ad gubernacula Imperii Romani perveniſſet Ottho, Henrici & Mathildis filius, Saxoniæ Dux, homo prudens, rogabat eum Agapetus Pontifex, ut Italiam à tyrannide Berengariorum liberaret. Erat autem ad hunc modum diſtributa eo tempore: Longobardia regebatur à Berengario tertio, ejusque filio Alberto: Thuſcia & Romandiola à præfecto quodam, quem Imperator Occidentalis ad eam rem deſignaverat: Apulia & Calabria partim Imperatori Græcorum ſuberant, partim Sarracenis. Romæ annuatim duo Conſules creabantur ex equeſtri dignitate, hi more majorum Rempub. illam gubernabant. Erat & præfectus quidam conſulib. adjunctus, qui rationem adminiſtrationis redderet populo: præterea collegium judicum 12. horum curâ, ut ſingulis annis novos præfectos conſtituerent locis Reipubl. ſubjectis. Pontificis autoritas Romæ & in Italia magna erát, vel exigua, pro ut eum amabant Imperatores, & potentiſſimi quique. Ottho igitur Italiam ingreſſus, regnum Berengariis adimebat, quod illi jam LV. annis tenuerant, priſtina autoritate Pontifici reſtituta. Habebat hic Imperator filium & nepotem ejusdem ſecum nominis, qui ordine in Imperio ei ſuccedebant: & tempore Otthonis III. Româ expellebatur à civibus Gregorius Pontifex.

Ottho I. Imp.

Agapetus II. Pont.

Gregorius V. Pont.

„ *Hunc quoniam idem Ottho reſtituebat priſtinæ ſuæ digni-*
„ *tati, cum in Italiam veniſſet, ut injuriam ſibi illatam ulci-*
„ *ſceretur Pontifex, omne jus & poteſtatem eligendi Impera-*
„ *toris populo Romano adimebat, eamque ſex Principibus*
„ *Germanis concedebat, nimirum tribus Epiſcopis, Moguntinenſi, Trevereuſi, & Colonienſi, tribus item politicis principibus, Marchioni Brandeburgenſi, Palatino Rheni & Duci Saxoniæ*, circa annum ſalutis MII. Quare Othone tertio mortuo, eligebatur ab electoribus in Imperatorem Henricus Bavariæ Dux, qui poſt annos XII. à Stephano Pontifice, ejus nominis VIII. Imperiali diademate ornabatur. Vitæ autem innocentiſſimæ erant Henricus & Simeuntha uxor illius, quod ex multis templis apparet, quæ vel de novo ab iis ſunt extructa, vel liberaliter dotata: eſtque ex eorum numero templum S. Miniati juxta Florentiam. Moriebatur anno ſalutis MXXIV. ſuccedente ei Cunrado Suevo, cui rurſus Henricus ſecundus ſuccedebat: Qui Romam veniens, cum ſchiſma eſſet exortum, & tres eſſent numero Pontifices, ſemotis iis, Clementem in Pontificem eligebat, ejus nominis II. à quo etiam Imperii diadema tulit. Regebatur eo tempore Italia partim democratia, partim a Regulis, partim denique ab iis, quos ad eam rem Imperator deſignauerat, quorum primus, & in dignitate maxima conſtitutus, Cancellarius vocabatur. Inter principes omnium potentiſſimus erat Godefredus quidam, cui uxor erat Mathildis, nata ex Beatrice ſorore Henrici ſecundi. Tenebat enim Lucam, Parmã, Regium, Lepidum, Mantuam, totumq; illum tractũ, quem hodie *patrimonium Petri* vocant. Pontificib. ambitio ac faſtus populi Romani multum oberat. Cum enim populus ultrò ſeſe antea ſubjeciſſet illorum poteſtati, ut jugum ab Imperatoribus impoſitum excuteret, urbis Romanæ dominium nactus, etiam eos incœperat odiſſe, & plus iis damni dabat, quàm quiſquam alius princeps Chriſtianus. Jam verò Pontifices cenſura ſua toti Occidenti erant terrori, & hoc unum agebatur inter eos, & populum

Electorum in Imperio origo.

Henricus II. Imp.

Stephanus VIII. Pont.

Conradus II. Imp.

Henricus III. Imp.

Schiſma.

Clemens II. Pont.

lum Romanum, ut alter vires alterius frangeret, ſuas adaugeret. Quemadmodum itaque Gregorius V. Jus omne cligendi Imperatoris populo antea ademerat, ſic cum ad Pontificatum perveniret Nicolaus II. cavebat, ne in Pontificum quidem electione idem populus Romanus deinceps juris aliquid haberet, omni illa autoritate Cardinalibus conceſſa. Quinetiam à Calabriæ & Apuliæ ducibus adiutus, eos qui nomine populi Romani magiſtratu aliquo fungebantur, juramento obſtringebat, ad obedientiam Pontificibus præſtandam, nonnullos eorum ab officiis ſemovebat. Extincto hoc Pontifice, ſequebatur ſchiſma in Eccleſia, quia Clerus Longobardiæ negabat ſe ſubjectum eſſe imperio Alexandri II. & alium ſibi creaverat Pontificem, Gadolum Parmenſem. Sed oderat Henricus potentiam Pontificum, & ab Alexandro petebat, ut Pontificatui renunciaret, deinde Cardinales in Germaniam proficiſci jubebat novi Pontificis creandi cauſa: Itaque Henricus ille primus omnium ex Imperatoribus Romanis, vim & potentiam gladii ſpiritualis experiebatur. Cogebat enim Concilium Pontifex in urbe Roma, eumque privabat tam imperio, quàm regno, & alii Italiæ populi Pontificis ſequebantur partes, alii Henrici: denique ea res Guelphis & Gibellinis occaſionem dabat, & ut Italia alioquin à colluvie barbarorum libera inteſtino bello conficeretur, ſeque ipſam peſſundaret. Ad eum modum excommunicatus Henricus, cogebatur à ſubditis, ut in Italiam profectus ſupplex fieret Pontifici, veniamque peteret admiſſi erroris, An. Chriſti MLXXX. Paulò pôſt iterum oriebatur diſſenſio inter illum & Pontificē, rurſumq; excōmunicabatur Henricus, ut anteà; verum nihili faciebat fulmen hoc Pontificiū: imò filium, cui ſimiliter Henrico erat nomē, Romā mittebat cum exercitu, ubi adiutus à populo Romano, tantiſper obſidione premebat Pontificē in caſtro ejus urbis, donec Robertus Guiſcardus ex Apulia obſeſſo ferret opē: hoc enim adveniente Henricus in Germaniam

Nicolaus II. Pont.

Dignitas Cardinaliū confirmata

Schiſma.

Alexander II. Pont.

Imperator dignitate ſua privatus à Pont. Romano.

ſeſe recipiebat. Cum autem populus Romanus nihilominus ſuo in propoſito perſeveraret, iterû devaſtabatur Roma à Roberto,& ad priſtinas redigebatur ruinas,à quibus vixdum multis à Pontificibus antè fuerat vindicata. Et quoniam hic Robertus novam formam gubernationis inſtituit in regno Neapolitano, haud præter rem me facturum exiſtimo, ſi familiam ejus & res geſtas expoſuero aliquanto diligentius.

Quo tempore inter ſe rixabantur hæredes Caroli Magni, ut ſuprà demonſtratum eſt, occaſionem ſumebant novi populi Septentrionales, *Normandi* nomine, impetum in Galliam faciundi, & partem illius occupabant, quæ jam *Normandia* dicitur. Pôſt aliqui illorum venerunt in Italiam, cum Berẽgarii, Sarraceni & Hunni eam provinciam devaſtarent, & Romandiolæ partem occuparunt, in qua etiam toto tempore illius belli ſtrenuè ſe ſunt tutati. Erat inter principes iſtorum Normandorum quidam *Tancredus* nomine, is plures habebat filios, quorum unus Guilielmus appellabatur, cognomento *Ferabar*, alter Robertus Guiſcardus. Pervenerat autem gubernatio ad Guilelmum: jamque magna ex parte pax erat reſtituta Italiæ, niſi quod Sarraceni adhuc Siciliam tenebant, & Italiam littoralem infeſtabant. Itaque fœdere inito inter Guilelmum & Capuæ Ducem, itemque Ducem Salernitanum, & Melorcum Græcum, qui Græci Imperatoris titulo, Apuliæ & Calabriæ præerat: conveniebat inter eos, ut bellum Siciliæ inferrent, & ſi victoria potirentur, cuique illorum prædæ & regionis acceptæ pars quarta cederet. Reſpondebat conſilio eventus, & Sicilia occupabatur, Sarracenis ejectis: Sed Melorcus è Græcia clam accerſito milite, paulò pôſt eam inſulam totam in clientelam Imperatoris ſui accipiebat; prædam tantummodò dividebat cum ſociis. Hanc ejus diſtributionem etſi indigniſſimè ferret Guilelmus, vindictam tamen in commodius tempus differebat. Nam poſtea è

Normandia.

Sicilia

Sicilia diſcedens cum Duce Salernitano & Capuano, ubi illis jam valedixiſſet, ſeque domum illi reciperent, non in Romandiolam revertebatur ipſe, ſed Apuliam verſus ducebat exercitum ſuum, & Amalpha occupata, inde exiguo temporis ſpacio univerſa ferè Apulia & Calabria potiebatur, vel invito Imperatore Græcorũ. His igitur provinciis tempore Nicolai II. imperabat Robertus Guilelmi frater, cumq; multas lites habuiſſet cum nepotib. illius, actione familiæ herciſcundæ, uſus eſt ea in re arbitro Pontifice, eoq; facilior erat Pontifex ad agendas Roberti partes, ut & contra Imperatores Germanos, & adverſum inſolentiã populi Romani ab eodẽ defenderetur, quemadmodum & paulò antè oſtendi, quo pacto invitatus à Gregorio VII. Henricum coëgerit, ut urbem Romam, quam obſidione cinxerat, relinqueret, & quo pacto populum Romanum redegerit ſub jugum. Succeſſere Roberto Rugerius & Guilelmus filii, quibus ſe conjungebant Neapolitani, totusque ille tractus, qui eſt à Neapoli Romam usque: præterea Sicilia, quam occupabat Rugerius. Capiebatur deinde Guilielmus à Rugerio Conſtantinopolim proficiſcens, nimirum ut filiam Imperatoris in uxorem duceret, ac ſpoliabatur omni dominio & juriſdictione, eaque re tantopere efferebatur Rugerius, ut principio Rex Italiæ vocari voluerit, pòſt titulo Regis Apuliæ & Siciliæ contentus, primus omnium eam gubernationis formam introduxit in eo regno, qua etiamnum hodie utitur, antiquis ſuis finibus & limitibus concluſum, tametſi ſæpè admodum mutaverit cum familias, tum etiam gubernatores. Cum enim ſtirps Normandorum principum in eo finem haberet, gubernatum fuit primum à Germanis, pòſt à Gallis, præterea à regibus Arragoniæ: noſtra denique ætate à Belgis regitur. Pervenerat interea ad dignitatem Pontificiam Urbanus II. qui exoſus populo Romano, cum arbitraretur ſe vix tutò degere poſſe in Italia, propter diſſenſiones ac bella inteſtina, dignam laude *Urbanus II. Pont.*

rem aggrediebatur. Nam in Galliam profectus, cum univerſo clero, diverſisque populis convocatis, Antuerpiæ comitia celebrabat: ubi elegantiſſima oratione eos hortabatur ad bellum infidelibus inferendum. Atque ita ſanè ea commovebat omnium animos, ut protinus deliberaretur de ducendo exercitu in Aſiam adverſus Saracenos, fuitque expeditio hæc cum aliis ſimilibus, *Crucigerorum* appellata, quòd omnes qui in ea militarent, rubram crucem haberent, vel in armis vel in veſte. Principes ejus erant Godofredus, Euſtachius, Alduinus Bulgenſis, Comites Bononiæ, ac Eremita quidam, nomine Petrus, vitæ ſanctimonia & prudentia clarus, multique reges ac populi liberaliſs. contribuebant ad eam, multi etiam privati gratis & ſine ſtipendiis militabant, tantum nimirum poterat eo tempore in animis hominum religio, præterquam quod & eorum exemplo moverentur, qui autores erant hujus expeditionis, & duces. Ac initio quidem glorioſiſſima erat expeditio hæc: tota n. Aſia minor, Syria & Ægypti pars, Imperio Chriſtianorum per eam acceſſit; fuit etiam cauſa & occaſio cōſtituendi ordinis equitum Hieroſolymitanorum, qui hodie adhuc ſuperſunt, Rhodumque tenent, unicum obſtaculum adverſus vim & potentiam Mahometanam. Naſcebatur quoque inde Templariorum ordo: ſed is propter vitæ & morum turpitudinem, paulò pòſt extinctus eſt. Deniq; multa & varia ſunt ſecuta ex hac expeditione, diverſis temporibus vel à totis populis, vel à certis quibusdam hominibus, laude & poſteritate digna. Ferebant ad eam opem Galliarum & Angliæ Reges, præterea Piſani, Veneti, & Genuenſes: ac ſatis feliciter pugnabatur usque ad tempora Saladini Saraceni, cujus tandem virtus, unà cum diſcordia Chriſtianorum omnem laudem atque gloriam adimebat militibus iſtis, quam glorioſè ſibi initio comparaverant, fueruntque poſt annos XC. omnibus iis regionibus ejecti, quas tanto cum honore & felicitate cōſecuti erant. Urbano Pontifici ſucceſſit Paſchalis II. in

Expeditio Marianorū contra hoſtes fidei Chriſtianæ.

Militum Hieroſolymitanorum & Templariorū ordo.

Paſchalis II. Pont.

Henricus IV. & V. Imp.

in Imperio Henricus IIII. Is Romam veniens, initio ſimulabat mira benevolentia ſe complecti Pontificem, pòſt illum cum univerſum clero conjiciebat in carcerem, nec prius inde liberabat, quam ei concederetur, ut de Eccleſiis Germaniæ ſuo pro arbitrio & voluntate ſtatuere poſſet. Moriebatur quoque ſub id tempus Comitiſſa Mathildis, bonis omnibus Eccleſiæ Romanæ relictis. Mortuo deinde Paſchale & Henrico, plures ſequebantur tum Pontifices tum Imperatores, usque ad Pontificatum Alexandri III. & imperium Frederici Suevi, cognomento *Barbaroſſæ.* Fuerant autem (ut oſtenſum eſt) ad hinc multis annis maximæ ſimultates & diſcordiæ inter Pontifices, Imperatores, & populum Romanum: Hæ igitur ſub hoc Imperatore magis atque magis adaugebantur. Erat exercitatiſsimus in re militari, ac indigniſsimè ferebat Pontificum autoritatem: Electus tamen in Imperatorem, Romam veniebat, ut diademate Imperiali ornaretur, revertebatur etiam inde pacificè in Germaniam. Sed non diu admodum perſeverabat in eo animi propoſito, quin mox redibat in Italiam, ut de Longobardis quibuſdam ſumeret ſupplicium, quod imperium ejus detrectaſſent. Peropportunè eo tempore Cardinalis S. Clementis, patriâ Romanus, ab Alexandro ſe ſejunxerat, fueratque à nonnullis Cardinalibus in Pontificem creatus. *Itaq; cum ad Parmam civitatem in caſtris degeret Fredericus, conquerebatur apud illum Alexander de Antipapa, cui hoc reſponſi dabat Fredericus, ut ambo ſimul Antipapam quærerent, poſt ſe definiturum, uter illorum verus eſſet Pontifex, necne.* Hoc reſponſum cum Alexandro diſpliceret, Imperatorem excommunicabat, tanquam ad novi Pontificis partes inclinatum, ipſe ad Philippum Regem in Gallias confugiebat. Sed nihilominus cœptum bellum proſequebatur in Longobardia Imperator, & Mediolanum expugnabat. Veronenſes, Patavini, ac Vincentini, vires ſuas conjungebant, quo ſe adverſus eum defenderent. Deinde novus Pontifex extinguebatur, ejusque in locum ſubrogabat Fredericus Guidum

Alexander III.

Fridericus I. Barbaroſſa cognomento, Imp.

Schiſma.

Cremonenſem, jamq; ſeſe aliquantulum recollegerat populus Romanus, Pontifice abſente, & Imperatore bello Longobardico occupato, eamque autoritatem receperat in urbe, ut iterum ſub poteſtatem ſuam vocaret eas civitates, quibus olim imperaverat: Et quoniam Tuſculani detrectabant imperium illius, vi eos conabatur ſub jugum reducere: verùm cum Tuſculanis auxilium ferret Fredericus, reprimebatur ab iisdem tanta ſtrage, ut Roma deinceps nunquam adeò fuerit populoſa atque potens. Dum hæc geruntur, reverſus erat in urbem Alexander Pontifex, exiſtimans tutò ſe in ea poſſe cõmorari, quod inimicitiæ eſſent inter populum Romanum ac Fredericum, & quod ille plures alios in Longobardia haberet hoſtes: verùm nihil movebatur Fredericus iis rebus, quin rectà caſtrametabatur ad urbem Romam. Quare Alexander in Apuliam fugiebat ad Guilelmum, regem & hæredem regni illius, poſt obitum Rugerii. Fredericum peſtis cogebat ſolvere obſidionem, atque in Germaniam reverti. Qui ex Longobardis Frederici hoſtes erant, quò Ticinum & Tortonam urbes imperio ſuo ſubjicerent, Imperatoris partes ſecutas, & tunc etiam militem ipſius in præſidiis habentes, novam urbem extruebant, receptaculum univerſi illius belli, quam Alexandriam nominabant, partim in honorem Alexandri Pontificis, partim in ignominiam Frederici. Moriebatur autem & Guido Antipapa, cui ſubrogabatur Joannes de Firmo, deſignata ei ſede Pontificia in monte Faliſco, ab iis qui Imperatoris ſequebantur partes. Alexander Pontifex Tuſculum conceſſerat, vocatus ab inquilinis ejus civitatis, ut autoritate ſua eos adverſum populum Romanum tutaretur.

Urbis Alexandriæ initium.

Hoc igitur in loco eum reperiebant Henrici Angliæ Regis Legati, miſſi ad eum, ut ſuſpicionem, qua Rex illorum gravabatur ob interfectum Thomã Cantuariæ Epiſcopum, amoverent, utq; oſtenderent regem extra culpam eſſe. Itaq; Cardinales duos cum

iis

iis mittebat in Angliam Pontifex, qui rem omnem ut geſta eſſet, cognoſcerent. Et quanquam non deprehendebant regem in manifeſta culpa, quia tamen magnum ſcelus erat admiſſum adverſus tantum virum, pœnitentiæ loco illi injungebant, ut convocatis regni univerſi baronibus, jurejurando ſe coram iis purgaret, non eſſe tale homicidium commiſſum ſuo inſtinctu aut voluntate. Præterea ut milites C C. ſine mora mitteret Hieroſolymam, numerato iis ſtipendio unius anni, & ipſe deinde collecto quando poſſet exercitu, intra annos tres etiam eò proficiſceretur, ut reſcinderet omnia quæ in eodem ſuo regno, in invidiam & præjudicium libertatis Eccleſiaſticæ conſtituiſſet: poſtremò, ut ſubditis quandocunque vellent, provocandi ad Pontificem Romanum copiam poteſtatemque concederet. *Quæ omnia* " *rex pollicebatur ſe facturum, ſeque judicio iſtorum homi-* " *num ſubmittebat, quorum hodie ne privatus quidem aliquis* " *ſe ſubmitteret.* Etſi igitur magna erat tum autoritas Pontificis apud exteros principes, non tamen poterat populum Romanum ad obedientiam reducere, nec ulla ratione ab eodem impetrare, ut in urbem reciperetur: tametſi promitteret, nullam aliarum quam Eccleſiaſticarum rerum curam ſe habiturum. Plerunque enim fit, ut ea magis metuamus, quæ remotiora à nobis ſunt, quàm quæ propinqua, & ob oculos quodammodo verſantur. Reverſus jam erat in Italiam Fredericus, bellumque movebat Pontifici: ſed admonebatur à proceribus ſuis, ut in gratiam Eccleſiæ rediret, futurum enim alioquin ajebant, ut ipſi quoque eum desererent. Sic coactus Fredericus in urbem Venetam ſe conferebat, ubi pace cum Pontifice inita, omni autoritate & juriſdictione, quam habebat in urbe Romana, ab eodem privabatur: & Pontifex Guilelmum Siciliæ ac Apuliæ regem fœdere ſibi jungebat. Erat autem ea natura Fredericus, ut quietè & ſine bello vivere vix poſſet. Quare ut cupiditatib. ſuis ſatisfaceret, in Aſiam expeditionē parabat, contra Mahometanos, cum adverſus

Jus quod in urbe Roma habebat Imperator, per Pontificem ei adimitur.

vica-

vicarios Chriſti non potuiſſet. Verum in ea expeditione, cum ad Cydnum fluvium veniens aquæ limpiditate pellectus, laviſſet, morbumque ſibi inde contraxiſſet, vitam amiſit, & plus proderat Mahometanis illa aqua, quam Chriſtianis excommunicatio: hæc enim tantummodò coercebat iram ac cupiditatem hoſtis, illa prorſus extinguebat. Mortuo Frederico, reſtabat Pontifici, ut populum Romanum iterum ſub imperium ſuum & jurisdictionem redigeret, cumque multum inter eos diſceptaretur de creatione conſulum, placuit tandem, ut juxta veterem morem populus eos eligeret: ita tamen, ne illi magiſtratum inirent, niſi præſtito prius juramento, ſe Eccleſiæ fidem defenſuros, fecitque hæc pacis conditio inter eos, ut Joannes Antipapa in montem Albanum ſe reciperet, quo etiam in loco poſtea expiravit. Moriebatur & ſub id tempus Guilelmus Neapolis rex, & Pontifex Romanus conabatur occupare illud regnum, quia Guilelmus nullum reliquerat hæredem, prætèrquam Tancredum filium illegitimè natum: Interim proceres illius regni Pontifici ſe opponebât, & Tancredum eligebant regem. Quò igitur Tancredo regnum eriperet Pontifex Celeſtinus, ejus nominis III. efficiebat, ut in Imperatorem Romanum eligeretur Henricus, Frederici demortui filius, eique regnum illud permittebat, ſi eas regiones reſtitueret Eccleſiæ, quas pater abſtulerat. Atque ut facilius perficeretur ea res, Conſtantiam Guilielmi demortui filiam, Deo dicatam, & jam ſenio confectam, è cœnobio vocabat, eamque in matrimonium locabat Henrico. Quo facto auferebatur regnum Neapolitanum Normandis, & ad Germanos perveniebat. Statim igitur ut res ſuas compoſuit Henricus in Germania, veniebat in Italiam cum uxore Conſtantia, & filiolo quatuor annorum, Frederico nomine, occupabatque regnum Neapolitanum, nemine propemodum repugnante. Jam enim diem ſuum obierat Tancredus, relicto infante filiolo, cui nomen Rugerio. Annis deinde aliquot interjectis moriebatur quoque

Celeſtinus III. Pont.

Henricus VI. Imp.

Monialis nubit.

quoque Henricus in Sicilia, filium & hæredem ejus regni relinquens Fridericum, in Imperio ſequebatur Ottho Saxoniæ Dux, ope & amicitia Innocentii III. Pontificis. Sed is malam gratiam referebat Pontifici; quamprimum enim diademate imperiali ab eo fuit ornatus, præter omnem expectationem bellum ei movebat: occupabat Romandiolam, & hoc unum egebat, ut Neapoli quoque potiretur. Quamobrem à Pontifice fulmine excommunicationis ictus, ab omnibus deſerebatur, & Electores illius in locum eligebant Imperatorem Fredericum, Neapolis regem. Hic licet Romam veniret, ut Imperator coronaretur, negabat tamen Pontifex ſe id facturum, quòd potentiam ejus metueret. Quin etiam Italia eum expellere conabatur, quemadmodum Otthonem antea ejecerat. Quare ira percitus Fredericus in Germaniam ſe recipiebat, commiſſisque cum Otthone aliquot pugnis, tandem victoria potiebatur. Interea diem ſuum obibat Innocentius Pontifex, qui præter alia multa, quæ vivens laudabiliter geſſit, etiam Xenodochion S. Spiritus conſtruxit in urbe Roma, eique ſuccedebat in Pontificatu Honorius III. ſub quo ordo Dominicanorum & Franciſcanorum habuit initium, Anno Chriſti, MCCXVIII. Ab hoc igitur Pontifice diadema imperiale conſequebatur Fredericus: ac Joannes ex Baldouini ſtirpe prognatus, & Hieroſolymæ Rex dictus, quod iis, qui in Aſia doctrinam Chriſti adhuc profiterentur, præeſſet, unam ex filiabus ſuis in uxorem dabat Frederico, & ſimul cum dote titulum gubernationis ejusdem regni, unde omnes poſtea Reges Neapolitani titulum Regis Hieroſolymæ ſibi vendicarunt. In Italia is ſtatus rerum erat eo tempore, Romæ defierant eſſe conſules, & loco illorum nunc unus aliquis tantum ſenator creabatur, nunc plures, quorum eadem erat autoritas, quæ conſulum antè fuerat. Durabat & fœdus, quod civitates Longobardiæ iniverant adverſum Fredericum Barbaroſſam, puta Mediolanum, Brixia, Mantua, cum majore parte civitatum Romandiolæ,

Ottho IV. Imp.

Innocentius III. Pont.

Honorius III. Pont.

Neapolis Reges ſunt etiam Reges Hieroſolymæ.

mandiolæ, Verona præterea, Vicentia, Padua & Terviſium. Cæſaris partes ſequebantur Cremona, Bergamum, Parma, Regium, Mutina, Tridentum. Aliæ civitates & oppida Longobardiæ, Romandiolæ ac Marchiæ Terviſianæ, neutri factioni penitus addictæ erant: & ut occaſio ferebat, modò hujus ſequebantur partes, modò alterius.

Venerat in Italiam tempore Othonis III. Ezelinus quidam, cui adhuc nepos erat ſuperſtes ex filio eodem nomine, homo potentiſſimus opulentiſſimusque. Hic quoniam Frederico à Pontifice excommunicato ſe adjunxerat, ubi in Italiam veniebat Fredericus, ope illius Mantua ſimul ac Verona potiebatur. Devaſtabat Vicentiam, Patavium occupabat, profligabat exercitum confœderatarum civitatū, poſt ſuum in Tuſciam ducebat. Interea Ezelinus ex altera parte ſubjugabat Marchiam Terviſianam, una Ferraria excepta, quæ ab Azone Eſtenſi defendebatur, iisque militibus, quos in Longobardia adhuc habebat Pontifex. Quod quidem ob beneficiū, civitas illa obſidione liberata, in feudum concedebatur à Pontifice eidem Azoni, à quo etiam noſtra hac ætate Ferrariæ duces originem ſuam deducunt. *Origo Ducum Ferrariæ.* Fredericus igitur in Tuſciam profectus cum exercitu ſuo, conſidebat Piſis, firma ſpe & opinione poſſe univerſa Tuſcia potiri. Atque ut intelligeret, quinam in ea regione eſſent partium ipſius, vel non, ſpargebat ſemina diſcordiæ inter incolás, unde maxima calamitas ſequebatur, & totius Italiæ ruina. Adaugebantur enim ob eam, & incrementum maximum capiebant Guelphorum & Gibellinorum factiones, & Guelphi vocabantur, qui Eccleſiæ Romanæ ſequebantur partes: Gibellini, qui Imperatoris, primumque omnium Piſtorii fuere audita hæc eorum nomina. *Guelphorū & Gibellinorum factio.* Educebat deinde exercitum ſuum ex urbe Piſana Fredericus, & depopulabatur ditiones Eccleſiæ ſubjectas. Itaq; Pontifex quia nullum aliud habebat remediū, quo malum hoc depelleret, ſpem certiſſimam ſalutis faciebat his, qui adverſus hunc

hunc ejus hoſtem arma ſumerent, quod idē anteceſſores illius adverſus Sarracenos fecerant. Contrà Fredericus ne ex improviſo à milite deſereretur, quēadmodum Barbaroſſæ olim acciderat & aliis Imperatoribus, Sarracenos quamplurimos conducebat, quos ut fide & benevolentia ſibi devinciret, & ut munimentum conſtitueret in Italia adverſus Pontificiam dignitatem, quodve nihil metueret excommunicationis fulmen, Nuceriam regni Neapolitani urbem iis donabat, quo certum aliquod firmumque refugium nacti, diligentius & ſecurius partes illius defenderent. Pervenerat jam ad Pontificatum Innocentius IV. is, quoniam à Frederico ſibi metuebat, Genuam proficiſcebatur, inde in Galliam, ubi concilium cogebat Lugduni. Statuerat & Fredericus eò proficiſci, verum impediebatur obſidione Parmenſi, & coactus eam ſolvere, in Tuſciam ſe recipiebat, ex qua porrò in Siciliam cum claſſe profectus, moriebatur, relicto in Suevia Cunrado filio legitimo, in Apulia Manfredo ex concubina nato, quem Beneventi Ducem fecerat. Ex his regnum occupaturus Conradus, ubi Neapolim appulit, ipſe quoque deſinit eſſe in humanis, filium infantem relinquens in Germania Conradinum nomine. Itaque Manfredus primùm ut legitimus tutor Conradini, regnum illud occupabat, pòſt affirmans mortuum eſſe Conradinum, ipſe ſibi retinebat illud invito Pontifice, & cogebat incolas regni ut ſe pro rege agnoſcerent. Dum hæc geruntur, ingens bellum oritur in Longobardia inter Guelphos & Gibellinos. Stabat à partibus Guelphorum legatus quidam Pontificius, à parte Gibellinorum Ezelinus, cujus ſub dominio & jurisdictione erat toto illa Longobardiæ pars, quæ ultra Padum fluvium extenditur. Et quoniam etiam urbs Patavina adverſabatur huic Ezelino, eo bello interficiebantur XII M. Patavinorum, ipſe quoque expirabat nondum bello finito, anno ætatis ſuæ XXX. & loca quibus imperaverat, libertatem iterum conſequebantur.

Innocentius IV. Pont.

Per-

Perſequebatur Manfredus Neapolis Rex,inimicitiam adverſum EccleſiamRomanam,more majorum ſuorum, & miſerè vexabat Pontificem illius temporis Urbanum IIII. qui cruce (ut vocant) contra illum data, Peruſiam ſe recipiebat, copias auxiliares præſtolaturus. Cum autem illæ exiguæ eſſent, nec admodum inſtructæ, & tardius venirent, quàm ab eo expectarentur, ratus majore milite opus ad opprimendum Manfredum, è Galliis eum petebat: creatoque in regem Siciliæ ac Neapolis Carolo Angio, Ludovici Galliarum regis fratre, eundem hortabatur, ut primo quoque tempore arriperet iter in Italiam, & regnum illud occuparet. Sed priusquam Carolus Romam veniret,Pontifex erat mortuus, eique ſucceſſerat Clemens IV. quando Carolus Oſtiam appellabat triremibus XXX. reliquo exercitu terreſtri itinere adducto: cumque Romæ aliquantulum commoraretur, ſenator creabatur à populo Romano, amoris & benevolentiæ ergô,& Pontifex ei in feudum concedebat regnum Neapolitanum, ea tamen lege & pacto, ut ob hoc beneficium annis ſingulis perſolveret Eccleſiæ Romanæ Florenorum millia L. Cavebat præterea decreto, ne vel ille vel alius quiſpiam regum Neapolitanorum deinceps in Imperatorem Romanum eligeretur. Carolus igitur commiſſa pugna cum Manfredo, exercitum illius ſuperabat, interfecto ipſo ad Beneventum urbem, & Sicilia ſimul & regno Neapolitano potiebatur. Sed & Conradinus, cui ex teſtamento paterno regnum illud ceſſerat, Germanum militem ducebat in Italiam adverſus Carolum, & de ſumma rei certans primùm conjiciebatur in fugam, pòſt cognitus interficiebatur. Rurſum itaque pax & tranquillitas reſtituebatur Italiæ, usque ad Hadriani V. Pontificatum. Cùm enim tunc Romæ degeret Carolus, atque ut Senator eam urbem gubernaret, indigniſſimè ferebat imperium ejus Pontifex,ac Viterbium aulam ſuam transferens, Rudolphum Imperatorem vocabat contra Carolum. Ita ſemper attraxerunt in Italiam exteras gentes

Urbanus IV. Pont.

Clemens IV. Pont.

Reges Neapolis nō poſſunt eſſe Imp. Romani.

Hadrianus V. Pont.

Rudolphus Imp.

gentes Pontifices Romani, religionis vel ambitionis ſtudio impulſi, & novorum bellorum fuere autores. Sed ſtatim ubi aliquem principem ditaſſent, facti eos pœnitebat, omnemque lapidem movebant, ut ab eo dignitatis gradu in, quẽ collocârunt, eundem rurſum dejicerent. Nec unquam permittebant, ut quam illi provinciam vi & potentia ſua defendere non poſſent, ea ab alio quovis tutò ac tranquillè poſſideretur. Denique nihil metuebant alios principes, & vel armis ſibi conſulebant, vel fuga, niſi dolo fortè opprimerentur, quemadmodum Bonifacio VIII. accidit. aliisque multis, qui amicitiæ quodam prætextu ab Imperatoribus ſunt capti. Cæterùm non veniebat in Italiam Rudolphus; quia bello Bohemico impediebatur.

Mortuus erat interea Adrianus Pontifex, ejusquẽ in locum ſucceſſerat Nicolaus III. ex Urſinorum familia, homo audax & ambitioſus, qui cum modis omnibus tentaret Caroli potentiam frangere; efficiebat, ut Rudolphus Imperator indignè ferret Carolum in Thuſcia habere gubernatorem, Guelphorum nomine poſt mortem Manfredi eò miſſum. Quare Carolus præfectos ſuos revocabat, & Pontifex Cardinalem quendam ex nepotibus ſuis ſubrogabat, qui Imperii nomine ei regioni præeſſet. Imperator verò ne ingratus videretur erga Pontificem, ob beneficium ab eo acceptum, iterum reſtituebat jurisdictioni illius Romandiolam, quam anteceſſores ejus abſtulerant, & Pontifex Ducem ei regioni præficiebat Bertoldum Urſinum. Jamque occaſionem nactus experiundi fortunam ſuam cum Carolo, dignitate ſenatoria eum privabat, decreto facto, ne quis regia ſtirpe prognatus, dignitate illa Romæ amplius frueretur. Quin etiam Siciliam ei adimere conabatur, eamque ob rem conſilia inibat cum Petro Arragoniæ Rege, quæ poſtea ſub ſequenti Pontifice effectum ſuum conſequebantur. Volebat præterea creare duos Reges ex familia ſua, alterum Longobardiæ, alterum Thuſciæ;

Nicolaus III. Imp.

quorum potentia & opè Eccleſia Romana defenderetur à Germanis, qui jam diu impetum facere conabantur in Italiam, & à Gallis, qui regnum Neapolitanum tenebant. *Quæ omnia aliaq; dum moliebatur, diem ſuum obibat, fuitq; hic primus omnium Pontifex, qui ambitionem ſuam palam ac apertè oſtenderet, quique hoc unum agebat, ut familiam ſuam eveheret titulo & prætextu Eccleſiæ.* Ac quemadmodum antehac nulla unquam facta eſt mentio nepotum aut cognatorum alicujus Pontificis Romani, ſic deinceps plena erit hiſtoria noſtra illorum hominum, ita ut etiam de filiis ipſorum operæprecium fuerit nobis verba facere. *Neque enim in alio quoquam magis laborabant Pontifices, noſtram uſque ad ætatem, quàm ut hujuſmodi cognatos ſuos principes poſt ſe relinquerent, & Pontificia dignitas jure hæreditario ad eoſdem devolveretur.* Nunquam tamē diu durarunt iſti principatus & dignitates Pontificiorum cognatorum, vel quod ipſi Pontifices plerunq; deſinerent eſſe in vivis, antequam eos confirmarent, vel etiam ſi confirmaſſent, eo tamen in ſtatu relinquerent, ut adverſus potentiam & impetum aliorum ſeſe defendere non poſſent. Sequebatur Nicolaum Martinus IIII. qui cùm Gallus eſſet natione, Caroli partes defendebat. Carolus ut contrà illi gratificaretur, exercitum mittebat in Romandiolam, quæ jam rebellaverat aliquantulum Pontifici, cumque ad Forum Livii caſtra eſſet metatus, Guido Bonatus Aſtrologus certum horæ momentum deſignabat civibus ſuis, quo cùm illi excurrerent, & in hoſtem impetum facerent, Galli omnes ab iis interficiebantur vel ducebantur captivi. Sortiebantur & eodem tempore effectum ſuum conſilia Nicolai Pontificis demortui, & Petri Aragoniæ Regis: nam hujus ope & auxilio ſimiliter interficiebantur, à Siculis Galli omnes, qui in ea inſula erant, eamq; occupabat Petrus, ac jure optimo ad ſe pertinere ajebat, quod Conſtantiam Manfredi filiam haberet uxorem. Colligebat & Carolus exercitum,

Martinus IV. Pont.

Veſperæ Siculæ.

bitum, ut eam inſulam recuperaret, verùm morte præveniebatur, relicto filio Carolo ſecundo, qui in eodem bello antè in Sicilia fuerat captus, & ut liberaretur captivitate, fidem dederat redíturum ſe in Siciliam, niſi intra annos tres impetraſſet à Pontifice, ut regibus Arragoniæ ea inſula in feudum concederetur. Rudolphus Imperator in Italia expectabatur, ut veterem Imperii dignitatem in ea inſtauraret; ſed oratorem tantùm mittebat eò cum mandatis, ut omnes civitates quæ ſe in priſtinum Imperii ſtatum vindicaſſent, liberas & immunes pronunciaret. Ita plures jugum ab aliis ſibi impoſitum excutiebant, & cum libertate priorem Reip. formam permutabant.

Succedebat Rudolpho in Imperio Adolphus, Pontifici Petrus de Murone, *Papa Celeſtinus* dictus. Hic cum eſſet Eremita, & vitæ ſanctimonia claret, poſt menſes VI. dignitati Pontificiæ renunciabat, ejusque in locum ſubrogabatur Bonifacius VIII. Jam verò in fatis erat, ut Italia Germanis & Gallis liberata à ſuis adminiſtraretur tantùm, ac Pontifex ultramontanorum auxilio deſtitutus, potentia ſua uti amplius non poſſet. Quare incipiebant in urbe Romana florere duæ potentiſsimæ familiæ, Columnenſes & Urſini, qui & vicinitate ſua & potentia dignitatem Pontificiam intra limites ſuos continerent, prohiberentque ne in immenſum excreſceret. Quod cum Bonifacius vereretur eos facturos, conabatur omnibus modis familiam Columnenſium extinguere, nec ſolum eam excommunicationis fulmine terrebat, verùm etiam crucem (ut vocant) contra eam dabat. Quæ res etſi moleſtiſſima erat Columnenſibus, plus tamen Eccleſiæ Romanæ oberat, quàm ipſis. Nam & arma illa quæ ob amorem fidei Chriſtianæ plurimum potuerant antea omnes, ubi propria ambitione & faſtu Pontifices adverſus ipſosmet Chriſtianos iis uterentur, hebetabantur & officium ſuum recuſabant, *Denique nihil ita fregit Pontificum autoritatem & imperium,*

Adolphus Imp.
Celeſtinus V. Pont.

Columnenſium & Urſinorum familia.

quàm propria libido & dominandi cupiditas. Privabat præterea Bonifacius duos ex eadem familia Columnenſium dignitate Cardinalitia. Cumque Sciarra quidam, præcipuus ex ea familia, prius Pontifici ignotus, fugam arriperet, captus in ea à piratis Catelanis, & ad triremes condemnatus, cognitus à nautis, è Marſilia Philippo Galliarum regi mittebatur. Qui cùm ipſe quoque excommunicatus eſſet à Pontifice, & regno Neapolitano privatus, haud ignorabat, quam difficile eſſet belligerari adverſus Pontifices Romanos, quòd qui id faceret, ſuccũberet plerumq;: aut ſi vinceret, magno tamen cum periculo potiretur victoria: & aſtu quodam agendum ſibi putabat, quaſi in gratiam cum Põtifice rediturus. Sciarram igitur in Italiam clàm ablegabat; qui cum Anagniam veniſſet, & Pontificem in ea urbe reperiret, convocatis aliquot amicis noctu eundem capiebat. Et quanquam rurſum liberabatur Pontifex à civibus ejus urbis, ita tamen graviter moleſteque ferebat caſum hunc, ut ſummo cum dolore ac furibundus diem ſuum obiret. Fuit hic *Bonifacius* autor anni Jubilæi, Anno Chriſti, MCCC. ſtatuitque ut ſingulis centenis annis ſemel celebraretur. Incidere deinde multæ & variæ diſſenſiones, inter Guelphos & Gibellinos. Adhæc, quoniam Italia ope & auxilio Imperatoris deſtituebatur, multæ urbes & regiones ſeſe in libertatem vindicabant, multæ à tyrannis occupabantur. Succedebat autem Bonifacio Benedictus, is purpuratam dignitatem Columnenſibus reſtituebat, Philippum Galliarum Regem ab excommunicatione abſolvebat. Benedictum ſequebatur Clemens V. Hic quod Gallus eſſet natione, ſedem quoque Pontificiam transferebat in Gallias, anno ſalutis humanæ MCCCVI. Deſierat interea in vivis eſſe Carolus II. Neapolis Rex, eique ſucceſſerat Robertus filius, Imperio præerat Henricus Lucenbergenſis, is eo animo proficiſcebatur Romam, ut diadema Imperii à Pontifice acciperet, tametſi haud ignorabat Pontificem

Autor & initium anni Jubilæi.

Benedictus XI. Pont.

Clemens V. Pont.

Sedes Pontificia in Galliam trãsfertur.

Henricus VII. Imp.

cem in urbe non eſſe, & perturbationem maximam pariebat ejus adventus in Longobardiam. Nam & omnes ex ea proſcriptos in integrum reſtituebat, ſive Guelphi eſſent, ſivi Gibellini: qui cùm rurſum ſeſe mutuis cladibus conficerent, ita ea regio implicabatur bello, ut ne Imperator quidem ipſe toto cum exercitu ſuo ſufficeret ad ſedandum eorum tumultum. Quin Longobardia relicta per urbem Genuam Piſas contendebat: quò cum veniſſet, unum hoc animo verſabat, ut Thuſciam adimeret Roberto. Sed quia conſiliis illius non reſpondebat eventus, iterum petebat Romam, è qua paucos poſt dies ab Urſinis ope & favore Roberti ejectus, Piſasque reverſus, Fredericum Siciliæ Regem in Thuſciam vocabat, nimirum ut ab eo adjuvaretur, ac minore cum difficultate eam regionem Roberto adimeret. Verum dum hæc aliaq; molitur, vitam cum morte commutabat, Ludovico Bavaro ei in Imperio ſuccedente. *Ludovicus IV. Imp.*

Pervenerat ad Pontificatum Joannes XXII. Nec minus perſequebatur Guelphos ac Eccleſiam Romanam novus Imperator, quam ſuperior fecerat: Defendebant tamen illi ſe adverſus impetum illius, ope Florentinorum & Roberti regis adjuti. Inde bella multa in Longobardia à Viſcontiis contra Guelphos, in Thuſcia à Caſtrutio Lucenſi contra Florentinos. Et quoniam Viſcontiorum familia cauſa fuit ducatus Mediolanenſis, unius ſcilicet ex quinque iis ducatibus, qui totam deinde Italiam gubernarunt, paulò altius repetam ejus originem. Cum fœdus inivisſent aliquot Longobardiæ civitates, quemadmodū ſuprà dictum eſt, ut adverſus Fredericum Barbaroſſam ſe tutarentur, urbs Mediolanēſis jam dum à ruinis inſtaurata, illis civitatib. ſe adjungebat, reprimebaturq; Barbaroſſæ impetus eo fœdere, & Eccleſiæ partes per aliquot tempus in Longobardia erant ſuperiores, poſt iis in bellis & calamitatibus quæ ſubſequebantur, in eadem urbe Mediolanenſi, cœpit florere familia Torrenſium, & magis ma- *Joannes XXII. Pont.* *Viſcontiorū familia, & de origine ducum Mediolanenſium.*

giſque adaugebatur ejus æſtimatio, quandiu in illa regione nulla aut exigua Imperatoris fuit autoritas. Cum autẽ in Italiam veniret Fredericus II. & Gibellinorum factio ab Ezelino adjuvaretur, fieretque potens, æquè ut altera, paſſim reperiebantur qui huic quoque factioni faverent. Itaq; cum & Mediolani ex eorum numero eſſent Viſcontii, ejiciebantur ab iisdem ex ea urbe Torrenſes: Sed haud diu exulabant; quàm primum enim pax eſſet conſtituta inter Imperatorem & Pontificem, ipſi quoque reſtituebantur priſtinæ dignitati. Sede deinde Pontificia in Gallias translata, cùm & Henricus Lucenbergenſis per Italiam faceret iter, ut Romæ diadema imperatorium acciperet, hoſpitio excipiebatur Mediolani à Maphæo Viſcontio, & Guidone Torrenſi, viris præcipuis & primariis in iis familiis, ea tempeſtate. Hic Maphæus exiſtimans ſe rem gratam Imperatori facturum, ſi Guidonem rurſum ejiceret ex ea urbe, idque eo facilius perficere poſſe, quod is Guelphorum ſequebatur partes: occaſionem ſumebat ad eam rem, ex querela plebis de veſtitu Germanorum militum. Pòſt cautè ſingulos hortabatur, ut armis arreptis imperium barbarorum hominum excuterent, ſeque in priſtinam libertatem vindicarent. Hoc conſilium cum rectè & ex animi ſententia ei ſuccederet, curabat ut à confœderatis quibusdam tumultus excitaretur, utque univerſus populus arma arriperet adverſus Germanos. Nihil tamen hoſtilitur agebatur, antequam Maphæus cum filiis ſuis cæterisq; omnibus, qui ejus factionis erant, armati ad Imperatorem accurrerent, & cuplam omnem ſeditionis in Torrenſes rejicerent: nam & illis dolere inter privatos eſſe in ea urbe, & occaſione data voluiſſe illum ex improviſo opprimere, ut Italiam Guelphis ſubjicerent, & ipſi principatu ejus urbis potirentur. Interim bono animo debere eum eſſe ajebant: Si enim copiis illorum ipſe ſuas adjungeret, nulla in parte ſe ei defuturos. Credebat Henricus vera eſſe ea quæ Maphæus dixerat, ſuasq; vires illius viribus jungebat, pòſt

impetum

impetum faciebant in Torrenſes, qui hinc inde erant ſparſi in civitate, ut ſeditionem exortam reprimerent, & quoſcunque ex eorum numero adoriebantur, interficiebant, aut omnibus fortunis exutos in exilium mittebant. Ad eum modum efficiebatur Maphæus Mediolani dominus, quem ſecutus eſt poſtea ex ea familia Galeazius & Azo; hos Luchinus & Joannes; ac fuit Joannes Archiepiſcopus in ea urbe, Luchinus qui prius moriebatur quàm Archiepiſcopus, Barnabam & Galeazium relinquebat: tandem etiam Galeazius obibat diem, relicto Joanne Galeazio Comite, cognomento Virtuoſo. Hic, mortuo Archiepiſcopo, fraude interficiebat Bernardum patruelem ſuum, & ſolus potiebatur Mediolano, fuitque primum omnium ejus urbis dux appellatus. Moriens relinquebat hæredes duos, Philippum & Joannem Mariam Angelum, qui cum à plebe Mediolani interficeretur, ſolus rerum potiebatur Philippus, in quo tandem etiam deſiit adminiſtratio illius ducatus in familia Viſcontiorum, quia nullos hæredes maſculos relinquebat: & ad Sforzas transferebatur, quemadmodum ſuo loco exponemus. Ut igitur revertar unde ſum digreſſus: Cum Ludovicus Imperator in Italiam veniſſet ut diademate Imperiali ornaretur, atq; eos cōfirmaret, qui partium illius eſſent, Mediolani commorans, & occaſionem nactus, ut civitatem illam argento emungeret, ſimulabat ſe eam reſtituturum priſtinæ libertati, & Viſcontios in carcerem cōjiciebat, quos tamen paulò pôſt Caſtrutius Lucenſis liberabat. Romam deinde profectus, quò facilius Italiam univerſam turbaret, Antipapam creabat Petrum Cornaram, ejusque autoritate & potentia Viſcontiorum fretus, exiſtimabat haud difficile ſibi futurum, ut quos vel in Longobardia vel in Thuſcia haberet hoſtes, eorum omnium vires & potentiam frāgeret. Verùm moriebatur Caſtrutius, fuitque ejus mors cauſa & initium calamitatum Ludovici. Nam Piſæ, & Luca urbes ſtatim illi rebellabant,

& Piſani Antipapam captum mittebant in Gallias, ipſe de rebus Italicis deſperans in Germaniam revertebatur. Vix autem egreſſus erat indè, cum in eam veniebat Joannes Bohemiæ Rex, accerſitus ab iis qui in urbe Brixienſi Gibellinorum factionem ſequebantur, eamque urbem occupabat, præterea & Bergomum. Et quoniam conſentiente Pontifice venerat, tametſi Pontifex id negaret, juvabatur à Legato Bononienſi, qui hoc optimum cenſebat remedium, ne in Italiam reverteretur Imperator, fecitque hic diſceſſus illius in ea maximas mutationes. Cùm enim Florentini & Rex Robertus viderent Gibellinos adjuvari à Legato Pontificio, omnes eos habebant pro inimicis, quibus vel Legatus Bononienſis vel Bohemiæ Rex amicus eſſet: & multi alii Italiæ principes his ſe adjungebant, nullo vel Guelphorum vel Gibellinorum habito reſpectu, ut Viſcontii, Scaligeri, Philippus Gonzaga Mantuanus, Carrarienſes item & Eſtenſes, quos omnes excommunicabat Pontifex. Rex, quod fœdus illud metueret, domum proficiſcebatur majores copias collecturus. Quas etſi paulò pòſt adducebat in Italiam, tamen cum difficile illi eſſet vincere, diffidens rebus ſuis, contra voluntatem Legati Pontificii rùrſum ſe in Bohemiam recipiebat, Regio & Mutinæ tantum præſidio impoſito. Parmam cõmendabat Marſilio & Petro Roſſenſi, viris potentiſsimis in ea civitate. Rege ex Italia egreſſo, Bononia quoque confœderatis ſe jungebat, & ita conveniebat inter illos, ut ex quatuor illis civitatibus, quæ adhuc Eccleſiæ ſequebantur partes, Parma Scaligeris cederet, Regium Gonzagæ, Mutina Eſtenſibus, Luca deniq; Florentinis. Sed multa bella ſequebantur ex ea civitatum diſtributione, quæ tamen maxima ex parte ope & prudentia Venetorum ſunt ſopita.

Origo ac hiſtoria cõditæ urbis Venetæ.

Ac ne mirum alicui videatur, cur in his tantis & variis mutationibus, quæ in Italia acciderunt nullam unquam hactenus Venetorum fecerim mentionem, cum Rempubl. habeant cæteris Italiæ ducatib.

forma ſimul ac potentia præſtantiorem, dicam aliquid de origine illorum, & oſtendam, cur ante ſe non immiſcuerint rebus Italiæ afflictis. Quo tempore Attila Hunnorum Rex Aquileiam obſidebat, qui in ea erant cives, cum jam diu ſe defendiſſent, & de ſalute ſua deſperarent, quantum occaſio patiebatur, omni cum ſupellectile & theſauro ſuo confugiebant ad ſcopulos æſtuariorum maris Adriatici, vacuos alioquin & à nemine inhabitatos. Patavini quoque hoc vicino malo perterriti, & quod metuerent ne Aquileia potitus Attila, eos quoque opprimeret, res ſuas, quæ momenti alicujus eſſent, aſportabant in eadem æſtuaria maris, in locum quendam, cui nomen erat Rivo alto. Quinetiam infantes ſuos mittebant eò, fœminas item ac homines ſenio confectos, juventute ad urbis defenſionem ſervata. Illi præterea, qui montem Silium vicinosque colles inhabitabant, æquè metu perculſi, ad eoſdem maris ſcopulos ſeſe recipiebant. Capta itaque ab Attila urbe Aquileia, & devaſtato Patavio, monte Silio, Vicentia & Verona, Patavini & potentiſsimi quique, paludes Rivo altum ambientes incolebant. Sed & illi populi, qui loca huic provinciæ, quæ Venetia olim appellabatur, vicina tenebant, in eaſdem paludes ſeſe receperant, iiſdem de cauſis, quibus alii, & amœniſsimis fertiliſsimiſque locis relictis neceſſitate urgente, ſterilia, inamœna, omniſque commoditatis expertia inhabitabant. Erat illorum ingens numerus, & ex variis populis collectus. Quare intra paucos annos ita ab iis excolebantur ea loca, ut non ſolum commodè inhabitari poſſent, verùm etiam ut eſſent amœniſsima. Condebant & leges inter ſe, ac in illa Italiæ devaſtatione tranquilliſsimè vivebant. Deniq; exiguo temporis ſpatio potentia ſimul ac autoritate augebantur: Nam & alii multi ſeſe iis adjungebant ex Longobardiæ civitatibus, propter Clephi Regis crudelitatem, eaque res maximo adjumento erat urbi Venetæ, & tanto quidem, ut cum poſtea Pipinus Galliarum Rex, invitatus à Pon-

tifice, Longobardos ex Italia ejicere conaretur, facta inter eum & Imperatorem Græcorum pace, Veneti & Beneventi Dux eo in ſtatu relinquerentur ab iisdem, ut neutrius cogerentur ſequi partes, intermedii inter illos ſua libertate gauderent. Quemadmodum autem neceſsitas initio coëgerat eos, ut in iis maris lacunis & æſtuariis ſedes ſuas figerent, ſic cum nullum aut exiguum in continenti terra haberent imperium, eadem planè neceſſitas cauſa illis erat cogitandi, qua ratione atque modo ſe familiaſque ſuas honeſtè ſuſtentarent. Itaque ad diverſas orbis partes navigantes, variis mercium generibus urbem ſuam adimplere cœperunt. Quibus cum alii opus haberent, qui continentem inhabitarent, neceſſum erat iis ad urbem hanc confluere, illarum comparandarum cauſa. Ac diu quidem nulla alia de re magis ſolliciti erant Veneti, quàm ut quam facilimè poſsent merces illas ad urbem ſuam perferri: ideoq; portus cõplures occupabant in Græcia ſimul & Syria. Poſtea cũ Gallos in Aſiã irruentes claſſe ſua adjuvarent, præmii loco Candiã Inſulam cõſequebantur. Ad eum modum viventes longè lateq; dominabantur in mari, in ipſa autem Italia tam venerabile erat illorum nomen & autoritas, ut ſæpè maximarum cõtroverſiarum, quæ inter alios incidiſſent, arbitri eligerentur. Ut in ea confœderatorũ diſſenſione, qua de jurisdictione locorum quorundam diſceptabatur. Nam & hæc componebatur à Venetis, & cenſura ac judicio illorum, Bergomum & Brixia civitates Viſcontiis tribuebantur. Cum verò temporis progreſſu Patavium, Vicentiam & Terviſium dominio ſuo adjeciſſent, nec ita multò pòſt Veronam, Bergomum & Brixiam multasque alias civitates in Romandiola & in regno Neapolitano, ſtimulati cupiditate imperandi eò crevit illorum faſtus ac ambitio, ut non Italis principibus tantùm, ſed ultra montanis regibus terrori eſſent: Fecitque idem hic illorum faſtus, ut exteri iſti, fœdere contra eos inito, uno die omne illis imperium adimerent, quod

quod vix multorum annorum ſpacio ſumptibus maximis paraverant. Et quanquam noſtra ætate partem aliquam illius recuperarint, tamen neque ita potentes ſunt, ut olim, neque tanta in autoritate apud alios, & more aliorum principum Italiæ nunc vivunt. Pervenerat ad Pontificatum Benedictus XII. is cum intelligeret omnem ſibi poteſtatem imperandi in Italia ademptam, cumque vereretur ne Ludovicus Imperator eam acquireret, cogitabat ſe poſſe amicitia ſibi devincire in ea iſtos, qui occupaverant loca Imperatori ſubjecta, ſi anſam illis præberet metuendi Imperii, ſeque conjungendi cum ipſo ad defenſionem Italiæ. Quare edicto facto, omnibus qui Longobardiæ partes occupaverant, concedebat, uti eas retinerent, modò juſto aliquo ac honeſto prætextu id feciſſent. Quod dum agit, moritur, ſuccedente Clemente VI. ubi cum Imperator videret quàm liberaliter aliis donaſſet Imperii urbes Pontifex, ne ipſe minus liberalis eſſet in donandis rebus alienis, quàm ille, eadem planè ratione permittebat, ut quod quisque occupaſſet ex Eccleſiæ Romanæ bonis, juſſu & autoritate ipſius retineret. Sic Galeottus Malateſta, ejusque fratres Arimino potiebantur: Piſauro item & Fano. Antonius Montefeldrenſis Marchia Anconitana, & Urbino oppido, Gentilis Varanius Camerino, Guido Polentus Ravenna, Sinibaldus Ordelaffus Forolivii & Ceſena, Joannes Manfredus Faventia, Ludovicus Alidoſius Imola. Multi præterea aliis in locis loca multa conſequebantur, ut ex omnibus iis quæ Eccleſiæ fuerant ſubjecta, pauca admodum reſtarent, quæ principem aliquem non agnoſcerent. Sic fractæ vires Eccleſiæ Romanæ, manſere debiles usque ad Alexandri VI. tempora, qui noſtra hac ætate tandem recollegit eas, magna cum infamia, ſuorum ſucceſſorum. Commorabatur autem Tridenti Imperator, cum hæc concederet, ſeq; in Italiam venturum ſimulabat, unde bella multa & diſſenſiones in Longobardia, quibus Parma civitas

Benedictus XII. Pont.

Clemens VI. Pont.

Imperator feuda cōſtituit in Italia. Fuit autem Carolus IV.

civitas in Viſcontiorum venit poteſtatem ac imperium.

Eodem tempore diem ſuum obibat Robertus Neapolis Rex, relictis poſt ſe duabus neptibus ex filio Carolo, jamdum antea mortuo. Caverat autem teſtamento, ut major natu, Joanna nomine, in eo regno ſuccederet, nuberetque Andreæ Regis Hungariæ filio, nepoti illius. At non diu in matrimonio habuerat eam Andreas, cum ab ea interficitur, & illa alteri cuidam nubit, cognato ſuo, Ludovico principi Tarentino. Quamobrem ut tantum facinus ulciſcerentur Ludovicus Hungariæ Rex, ejusque filius, Andreæ extincti frater, ducto in Italiam exercitu reginam ſimul cum marito è regno Neapolitano ejiciebant. Accidit ſub idem tempus res mira in urbe Romana & digna quæ memoretur: Nicolaus quidam, *Laurentius* cognomento, Capitolii Cancellarius, ejectis ex urbe ſenatoribus, Tribunum ſe faciebat, caput nimirum Reipubl. Romanæ, eamque ad antiquum ſtatum reducebat tanta cum opinione juſtitiæ & virtutis, ut non ſolum loca urbi vicina, ſed univerſa propemodum Italia ei gratularetur per legatos, & provinciæ, quæ olim ſubjectæ urbi fuerant (quia jam renatam quodammodo eam videbant) ſpem maximam de eo concipiebant. Denique alii metu, alii ſpe quadam & expectatione alicujus emolumenti eum honorabant. Interim ille nihil movebatur iſta autoritate, quin ſtatim ſe abdicabat magiſtratu, & negotiorum mole fatigatus, neve ab aliquo opprimeretur, clam ad Carolum Bohemiæ Regem confugiebat. Qui cum in odium & invidiam Ludovici Bavariæ Ducis à Pontifice Imperator eſſet electus, ut viciſsim rem gratam faceret Pontifici, Nicolaum illi mittebat captivum. Interjecto deinde aliquot annorum ſpacio, exemplo hujus, de quo jam diximus, alius quidam Franciſcus Baroceglius nomine, idem officium Tribunatus ſibi ſumebat in urbe Romana, ſenatoribus ejectis: Quare ut huic malo remedium adhiberet Pontifex,

liberatum

liberatum à carcere Nicolaum, priſtinæque libertati reſtitutum, Romam redire jubebat, & ut antè dignitate Tribunitia perfrui. Ac ſanè recuperabat eam Nicolaus interfecto Franciſco: verùm cum in odium Columnenſium incidiſſet, ipſe quoque haud ita multò pòſt interficiebatur, & manus gubernandæ Reipub. Romanæ poſt òbitum illius iterum demandabatur ſenatoribus. Ejecerat interea è regno Neapolitano Joannam Reginam, ut dixi, Hungariæ Rex, jamque dómum revertebatur, ubi Pontifex Romanus (quod Reginam potius quam ipſum Romæ cuperet vicinum) agebat cum eo, ut regnum ademptum reſtituturum ſe reginæ polliceretur, ſi maritus ejus titulo Ducis Tarentini contentus, Regis Neapolitani carere vellet. Agebatur autem tum annus Chriſti, MCCCL. & commodum videbatur Pontifici, ut annus Jubilæus à Bonifacio VIII. inſtitutus, è centeſimo ad quinquageſimum quenque annum reduceretur. Quare decreto ea de re facto, Romani ob hoc beneficium illis præſtitum, conſentiebant, ut Pontifex Cardinales quatuor ad urbem mitteret, qui ſtatum Reipub. collapſæ emendarent, quive ad arbitrium Pontificis ſenatores conſtituerent. Reſtituebat inſuper hic Pontifex Duci Ludovico titulùm Regis Neapolitani: contrà Joanna ejus uxor civitatem Avenionem donabat Eccleſiæ Romanæ, quam jure hæreditario poſſidebat. Jam verò mortuus erat Luchinus Viſcontius, ac Joannes Archiepiſcopus ſolus potitus Mediolano, bella maxima movebat in univerſa Thuſcia, præcipuè vicinis, fiebatque potentiſsimus. Quo ſimiliter mortuo, erant ex ea familia ſuperſtites Barnabas & Galeazius ejus nepotes, ſed pauló pòſt Galeazius quoque extinguebatur, relicto filio Joanne Galeazio, qui omnem ſtatum ac imperium familiæ illius cum Barnaba dividebat.

Annus Jubilæus à 100. ad 50. annum reducitur.

Præerat adhuc ea tempeſtate imperio Romano Carolus Bohemiæ Rex, ſedi Apoſtolicæ Innocentius VI. Is Cardinalem quendam Hiſpanũ, Ægidium nomine,

Innocentius VI. Pont.

nomine, in Italiam ablegabat, qui virtute & prudentia ſua non in Romandiola tantum ac in urbe Roma, verùm in univerſa Italia collapſam Eccleſiæ autoritatem reſtituebat, quam (ut antè admonui) Archiepiſcopus Mediolanenſis occupaverat. Cogebat inſuper populum Romanum, ut Senatorem peregrinum ſuſciperet, eum ſcilicet, quem annuatim mitteret Pontifex. Inibat honeſtiſſimas conditiones pacis cum Viſcontiis: Denique Joannem Argutum Anglum 4000. Anglorum partes Gibellinorum defendentem, in Thuſcia capiebat. Itaque cum poſtea ad Pontificatum perveniret Urbanus V. atque intelligeret tot victorias illius & res laudabiliter ab eo geſtas, ipſe quoque avidus videndi renovatum Italiæ ſtatum, Romam contendebat cum Imperatore Carolo: ubi per aliquot menſes ambo commorati, Carolus in regnum Neapolitanum revertebatur, Pontifex Avenionem. Mortuo hoc Urbano, creabatur in Pontificem Maximum Gregorius XI. Sed quoniam Ægidius Cardinalis è vivis erat ſublatus, jam rurſum diſſenſſionibus fervebat Italia: cujus illi erant autores, qui adverſus Viſcontios conſpiraverant. Quare novus Pontifex primum omnium Legatum in eam mittebat cum exercitu 6000. Britannorum: Ipſe deinde Legatum ſecutus ſedem Pontificiam in urbem Romanam reducebat, Anno Chriſti, MCCCLXXVI. cum annis LXXVI. eadem fuiſſet in Galliis. Succedebat huic Pontifici Urbanus VI. nec ita multò poſt creabatur Clemens VIII. Fundi, à Cardinalibus 10. qui negabant Urbanum legitimo more electum eſſe. Genuenſes diu jam Viſcontiorum imperio ſubjecti, ſub id ferè tempus rebellare illis cœperunt, ſeque in priſtinam libertatem aſſerere. Quin etiam inter hos & Venetos bellum maximum movebatur ob Tenedon Inſulam, unde novæ factiones in univerſa Italia, ubi primùm omnium conſpectæ machinæ bellicæ, quas *Bombardas* vocant, re-

Gregorius XI. Pont. Schiſma.

cens

ſcens Germanorum inventum. Ac quanquam in eo bello initio ſuperiores eſſent Genuenſes, urbemque Venetam per aliquot menſes obſidione premerent, poſtremò tamen Veneti victoria potiebantur, & pax firmata eſt inter eos & Genuenſes per Pontificem, anno Chriſt MCCCLXXXI. Orto in Eccleſia ſchiſmate, ut antè dixi, Joanna Neapolis Regina ſequebatur novi Pontificis partes, quare Urbanus Pontifex inſtabat ut regnum Neapolitanum à Carolo Durerio occuparetur, homine ex antiqua Regum Neapolitanorum familia prognato: Quod cum hic faceret, & pro ſuo uteretur, illa in Gallias fugiebat. Ferebat autem indignißimè hoc factum Galliarum Rex, & Ludovicum Angium in Italiam ablegabat, qui & regnum Reginæ recuperaret, & Urbanum Romà ejiceret, ſubrogato Antipapa in ejus locum. Verùm dum hoc molitur, Angius fato cedit, dißipatur ejus exercitus, & milites in Gallias ſeſe recipiunt. Interea Pontifex Neapolim proficiſcebatur, ubi in carcerem conjiciebat Cardinales novem, Galli & Antipapæ partes ſecutos, pòſt etiam regi incipit iraſci, quod is recuſaſſet quendam ex nepotibus ipſius ducem Capuæ creare: dißimulabat tamen iram iſtam, & petebat ut Nuceriam urbem ſaltem ei concederet; quam cùm obtineret, ſtatim eam muniebat, & hoc unum moliebatur, ut regem ex eo regno ejiceret. Re intellecta exercitum colligebat Rex adverſus Pontificem, eique bellum denunciabat. Pontifex Genuam ſe conferebat, ubi ſublatis è medio Cardinalibus captivis, Romam revertebatur, rurſumque creabat Cardinales XXVIII. numero, ſcilicet, ut autoritatem novam ſibi compararet. Carolus relicta Neapoli uxore & Ladislao ac Joanna liberis, in Hungariam proficiſcitur, eoque regno inauguratus, paulò pòſt diem ſuum obit. Dum hæc ita ordine geruntur, interfecerat Joannes Galeazius Viſcontius nepotem ſuũ Barnabã, & ſolus Mediolano potiebatur. Nec ſatis erat illi ducem eſſe univerſæ Longobardiæ, quin etiam

Bombarda primum omnium in Italia conſpecta.

etiam Tuſciam occupare volebat: quod dum agit, potiundæ totius Italiæ ſpe, ipſe quoque moritur. Urbano VI. ſuccedebat Bonifacius IX. Clementi VII. Antipapæ Avenione Benedictus XIII.

Bonifacius IX. Pont.

Erat tum Italia referta milite peregrino, Anglo, Germano, & Britanno, qui ſub variis principibus externis in eam venerat: partim etiam à Pontificibus miſſus, cum Avenione degerent. Eo igitur tunc ut plurimum utebantur in bellis Italiæ principes, usque ad Ludovici Conii tempora: is enim poſtea rurſum ex Italo milite exercitum conſcripſit ſub titulo S. Georgii: cujus tanta fuit virtus & diſciplina militaris, ut exiguo temporis intervallo omnem gloriam militibus externis adimeret, ſuam Italis reſtitueret, eoque ſolo uſi ſunt deinceps Italiæ principes, ſi quod bellum inter eos gerebatur. Cæterum malè conveniebat Pontifici cum populo Romano: Quare Aſsiſium profectus commorabatur ibi, donec annus Jubilæus inſtaret Chriſti MCCCC. Ubi ut in urbem rediret Pontifex, Romani ultrò recipiebant externum ſenatorem, quem ipſe vellet. Permittebant etiam ei, ut Caſtrum S. Angeli muniret. His pactionibus reverſus Pontifex, quo opes Eccleſiæ augeret, decretum faciebat, ut omnium vacantium beneficiorum reditus ad annum unum fiſco Pontificio cederent. Vita functo Joanne Galeazio Mediolani duce, ſtatus ejus ducatus in partes plurimas ſcindebatur, tametſi duos reliquiſſet filios, Joannem Mariam Angelum, & Philippum. Nam in his diſſenſionibus, quæ mortem ejus ſequebantur, etiam Joannes Maria Angelus, vitam cum morte commutabat, Philippus captus Ticini in arce detinebatur aliquandiu, ſed fide & auxilio præfecti evadebat. Inter alios multos, qui civitates illas & oppida occupaverant, quæ pater olim ipſorum poſſederat, erat Guilelmus Scaligerus: Hic proſcriptus confugiebat ad Franciſcum Carraram Patavii dominū, & adjutus ab eo, civitate Veronenſi potiebatur. Verum

non

non erat diuturnum hoc Imperium illius & poteſtas: necabatur enim à Franciſco veneno, ac vitam ſimul cum civitate amittebat. Vicentini, qui hactenus ſub Viſcontiis tranquillè & pacificè vixerant, ne potentia reguli Patavini ipſis quoque noceret, in clientelam Venetorum ſe dabant. Sic adjuti à Vicentinis Veneti, primum urbem Veronam occupabant, pòſt etiam Patavio potiebantur. Jam verò deſierat in humanis eſſe Bonifacius Pontifex, eratq; in locum illius ſuffectus Innocentius VII. Huic ſenatus populusque Romanus ſupplicabat, ut caſtrum antè ablatum & munitum ſimul cum libertate priſtina illis reſtitueret, ſed fruſtra hæc canebantur Pontifici; & populus Romanus Ladislai regis Neapolitani implorabat opem: Lite deinde inter eos ſopita, in urbem redibat Pontifex, è qua metu & terrore civium Viterbium confugerat, eoque in loco nepotem ſuum Marchiæ Anconitanæ fecerat Comitem, nec ita multò pòſt extinguebatur. Creabatur eo mortuo in Pontificem Maximum Gregorius XII. ea lege & conditione, ut ſi Antipapa renunciaret dignitati Pontificiæ, ipſe quoque eidem renunciaret. Ac ſanè tantum laborabatur eo temporè à Cardinalibus in reducenda ad unionem Eccleſia, & tollendo ſchiſmate, ut Benedictus Antipapa ad portum Veneris veniret, Gregorius XII. Lucam: cumque multa hinc inde inter eos tractarentur, nec tamen certi quicquam decerni poſſet, utrunque ſemovebant Cardinales dignitate Pontificia, & Benedictus in Hiſpaniam proficiſcebatur, Gregorius Ariminum. Suaſu deinde ac hortatu Balthaſaris Coſſæ Bononiæ Legati iidem Cardinales concilium cogebant Piſis, quo Pontificem maximum creabant Alexandrum V. Qui adeam dignitatem evectus regnum Neapolitanum Ludovico Angio concedebat, excommunicato Ladislao: præterea bellum eidem Ladislao movebat, pacto fœdere cum Florentinis, Genuenſi, Venetis & Legato Bononienſi, urbem Romam capiebat, tandem moriebatur in medio

Innocentius VII. Pont.

Gregorius XII. Pont.

Alexander V. Pont.

Ioannes XXIII. Pont.

belli ardore,ejusque in locum ſubrogabatur Balthaſar Coſſa, *Ioannes* XXIII. appellatus. Hic Bononiæ electus ſtatim ad urbem contendit, ubi cùm Ludovicum Angium reperiret jam tū è Marſilia reverſum cum claſſe, & in eum caſum ambo inciderent, ut cum Rege Ladislao manus illis conſerendæ eſſent, perrumpebant quidem illius exercitum, ſed quod haberent parum exercitatos naucleros, victoria cadebant. Ita Rex paulò poſt iterum potiebatur urbe Romana, Pontifex Bononiam confugiebat, Ludovicus in Provinciam. Ut autem Ladislai Regis potentiam frangeret Pontifex Romanus, omnem lapidem movebat, ut Sigiſmundus Hungariæ Rex Imperator crearetur, eoque in Italiam accerſito, Mantuæ cū eo agebat de Concilio generali indicendo, quo ad concordiam redacta Eccleſia, ab hoſtibus ſuis facilius defenderetur.

Sigiſmundus Imp.

Erant itaque eo tempore Pontifices numero tres, Gregorius, Benedictus, & Joannes, quorum odio & diſſenſione valdè frangebantur Eccleſiæ vires, ac imminuebatur autoritas. Locus Concilio deſignabatur Conſtantia, Germaniæ urbs, præter expectationem & voluntatem Joannis Pontificis. Et quamvis inopinata Ladislai morte omnis ſpes & emolumentum adimebatur Pontifici, quod ex eo Concilio accepturum ſe ſperabat, quia tamen jam conſenſerat in illud, non poterat facere, quin ipſe quoque eidem intereſſet. Itaque Conſtantiam veniens, & poſt aliquot menſes ſerius (ut dici ſolet) quàm decebat, errorem ſuum agnoſcens, fugamque indè meditans, captus cogebatur dignitati Pontificiæ renunciare. Renunciabat & Gregorius eidem per Legatum quendam.

Tres Pontifices Romani ſimul dignitate privati.

Benedictus qui renunciaturum ſe negabat, primùm pro hæretico declarabatur, deinde cum etiā ab iis Cardinalibus deſereretur, qui partes illius hactenus ſecuti erant, tandem ſimiliter adigebatur ad renunciationem, & creabatur à Concilio Pontifex Maximus Ottho Columnenſis genere, eique nomen indebatur Martino V.

Martinus V. Pont.

Hac via atque ordine

dine ad unionem & concordiam reducebatur Eccleſia, cum annis XL. diſtracta ſciſſaque in plures & varios Pontifices fuiſſet.

Sub hæc tempora ferè Philippus Viſcontius in arce Ticini detentus, ut antè dixi, fortuna maxima augebatur. Cum enim diem obiiſſet Fantinus Canis, qui in iis, quas recenſui, Longobardiæ calamitatibus & ærumnis, Vercellas, Alexandriam, Novariam & Tortonam civitates occupaverat, ac liberos nullos reliquiſſet, ad quos bona ejus deferrentur, Beatricem conjugem ſuam inſtituerat hæredem, caveratque ut illa poſt obitum ſuum eidem Philippo nuberet. Hoc igitur matrimonio Mediolani dux fiebat Viſcontius, & univerſa Longobardia potiebatur. Ac initio quidem ſummam benevolentiam & amorem ſibi conciliabat apud omnes munificentia & liberalitate ſua, ut plerumq; ſolent tales principes: poſt ſtupri accuſabat Beatricem conjugem, eamque interfici jubebat. Ad eum modum factus potentiſſimus, cogitabat, quo pacto Thuſciæ quoque bellum inferret, & Joannis Galeazii parentis ſui veſtigiis inſiſteret. Reliquerat Ladislaus Neapolis Rex, è vivis decedens, ſorori ſuæ Joannæ maximum exercitum, eique præſtantiſſimos quosque Italiæ præfecerat, inter quos principem locum obtinebat Sforza Cantignolius, homo ea ætate peritiſſ. in re militari. Hic Regina, ut ſuſpicionẽ omnẽ à ſe amoveret, in quam incidere poterat, ob Pandolphum quendam, quem in aula ſua habebat à pueritia in eadem educatum, nubebat Jacobo Marchiæ Comiti, Gallo natione, & ex regia ſtirpe propugnato, ea lege & pactione, ut is titulo Principis Tarentini contentus, regni Neapolitani titulum omnemque ejus adminiſtrationem ſibi ſoli relinqueret. Verùm ſtatim ut Neapolim appulit Jacobus, rex ab exercitu ſalutabatur, unde bellum inter eum & uxorem planè dubio eventu. Ac vincebat quidẽ regina, regnoq; ſervato Pontifici quoque indicebat bellum: Sed Sforza, ut eam in periculum conjiceret, ſtipendio ſuo renuncia-

bat, cum illa nihil tale facturum eum cogitaret. Quæ ſanè re damno maximo afficiebatur, & quia nullum alliud remedium reperiebat, quo malum hoc repelleret, ad Alphonſum Arragoniæ & Siciliæ Regem confugiebat, eoque in hæredem adoptato, Bracii de Montone operam conducebat, qui & par Sfortzæ judicabatur peritia rei militaris, & hoſtis capitalis erat Pontifici, quod is illi urbem Peruſinam ademiſſet. Quanquam autem pax iterum deinde facta eſt inter Reginam & Pontificem, metuebat tamen Alphonſus, ne eodem quoque modo ſecum ageret Regina, quo cum marito egerat antea, & operam dabat, ut munitiſſima quæque regni Neapolitani loca aſtu occuparet. Illa contrà non minus aſtuta atque ſagax arcem Neapolitanam muniebat. Cum igitur magis magisque inter eos augeretur ſuſpicio ac ſimultas, ad arma deveniebatur, & vincebat Alphonſum regina, duce Sfortza; is enim iterum jam militabat ſub ſtipendiis illius: Victum regno ejiciebat, adoptione privabat, Ludovicum Angium ejus in locum adoptabat. Unde novum bellum inter Braccium, qui Alphonſi partes erat ſecutus, & Sforzam reginæ præfectum. Quod dum geritur inter eos, dumque Sforza ad Piſcaram flumen trajicit, in aquis perit. Iterum igitur deſtituebatur regina præfecto, ac paululum aberat, quin regno ejiceretur, niſi ope & auxilio Philippi Viſcontii Mediolani ducis fuiſſet adjuta: hic enim eò redigebat Alphonſum, ut in Arragoniam ſe reciperet. Interim Braccius nihil movebatur eo Alphonſi diſceſſu, & bellum ſemel cœptum adverſum Reginam urgebat. Jamque Aquilam occupaverat, cum Pontifex præviderет, quanto in periculo verſaretur Eccleſia Romana, ſi potentia Braccii augeretur. Quare exercitu ſuo præficiebat Franciſcum Sforzæ filium, qui ad eandem deinde civitatem Bracciũ ſimul interficiebat, & exercitũ illius in fugã vertebat. Reſtabat adhuc à parte Braccii Ottho ejus filius, cui Peruſina urbs antè à Põtifice erat adẽpta, Mõtone relicta: verum hic quoq; interficiebatur paulò pòſt in Romandiola,

Romandiola,cum Florentinorum defenderet partes omniſque Braccianorum defenſio & adminiſtratio rei militaris ad Nicolaum quendam devolvebatur, cognomento Parvum.

Igitur ex præcipuis Italiæ regionibus eo tempore regnum Neapolitanum obtinebat Regina Joanna II. ejus nominis: Marchia Anconitana, patrimonium Petri ut vocant, & Romandiola partim Eccleſiæ Romanæ erant ſubjecta; partim ab aliis tenebantur: qui cum aliquando præfecti fuiſſent illorum locorum,eadem tyrannide ſua occupaverant: Ferrariam, Mutinam & Regium Eſtenſes: Faventiam Manfredii: Imolam Alodoſii: Forumlivii Ordelaffii: Ariminum ac Piſaurum Malateſtæ: Camerinum denique Varanii. Suberat Longobardia partim duci Philippo, partim Venetis, erantque ejectæ ex ea omnes familiæ illuſtres, una Gonzagarum familia excepta, hæc enim Mantuam adhuc retinebat. Thuſciæ bona ex parte dominabantur Florentini. Luca tantum & Sena veteri jure utebantur: ſed Luca à Guinicis regebatur, Sena libertate ſua gaudebat, Genuenſium, quòd nunc libertate priſtina uterentur, nunc regum Galliæ aut Viſcontiorum imperio eſſent ſubjecti, nulla erat autoritas,& inter minores Italiæ ſtatus numerabantur, denique præcipui quique Italiæ principes ac familiæ, armis propriis erant exuti. Latebat domi Dux Philippus,& gerebat bella, ea per alios adminiſtrabat. Veneti in continenti dominum quærentes, omnem gloriam amittebant, quam bello navali comparaverant,& ut reliqui Italiæ principes, exercitus ſuos aliorum gubernationi committebant. Pontifex Romanus,& Joanna Neapolis Regina, partim ſexu, partim religione impediebantur, quo minus arma ſumerent,& neceſſitate quodammodo cogebantur, ut id facerent, quod alii ſpe vana ac inani fecerant. Quin etiam Florentini eadem neceſſitate urgebantur: Cùm enim ob frequentem mutationem ſtatus, major pars nobilitatis illorum interiiſſet,& Reſp. iis adminiſtraretur, qui à teneris, quod ajunt ad

Vires Italiæ fractæ.

mercaturam potius, quàm ad arma eſſent adſuefacti ipſi quoq; e eandem fortunam experiebantur, quam alii. Breviter, ac ut uno verbo dicam, omnis Italiæ vis belli & poteſtas, aut Regulis pendebat, aut ab iis, quorum nulla ferè erat potentia vel autoritas. Reguli nulla gloria accendebantur, ſed toti in eo erant, ut tranquillè uterentur rebus ſuis, vel ſi poſſent, eas augerent: Alii non admodum verſati in magnis & arduis rebus, quæſtui inhiabant, aut cum quæſtu ſimul autoritatem aliquam ſibi parabant. Erat ex eorum numero Carmignolus, Franciſcus Sforza, Nicolaus cognomento *Parvus*, alumnus Braccii, Agnolus de Pergulà, Laurentius ac Michael Attentuli, Tartaglius, Jacopaccius, Ceculinus Peruſinus, Nicolaus Tollentinus, Guido Taurellus, Antonius de Ponte ad Hieram, multique alii, quorum ſuprà feci mentionem. Adjunxerant etiam ſe his Urſini & Columnenſes, urbis Romæ Barones, & complures alii nobiles, Neapolitani & Longobardi, atque ita conveniebat inter eos, ut & tempori inſervirent omnes, & ex iis à quibus bellum aliquod gerebatur, rarò admodum alter altero eſſet ſuperior, æquali propemodum fortuna diſcederetur. Denique is erat ſtatus rerum in Italia ea ætate, ut ſi quis vel mediocriter in re bellica exercitatus eſſet præfectus, & in quo ſaltem umbra aliqua veteris virtutis militaris eluceret, cum ſinguli admirarentur.

LIBER

LIBER SECUNDUS NICOLAI MACHIAVELLI, CIVIS ET SECRETARII FLORENTINI, *Hiſtoriam Florentinam complectens.*

INter magnas & admirandas rationes priſcarum illarum Rerumpub. & Imperiorum, conſervandorum, quæ hoc ſeculo interierunt, non immerito numeratur ſtudium, quod in extruendis novis civitatibus atque coloniis, frequenti in uſu fuit: *nihil etenim optimo Principe benéque conſtituta Rep. adeo dignum, neque regionibus adeo utilè reperiri queat, quam inſtaurandis novis coloniis vacare, ut ſit quo genus humanum defenſioni ſuæ ſe recipere, terramque commodo ſuo excolere poſſit:* quod quidem priſcis factu non adeo difficile fuit, utpote quibus receptum erat, in provincias ſubactas, aut alia ratione vacuas, novos habitatores ſubſtituere, quod genus replendarum provinciarum, colonias vocabant. Neque etenim, ea ratione, ſolummodo novæ urbes ſurgebant, ſed etiam victori provinciæ eo magis in tuto conſtituebantur, loca præterea alioquin vacua, habitatoribus explebantur tandemq; homines recte diſtributi, publicam rem conſervabant. Quod enim, ea ratione, homines in provinciis commodiſſimè haberent, inde eorum copia profluebat, eôq; tam ad offendendum alacriores, quam ad defendendum tutiores conſpiciebantur. Poſtquam verò ratio iſta, ob pravam rerum publicarum adminiſtrationem, hoc ævo interierit, inde tam debilitatem, quam interitum imperiorum, conſequi plane neceſſarium eſt, ſiquidẽ hæc ratio ſola atque primaria exiſtit, qua Imperia in tuto ſint, regionesq; incolis, uti dictũ eſt, abundent. Securitati quidem provinciarum, hinc ideo proſpectum li-

Ratio amplificandarum Rerumpub.

Quid coloniæ.

Coloniarum utilitas.

quet, quod iſtiusmodi Colonia, in devicta provincia conſtituta, arcis atq; propugnaculi loco ſit, qua incolæ in fide atq; officio contineantur: præterea, vix unquam provincia frequenti habitatore abundare, nec homines in illa bene diſtribui queant, niſi hæc ratio ſedulo obſervetur, ſiquidem non univerſa ut plurimum provincia, generationi atque ſanitati conducat, unde tandem conſequi neceſſe eſt, ut alia regionis pars colonis abundet, altera hominibus deſtituta ſit: quod ſi itaque rationem illam, qua egenæ colonis partes, ex abundantioribus locis expleantur, minus ſequi velimus, regio certe illa diutius ſubſiſtere nequit, quod nimirum alteram ejus partē, ob raritatem colonorum deſeri, alteram, ob nimiam frequentiam opibus exhauriri tandem conſequatur.

Salubritati regionum.

Cum verò natura ipſa huic incommodo obviam ire nequeat, eam ob rem requiritur, ut id induſtria reſtituatur: conſtat ſiquidem, regionem minus ſalubrem hac ratione corrigi, ſi nimirum ea, uno eodemq; tam cultura terram, quam frequentia ignium aërem ſalubriorem reddant, quod quidem à natura ipſa præſtari nunquam poſsit. Huic rei Venetorum urbs, fidem facere queat, quæ quidem in loco paluſtri adeoque inſalubri ſita, nihilominus hominum, qui eodem tēpore paludes iſtas inſederunt, frequentia, ad ſalubritatem redacta fuit.

Piſarum incrementū.

Piſæ præterea, ob aëris inclementiam nunquam cive abundarunt, niſi ab eo tempore, quo Genua, omnisq; illa ora à Saracenis vaſtata fuit, ſiquidem ij, qui cladem illam evaſerunt, patrio ſolo exuti, tanta copia hâc confluxerunt, ut eam urbem tam replerent, quam potentia amplificarent. Quod ergo ratio illa, Coloniarum conſtituendarum, nobis interiit, eam ob rem, tam provincias bello ſubactas, eo majore cum onere atq; diſcrimine tuemur, quam novæ regiones habitatore carent, atque abundantiores eo nunquam exonerantur. Hinc ſane permagna orbis pars, præſertim in Italia, ſi priſcum ævum reſpicias, deſerta jacet, quod quidem hinc eveniſſe, atque hodiernum evenire liquet, quia nec principes veram gloriam venantur, nec Reſpublicæ quidquam

agunt, quod aliquam laudem mereri queat. Ergo veteres, ex his Coloniis, tam novæ urbes crebrò emergebant, quam inchoatæ in majorem amplitudinem creſcebant, atque inter has Florentia conſpicua eſt, utpote quæ à Feſulanis initium atque à Coloniis incrementum ſumſit. Certo enim certius eſt, quod etiam à Dante atque Joanne Villano, demonſtrationibus ſolidiſſimis aſſeritur, Feſulanos, quorum urbs jugum montis occupaverat, quo cõmoditati eorum inſervirent, qui ad ſe mercatum venire cuperent, eòque mercatura uberiore gauderent, mercibus advenarum exponendis, non verticem montis, ſed planum iſtud, quod montis radicem, atque flumen Arnũ interjacet deſtinaſſe. Hinc meo quidẽ judicio, prima inibi ædificia ſurrexerũt, in quæ mercatores nimirũ merces ſuas tuto reciperent, quæ tandẽ in juſta domicilia abierunt atq; poſtmodum, devictis à Po. Ro. Carthaginenſibus, Italiaque undique pacata, amplificata auctaque fuerunt: *Neque etenim hominib. in anguſto verſari unquam libet, niſi neceſſitate aliqua eò adigantur, adeo ut etiam ij ipſi, qui, metu belli, loca aſpera munitaque incolere conſueverant, poſtquam nihil amplius periculi ſupereſt, ad amœniora deſcendere ſoleant.* Ergo ſecuritas illa, qua univerſa Italia, ſub auſpiciis Ro. Reipub. gaudebat, ædificiis iſtis, ea quam diximus ratione inchoatis, incremento fuit, ut ea tandem oppidi, quod primo quidem Arninum cognominabatur amplitudinem exhiberent. Bella abinde civilia, inter Marium Sullamque primum, poſt inter Cæſarem & Pompejum, tandem inter eos qui Cæſarem obtruncarunt, ejusque necis vindices, exarſerunt. Prima itaq; Colonia à Sulla, poſtmodum aliæ à Triumviris illis, qui poſt vindicatam Cæſaris necem, rem Romanam inter ſe partiti erant, Feſulum translatæ fuere, quæ quidem vel univerſæ, vel major earum pars, juxta oppidum iſtud, domicilia ſibi exſtrunxerunt, adeo ut hoc incremento, planities illa tot ædificiis occuparetur, quo illa civitatib. Italiæ deinceps non immerito adſcriberetur. Unde verò ea nomen Florentiæ ſort ta

Florentiæ origo à Feſulanis.

Eius incrementum,

Et nomen.

ſit, variæ ea de re opiniones exſtant, ſunt ſiquidem, qui eam à Florino, Coloniæ Principe, denominatam affirment, alii Fluentiam ab initio, non Florentiam audiviſſe nuncupant, quod ea nimirum ad Arni fluvii ripam ſita eſſet, atque hujus opinionis teſtem Plinium adducunt, qui Fluentinorum, ad fluentem Arnum ſitorum, mentionem facit. Falli tamen eos arbitror: neque etenim, eo loci, Plinio propoſitum eſt, de nomine iſtius municipii verba facere, ſed potius demonſtrare, ubi Florentia ſita ſit, corruptam itaque eſſe ſcriptionem apud Plinium apparet, ſiquidem tam Frontino, quam Cornelio Tacito, qui circa Plinii tempora ſcripſere, ea jam Florentia nuncupatur, adeoq; jam tempore Tiberii Cæſaris ad conſuetudinem reliquarum Italiæ civitatum regebatur: Scriptum ſiquidem Cornelius reliquit, legatos Florentinorum Imperatorem oraſſe, ne aquæ in agros ipſorum derivarentur, neque adeo veriſimile ſit, civitatem illam, uno eodemq; tempore, diverſa nomina habuiſſe. Mihi itaq; conſtitutum eſt, eam ſemper Florentiam audiviſſe, quidquid tandem appellationi occaſionem præbuerit: originem etiam ejus Imperio Romano adſcribendam, tandem, ſub primis Imperatoribus, à ſcriptoribus celebrari cœpiſſe. Barbarorum poſtmodum incurſionibus Imperium Romanum prementibus, urbs ipſa, à Totila Oſtrogothorum rege, everſa, atq; ducentis quinquaginta ab inde annis, à Carolo Magno reſtaurata fuit, à quo deinceps tempore, uſq; ad annum Chriſti MCCXV. eam fortunã paſſa eſt, quà ij vivebant, qui tum ſumma in Italia potiebantur. Primo ſiquidẽ ſtirps Carolina eam obtinuit, inde à Berengariis occupata, tandem Imperatorib. Germanis, ſicuti in tractatu noſtro univerſali dictum eſt, paruit: quo quidem tempore Florentini ob eorum qui ipſis imperabant potentiam, nihil memoria dignum geſſerunt, præterquam quod ij anno MX. S. Romuli die ſolenni, Feſulum caperent atq; everterent, quod quidem vel Imperatore aſſentiente, vel ſub interregnũ [*quo tempore audendi major facultas*] geſtum eſſe, vero conſentaneum eſt. Poſtquam verò

Plinius correctus.

Vaſtatio.

Reſtauratio.

Feſulanorũ everſio.

Incrementa Pontificum.

Pontificum authoritas in Italia auctum, Imperatorum verò Germanorum poteſtas imminutum ibat, omnes illius provinciæ urbes, minore cum reverentia Principes ſuos habere cœperunt: adeo, ut ſub annum Chriſti MLXXX. tempore Henrici III. Italia omnis in duas partes, Imperatorias nimirum ac Pontificias, ſcinderetur, inter quas nihiloſecius diviſiones, Florentini concordes & quieti, usq; ad annũ MCCXV. egerunt, nec aliud ſibi imperium, Victoribus morigeri, quam ſalutem ſuam expetiverunt. At quemadmodum corporibus noſtris accidere cernimus, ut quo lentiore morbo invadimur, eo majora diſcrimina & pericula nos manere ſoleant, ſic etiam Florentinis uſu venit, ut quo tardius partium ſtudia ſequerentur, eo periculoſius poſtmodum cum iis confligendum ipſis fuerit. Ac prima quidem partium cauſa ſatis omnib. nota eſt, utpote quæ à Dante, multisq; aliis ſcriptoribus, notata ſit, interim brevib. eam hic repetere, non alienum erit. Inter familias præcipuas, potentiæ Florentiæ eminebant Bondelmontii atque Uberti, tum Amidei atque Donati. Donatorum in familia, viduæ opulentiſſimæ filia erat, forma præſtantiſsima, quam Bondelmontio equiti, familiæ iſtius Principi, nuptum elocare mater ſecum deliberaverat, mentem tamen ea de re, vel ex negligentia, vel quod nihil ex mora periculi exſpectaret, nemini hactenus aperuerat, donec Bondelmontius ille fatali ductu, filiam ex Amideorum familia ſibi deſponderet: quam quidem rem indigniſsimè vidua ferebat, verùm filiæ excellenti formæ confiſa ſperabat nuptias iſtas, antequam firmarentur turbari poſſe. Cum itaque aliquando Bondelmontium ædes ſuas præterire ſolum conſpexiſſet, occaſione ea utendum rata, ſe in ædium partes inferiores, filia ponè ſequente, mox recepit, atque Bondelmontio obviam facta, ſic ipſum allocuta fuit. Gratulor equidem tibi non mediocriter, quod uxorem te duxiſſe intellexerim, licet negare nolim, hanc filiam meam me tibi ſervaſſe, ſimul hæc effata, adapertis januis filiam ipſi conſpiciendã præbuit. Cum ergo

Prima partium origo apud Florentinos.

Bondelmontius formam virginis, quæ ſanè rariſſima erat, contemplaretur, tum etiam origine, cæteriſque dotibus, hanc ſponſæ ſuæ minimè cedere cogitaret, confeſtim tanto deſiderio ejus potiundæ accenſus fuit, ut fidem datam ſponſæ, injuriam præterea in familiam Amideorum, malaque inde proculdubio manatura negligens, extēplo viduæ reſpōderet: poſtquā hāc te mihi ſervaſſe intelligo, ingratus ſane habear, ſiquidem id facere hactenus liceat, ſi fortunam minus reverenter amplexus fuerim: moraque nulla interpoſita, nuptias cum hac virgine celebravit. Fodicabat hoc facinus omnium, tam Amideorum, quam Ubertorum (utpote qui invicem neceſſitudine atque affinitate conjuncti eſſent) animos, & tam inſignem injuriam minimè tolerandam, atque ſola Bondelmontii morte expiandam, conventu eam ob rem habito, magno numero decreverant. Ac licet eorum non pauci, mala inde proventura, ominarentur, eaque in medium proponerent, Moſca tamen Lambertus, in hanc ſententiam erumpens, *quod multa ponderando nihil concluderetur, tritumque proverbium, quod res perpetrata caput haberet,* addens, omniū animos ad vindictā inclinavit. Cura itaq; ejus rei Moſcæ, Stiatto Uberti, Lābertuccio Amidei, atque Odorigo Fifanti demandata. Atque hi quidem feſto Paſchatis die, ex ædibus Amideorum, quæ pontem veterem, fanumque S. Stephani inter erant, in Bondelmontium, equo albo vehentem, atque injuriām ea facilitate, qua ſtipulatæ nuptiæ reſcribuntur, poſthaberi arbitratum, irruentes, ſub ſtatua Martis, cum equo excuſsum interemerunt. Facinus iſtud omnem urbem in duas partes diſtraxit, quarum altera Bondelmontiis, Ubertis altera adhærebat: utrique partium ædes ſatis munitæ, tum turres & familiarium magnus numerus, eam ob rem pugnatum inter illas aliquoties, multis poſt annis, acriter, ſic tamen ut neutri alteros pellerent, odiaque inter ipſos, non tam pace componerentur,

Ex Bondelmontii levitate.

Cauſa ipſius necis.

tur, quam induciis quieſcerent, atq; ea ratione novis ſubinde cauſis emergentibus, vel denuo arderent, vel iterum ſeponerentur. Laboravit ergo urbs ſub eo onere usque ad Friderici II. ſæculum, cui mens erat, quod Regnum Neapolitanum Imperio ſuo acceſſiſſet, potentiam ſuam contra Pontificem roborare, eam ob rem, quo Tuſciæ tutius imperaret, Ubertos, eorumq; ſequaces, ſibi protegendos ſumſit, qui porrò ea potentia auctiores, Bondelmontios urbe ejecerunt, atq; inde urbs noſtra (ſicuti hactenus univerſa Italia, in Guelphos atq; Gibellinos diviſa erat) etiam ipſa partium illarum ſtudia amplecti cœpit. Neq; ſuperfluum fuerit, familiarum, quæ partib. adhærebant, præcipuarum, nomina poſteritati relinquere. Guelphorum itaq; partes ſequebantur Bondelmontii, Nerlii, Roſsii, Freſcobaldii, Mozii, Pulcii, Gherardinii, Foraboſchii, Bagneſii, Guidalottii, Sachettii, Manierii, Lucandeſii, Chiaramontani, Campiobaſsii, Cavalcantii, Giandonatii, Gianfigliazii, Scalii, Gualerottii, Importunii, Boſtichii, Tornaquincii, Vechiettii, Toſinghii, Ariguccii, Aglii, Sitii, Adimarii, Visdomini, Donatii, Pazzii, de La Bella, Ardinghii, Thebaldi, Cerchii. Gibellinis ſtudebant Ubertii, Manellii, Ubriachii, Fifantii, Amidei, Infangatii, Maleſpinii, Scolarii, Guidii, Gallii, Caprardii, Lambertii, Soldanierii, Ciprianii, Toſchii, Amierii, Palerminii, Migliorellii, Piglii, Baruccii, Cattanii, Agolantii, Bruneleſchii, Caponſachii, Eliſeii, Abbatii, Tedaldinii, Guochii, Caligaii. His nobilioribus familiis utriusq; partis, multæ popularium ſeſe addixerunt, adeo, ut univerſa ferè urbs, hiſce diviſionib. inficeretur. Guelphi itaq; ea ratione exacti, in vallū iſtud, quod ſupra Arnum vocatur in munitiora loca ſua ſeſe receperunt, atq; quatenus licebat, ibi inimicorum potentiæ reſiſtebant. Ab obitu verò Friderici, Florentinorum ij, qui ſeſe integros à partium ſtudiis ſervaverant, & quorum apud populum authoritas valebat, de componendis potius diſsidiis, quam ut earum cauſa urbs

Fridericus II. Imp. Guelphi Florentia ejecti.

Iterum recepti. urbs periclitaretur, ſuadere cœperunt, tandemque perfecerunt, ut Guelphi, neglectis injuriis, redirent, atque à Gibellinis, ſepoſitis ſuſpicionibus, reciperentur. Jam itaque in unum compoſiti, de adipiſcenda libertate, atque defendendi ſeſe mediis, antequam Imperator novus potentia creſceret egerunt. *Mutataq; Reip. forma.* Urbs ergo in ſex claſſes diſtributa, atque duodecim cives electi, quorum bini cuique parti, annua dictatura, præeſſent, iisque nomen Antianorum tributum. Quo verò cauſis inimicitiarum, quæ ex judiciis oriri ſæpius ſolent, obviam iretur, eam ob rem duos judices extraneos conſtituerunt, quorum alter Capitaneus ſive Dux, à poteſtate verò alter, Podeſta, denominaretur, quorum eſſet, tam in civilibus quam criminalibus, inter cives jus reddere. *Poſtquam verò inſtitutum nullum diutius ſubſiſtere poteſt, niſi ſit, qui defendẽdum id ſuſcipiat*, ideo ex civibus viginti, ex agro verò ſeptuaginta ſex vexilla, è lectiſſima juventute ſcripſerunt, quibus incumbebat, quotiescunq; vel à Duce, vel ab Antianis vocarentur, armatis ad vexilla (quæ quidem pro armaturæ genere diſtincta erant, alia enim vexilla baliſtarii, ſcutati alia gerebant,) confeſtim confluere. Feſto ſiquidem Pentecoſtes die maxima cum celebritate quotannis his vexilla tradebantur, atque univerſæ militiæ Duces ſolenniter præficiebantur. Quo vero exercitus ille majore cum majeſtate, in aciem prodiret, tum etiam militi conſtaret, quo diſſipato ſibi recipiendum, atque reſtaurato agmine denuo pugnandum eſſet, huic rei plauſtrum conſpicuæ magnitudinis, rubeoque panno opertum fabricarunt, quod jugo boum protractum, vexillum primarium, rubeo alboque colore diſcriminatum, geſtaret. *Vexillum primarium plauſtro protractũ.* Atque id quidem plauſtrum, ſi quando exercitus vocandus eſſet, in forum novum agebatur, ibiq; ſolennibus ceremoniis militiæ Ducibus conſignabatur. Præterea, ne quidquam majeſtati deeſſet, peculiarem Campanam Martinellæ titulo celebrem, ſumſerunt, quæ integrum menſem, priusquam exercitus

tus in hoſtem pergeret, pulſaretur, adeoq; hoſti ad defenſionem tempus ſuppeteret, tanta virtus nimirum id temporis in viris iſtis conſpiciebatur tantoq; animo Res ab iſtis publica adminiſtrabatur, ut quod noſtro ævo hoſtem incautum opprimere, in laude reputur, id tum temporis ignominiæ fraudiſq; loco haberetur. Eadem campana exercitum comitabatur ad ejuſq; pulſum tam excubiæ diſponebantur, quam reliqua militiæ munia componebantur. Atq; his quidem, tam militaribus, quam civilibus inſtitutis, Florentini libertatem ſuã fundarunt: neq; facile dici queat quãtũ authoritatis atq; potentiæ, parvo tẽporis intervallo, ipſis hinc acceſſerit, ſiquidẽ non modo caput Thuſcię audire, verum etiã inter præcipuas Italiæ urbes habẽri cœperunt, nec ſane quicquã, ad ſummã potentiã adipiſcẽdã, ipſis defuiſſet, niſi crebris noviſq; diviſionibus agitati atq; conſumpti fuiſſent. Stetit ea Reip. forma decẽnio, quo quidẽ tẽpore Pictorienſes. Aretios, atq; Senẽſes, ad fœdus ineundũ vi adegerunt, Volaterranos ſubegerũt, deletiſq; aliquot propugnaculis, eorũ incolas Florentiã traduxerũt, atq; hæc omnia Guelphorum conſiliis potiſſimũ agebantur, quod nimirũ multo plus Ghibellinis poſſent, tam quod hi, ob ſuperbã, ſuperioris ęvi ſub Friderico, adminiſtrationẽ populo exoſi eſſent, quam quod Pontificum partes, plus quã Imperatoris, armarentur, ſiquidem *ope Pontificum libertatẽ ſe firmare poſſe ſperarent, quã ſub Imperatorib. periclitaturã animadverterent.* Ægrius ergo Ghibellini ferentes quod authoritatẽ ſuã imminui cernerent, occaſionẽ ſollicito animo expectabant, qua priſtinã dignitatẽ recuperarent, atq; eã quidẽ in propinquo ſperabant, quod à Manfredo, Friderici filio, regnum Neapolitanum occupatum vireſq; Pontificum ſatis acciſas cernerent. Egerunt itaq; apud hunc, quo ipſius ope gradum repeterent, verum id adeo clam haberi nõ potuit, quin ad Antianos res deferretur, atq; hi quidẽ Ubertos in judicium poſtularunt, verum illi non tantum præſto eſſe detrectarunt, verũ etiã ſuas munire cœperũt, quod quidẽ populi in eos irã adeo cõcitavit ut arma

Pro libertate.

Fœlici ſucceſſu.

Volaterrani ſubacti.

Novis diſſenſionibus turbato.

Unde Ghibellini Florentia pulſi.

ut arma conclamantes,ope Guelphorum illos urbe ejicerent, omneſque Ghibellini Senas ſeſe recipere compellerentur. At hi adeptis à Manfredo rege auxiliis,induſtria Farinatæ Uberti, Guelphorum exercitum, ad flumen Arbiam, tanta cum ſtrage profligarunt,ut illi, qui cladi ſuperfuerant, non Florentiam, (quod illam hoſtibus ceſſiſſe arbitrarentur) ſed Lucam ſeſe reciperent. Erat Regis exercitui Dux conſtitutus Jordanus Comes,magni id temporis in re militari nominis. Hic aſſumptis Ghibellinis, poſt adeptá victoriam,Florentiam occupavit,eamque in poteſtatem Manfredi redegit, priſtino Reipub: inſtituto & quidquid præterea libertatem ſaperet, penitus abrogato. Quæ quidem injuria,imprudentius illata, adeo omnium animos concitavit,ut ex inimicis, Ghibellinis fierent inimiciſſimi,quod etiam tandem ipſis exitium attulit. Jordano Comite ergo Neapolim, ob regni occupationes, regreſſo, atque Comite Guidone Novello, Caſentini Domino, in Regium Vicarium Florentię ſubſtituto, Concilio ab hoc, Empolii coacto decretum fuit, nulla alia re Ghibellinorum partes, in Tuſcia ſuperiores ſubſiſtere poſſe, quam ſi Florentia ipſa, deleretur ut pote quę Guelphis planè referta, ſola partes Pontificias reſtituere poſſet, neque ſanè, ex tanto civium amicorumque numero, repertus quisquam eſſet, qui tam atroci ſententiæ adverſaretur, niſi unicus Farinata Ubertorum patriam manifeſto periculo exemiſſet: is ſiquidem palam, nullaque diſcriminis habita ratione, ſeſe oppoſuit, non aliam ob rem, tot periculis ſe jactatum aſſerens, quàm ut patria ſua ſuaviſſima potiri daretur, neque quidquam hactenus eſſe, cujus nomine ſententia illa merito mutari, vel iſtud ſibi negligi debeat, quod tanto ſtudio quæſitum, fortuna ipſi id temporis exhibeat, imô profiteri, ſeſe hoſtem omnibus illis, quicunque aliter decreverint, non minus infeſtum fore, quam hactenus Guelphis fuerit, conentur modo patriam ſuam evertere, ſperare ſeſe poſſe illam virtute ſua non minus ſtrenue defendi, quam induſtria ſua

At à Manfredo, Florentia ſubacta, reſtituti.

Atrociter in patriam conſulunt.

At fracti unius viri animo.

Guelphi

Guelfi inde exacti fuerint. Erat Farinata vir magni animi, rei præterea militaris ſcientiſſimus, Ghibellinorum Dux, & apud Manfredum non mediocris authoritatis, adeo, ut tanti viri exiſtimatio, deliberationem iſtam averteret, atque inde ad alia ſtabiliendæ potentiæ media deſcenderetur. Guelforum interea illi, qui Lucam ſeſe receperant, à Lucenſibus, ob minas Comitis deſerti, Bononiam profugerunt, atque inde contra Ghibellinos à Guelphis, qui Parmæ degebant, evocati, tanta virtute rem adgreſſi ſunt, ut oppreſſis ibi omnibus adverſariis, omnes eorum facultates ipſis cederent, adeo ut tam divitiis quam dignitatibus aucti, Pontifici Clementi, qui Carolum Andegavenſem in Manfredum, quo illum Regno excuteret, concitaverat, atq; facultates ſuas per Legatos offerrent, atque ab eo non tantum inter amicos ſcriberentur, Verum etiam vexillum Sedis Pont. obtinerent, quo deinceps Guelphi, omnibus in expeditionibus, uſi ſunt, idemque id eſt, quo hodiernum Florentini in bello uti conſueverunt.

Viribus augentur Guelphi apud Parmenſes.

Manfredo ergo, à Carolo Andium Duce, regno exuto atq; interempto, Guelphorum partibus, ut pote quorum opera Carolus, eo in bello, non contemnenda uſus eſſet non parum virium accrevit, atque Ghibellinorum potentia infringi cœpit: conſtituerat eam ob rem Guido Comes, atque illi, qui Rem Florentinam id temporis adminiſtrabant, populum iſtum, injuriis ſummis hactenus laceſſitum, inſigni aliquo beneficio lucrifacere, *Verum ea, quæ ante neceſſitatem ingruentem valere poterant, remedia, cum præter occaſionem, atque in ingratos, conferrentur, non modo necquicquam profuerunt, ſed etiam exitum eorum maturarunt.* Sperabant igitur populum in ſuas partes pellici poſſe, ſi earum dignitatum aliquæ, quæ *ipſis* ereptæ non pridem erant, reſtituerentur: eam ob rem electis XXXVI. civibus ex popularium numero additisque duobus nobilibus quos Bononia eã ad rem evocaverant, rempublicam in melius reſtituendam, ipſis commiſerunt. Atque hi quidem, confeſtim urbem in opificum claſſes diſtin-

Poſt etiam à Carolo Andio.

Mutata iterum Reip. Florentinæ forma.

xerunt,& cuique opificio magiſtratum, qui partes ſuas regeret, præfecerunt, additis quibusque vexillis, ſub quibus, ſi res ita poſtularet, armati convenirent. Erant ab initio opificiorum claſſes duodecim, quarũ majores ſeptem, minores quinque numerabantur, at his poſtmodum aliæ novem minores acceſſerunt, ut eæ viginti atq; una, etiam hodiernum, recenſeantur. Cum vero rei curatores illi publicæ, præter ea quæ nunc recenſuimus, etiam alia publico bono conarentur, viſum fuit Guidoni Comiti, quo ſtipendiis militum ſatisfaceret, collationem civibus excutere, verum tam adverſos, ea in re, civium animos expertus fuit, ut invitis eam extorqueri poſſe diffiſus atque jam de ſtatu ipſo nutante ſollicitus, conſilia cum Ghibellinorũ promtiſſimis agitaret, qua nimirum ratione populo eadẽ poteſtas, quam ipſis modo elargitus fuerat, iterum eripi poſſet. Cum itaq; ad ea perpetranda ſatis inſtructus ſibi videretur, horam aucupatus, qua curatores Reipub. triginta illi ſex convenire ſolebant tumultum excitari voluit, quo quidem illi conſternati, ad ſua quiq; dilapſi ſunt, at claſſes ignaræ quid ageretur, armatę ad vexilla confluxerunt, ibiq; edoctæ, Comitem Guidonem armatum ad S. Joannis fanum conſiſtere, etiam ipſæ ad S. Trinitatis templum ſubſtiterunt, atq; Joanni Soldanerio obſequium præſtiterunt. Comes ergo in plebem irruendum ratus, eò cõfeſtim properavit, neq; plebs pugnam recuſavit, ſed obviã Comiti progreſſa eò loci, ubi nunc Tornaquinciorũ domus conſpicitur, manus conſeruit, Comitẽq; interfectis magno numero ejus ſtipatoribus, loco pepulit, qua quidẽ ille de re ſollicitus, ſibiq; metuens, ne noctu à plebe circũveniretur, atq; militũ ſuorũ animis jã fractis interimeretur, tãta animi cõſternatione perculſus fuit, ut omnis cõſilii inops, in fuga potius, quam in armis, ſalutẽ reponeret, atq; fruſtra reluctantibus rectoribus, partiumq; ducibus, cũ omnibus ſuis copiis Pratũ confugeret. Vix vero ad tutiora elapſus, profligato metu ſibi jã conſtans, errorẽ ſuũ agnoſcere cœpit, quo ergo illũ actutũ corrigeret, diluculo ipſo Florentiam

Opificum claſſes conſtituta.

Pugna in urbe.

tiã repedavit, quo urbẽ illã, quam animo abjectiſſimo deſeruerat, virtute recuperaret. Verum res haud ex animo ipſi ceſſit, ſiquidem à populo, cui difficile futurum erat, urbe ipſum expellere, nõ difficulter mœnibus excluſus fuit, adeo ut animo ſaucio, cum ignominia ad Caſentinos ſuos ipſi redeundum eſſet, Ghibellini vero ad villas ſuas dilaberentur. Populo ea ratione victoriam adepto, eorum ſtudio, qui bonum publicum amabant, actum fuit, qua tandem ratione civium animi componi poſſent, ac tandẽ concluſum, omnes exules tam Ghibellinos quam Guelphos revocãdos eſſe. Guelphi itaq;, ſexto quo expulſi fuerant anno, in urbem rediere, Ghibellinis præterea, recens in patriam injuria condonata, ipſique reſtituti, licet tam populi, quam Guelphorum odiis onerarentur, quod hi quidem exilii ſui oblivisci non poterant, at illi tyrãnidis ipſorum recentis recordarentur, unde tandem utriusq; partis animi minus pacati cernebantur. Hæc inter Florentiæ geſta, fama percrebuit, Conradinum, Manfredi nepotem, inſtructiſſimo Germanorum exercitu Neapolim petere, quod quidem Ghibellinis animos addidit, ut de recuperanda priſtina authoritate melius ſperarent. Guelphos vero excitavit, ut qua ratione ſe ſuaq; tuerentur, impẽſius cogitarent, eãq; ob rẽ, à Carolo Andio, auxilia cõtra Corradinũ peterent. His impetratis, Guelfi, animo jam inſolentiore, adeo Ghibellinos perculerunt, ut biduo, antequam ea ad urbem accederent, ipſimet fuga ſibi conſultũ mallent. Ab eorum diſceſſu, Florentini ſtatum Reip. correxerũt, electis duodecẽ viris, principũ loco quorũ erat, binis menſib9 præeſſe, hisq; nõ Antianorũ ſed Bonorũ hominum nomẽ tributũ: his additus ſenatus octoginta civium, qui Conſilium credentiæ vocabantur, præterea centum octoginta civium ex populo electi, atq; in ſex claſſes diſtincti, qui conjuncti tam ſenatoribus quam Bonis hominibus, conſilium generale conſtituebant. Acceſſit his aliud conſilium, centum viginti civium, tã ex nobilibus quam plebeis lectorũ, quorũ erat, omnia illa exequi atq; perficere, quæ à re-

Revocati exules omnes

Sed diſpari affectu.

Unde Ghibellini iterum profugi.

Mutataq; denuo Reip. Florent. forma.

liquis Senatoribus deliberata concluſaque fuerant, tum etiam officia univerſæ Reipub. diſtribuere. Partem præterea Guelpham, novis magiſtratibus atque inſtitutis munitam voluerunt, quo ea à Ghibellinis tutior foret, quorum quidem bona in tres partes diviſa fuere, pars fiſco adjudicata, altera magiſtratui partium, qui Capitaneorũ vocabatur ceſſit, tertia Guelphis, quo jacturam reſarcirent, tributa. Papa præterea, quo Tuſcia Guelphis fidentius ſtuderet, Regem Carolum, Vicarium Imperii, per Tuſciam audire voluit. His igitur ſub inſtitutis dum Florentini rem ſuam domi authoritate legum, foris verò armis amplificarent, diem ſuum obiit Clemens Pontifex, cui inter multas altercationes, biennio poſt ſucceſſit Gregorius X. qui quidem quod diutius in Syria moratus eſſet, atque eo, quo eligeretur tempore, adhuc ibi ſubſiſteret, à partium ſtudio alienior, eas non eum ad modum, quo anteceſſores ipſius ſoliti erant, curabat, eam ob rem, cum Gallias petiturus, per Florentinos iter faceret, boni paſtoris eſſe ducens, diſcordias liteſque componere, atq; concordiam inter cives ſtabilire, adeo ſedulo negotium, apud Florentinos, exulum egit, ut Florentini Ghibellinorum patronos, quo de ipſorum reſtitutione commodius trãſigeretur, in urbem admitterent, ac licet inter partes de ſumma conventũ eſſet, tantus tamen pavor mentibus Ghibellinorum inſederat, ut omnes à reditu ſibi temperarent, quod quidem Florentinorum culpa eveniſſe Pontifex perſuaſus, urbi ſacris interdixit, in qua contumacía ipſis hærendum fuit, quoad Pontifex ille viveret, verum poſt ejus obitum, ab Innocentio V. reſtituti in integrum fuere. Devenerat Pontificatus poſtmodum ad Nicolaum III. Urſinum. Poſtquam vero *Pontificibus inſitum ſemper fuerit, eos metuere, qui potentia in Italia prævalerent, licet ii Pontificum beneficio creviſſent, quod nimirum eorum authoritatem imminutam cuperent,* inde ſane tot bella, atque rerumpublicarum mutationes conſecutæ ſunt, ſiquidem metus ille, qui à potentiore imminebat, in cauſa erat, ut debilior

Ghibellinorum bonis in fiſcum redactis.

Caroloq; Audio Vicario Imperii à pontifice cõſtituto.

Gregorius X. Papa.

Res Florentinorum componere cupit.

Iis Sacris interdicit.

Ab Innocẽtio V. iterum recepti

Unde tot clades in Italia.

debilior in hunc armaretur atque muniretur, at cum etiam hic excreviſſet, ut idem pari ratione metueretur, atque eadem rerum ſerie ejus exitio invigilaretur. Hæ artes Manfredo Regnum eripuere, idq; Carolo conceſſere, hæ eædem poſtea Caroli metum excitarunt, ejusque exitium maturarunt. Easdem ergo rationes Nicolaus III. ſecutus, per Imperatorem egit, ut Carolo Tuſciæ adminiſtratio eriperetur, eaque à Pontificis legato, cui Latino nomen, imperatoris auſpiciis aliquandiu regeretur.

Pontificũ artes.

Nicolaus III.

Erat id temporis non admodum fœlix Florentinorum conditio, Guelphorum ſiquidem nobiliores, ex ſucceſſu tumidi, magiſtratibus minus optemperabant, adeo, ut indies multa homicida, aliaq; facinora perpetrarentur, quæ quidem inulta jacebant, quod ii, qui ea commiſiſſent, à potentioribus ſuſtinerentur. Ad domandam itaque hanc inſolentiam, Principibus viſum fuit, exules in urbem recipere, quod quidem Legato occaſionem præbuit, ut urbem componeret, atque Ghibelini tandem reverterentur. Mutata Reip. facies eatenus, ut loco duodecim Principum, quatuordecim deinceps ſederent, atque ab utraque parte ſeptem peterentur, qui à Pontifice electi, annum unum magiſtratum gererent. Stetit his inſtitutis Florentia biennio, donec Martinus Gallus ad Pontificatum aſcenderet, nam dum hic Carolo omnem illam authoritatem, quæ à Nicolao ipſi adempta fuerat, reſtitueret, inde confeſtim partium ſtudia, per univerſam Tuſciam, reviviſcere cœperunt. Siquidem Florentini arma in eum qui Imperatoris vices gerebat corripuere, atq; quo Ghibellini ab officiis removeri, potentioresq; coherceri poſſent novam Reipub. formam conſtituere. Atq; id quidem ſub annum M CCL XXXII. incidit.

Ghibellini iterum reſtituti.

Mutata facies Reip. Flor.

Martinus Papa partium ſtudia reſuſcitat.

Nova Reip. Florentina mutatio.

Acceſſerat opificum claſſibus, poſtquam magiſtratus ad ipſas devoluti eſſent, non parum auctoritatis: eam ob rem hi potentia ſua effecerunt, ut vice quatuordecim virorum, tres ſaltem ex civium numero optarentur, atque, Priorum titulo, duobus menſi-

bus Reipub præeſſent, liceretq; eos ex præſtantioribus, modo vel mercaturā, vel aliā quampiā artē exercerēt, petere. Horum numerus, poſtquā primus magiſtratus officio ſuo præfuiſſet, ad ſex usq; auctus fuit quo nimirum, ex unaquaq; ſexta civitatis parte, unus præeſſet: ſtetitq; numerus ille, usq; ad annū MCCC XLII quo tēpore urbs in quatuor partes diſtributa, Priorūq; numerus, ad novenos productus fuit, licet is interea tēporis, neceſſitate urgente, ad duodenos aliquādo extenderetur. Hoc inſtitutum (ſicuti temporis ſucceſſu cernere licuit) nobilibus exitio tandem fuit, utpote qui primum, ex variis cauſis, à populo ab officio arcerentur, atque tandem, nulla habita dignitatis ratione, pellerentur, quam quidem rem nobiles ab initio non indigne ferebant, quod nimirum *inter ſeipſos minus convenirent*, *dum vero alii alios evertere conarentur*, *tandem omnibus dignitatibus univerſi exciderent.* Huic magiſtratui Palatium tributum, in quo ſemper moraretur, cum antea in templis convenire conſueviſſent, additi præterea, dignitatis augendæ gratia, lictores, aliique quorum miniſterio uterentur. Licet vero ab initio, ſaltem Priorum nomine inſignirentur, non magno tamen poſt intervallo etiam Domini, majeſtatis cauſa, audire cœperunt.

Nobilibus exitioſa.

Quieverant motus illi inteſtini aliquot annis, quo tempore bellum Aretinis Florētini intulerunt, quod nimirum Guelpharū partium ſtudioſi ab illis expulſi fuiſſent, eosque in Cāpo, quod Aldinum appellatur, fœliciter vicerunt. Cum ergo urbs, frequentia hominum, indies creſceret, viſum fuit prudentioribus, etiam pomœrium amplificare, unde urbis mœnia in eam amplitudinem, quæ hodiernum cernitur, excrevere; ſiquidem ante id tempus, univerſæ urbis diameter, ſpatio iſto, quod à ponte veteri, ad S. Laurentium pertingit, terminabatur. Alta igitur, tam domi quam foris pax, nomina illa, Ghibellinorum, apud Florentinos propemodum obliteraverat, ſuperavit nihilominus

Ab Reipub. proſperior.

nihilominos illa *intemperies, quæ in omnibus fere civitatibus naturali quodam ductu potentiores atq; plebem agitare ſolet: nam cum populus ex legibus vivere, potentiores vero legibus imperare cupiant, fieri equidem non poteſt, ut bene inter has partes unquam conveniat.* Atque iſta quidem intemperies, quãdiu à Ghibellinis ipſis metus ſupererat, altius latebat, poſtea vero quam illi oppreſſi fuiſſent eò violentius erupit, adeo ut indies aliqui popularium injuria afficerentur, neq; vel leges vel magiſtratus, ad ea vindicanda, ſuppeterẽt, ſiquidem nobiles propinquorum amicorumque copia, facile ſeſe contra Priores atque Capitaneos tuebantur.

Turbata quidem à nobilibus.

Primarii itaq; opificiorum, huic incommodo obviã iri deſiderantes eo rem deduxerunt, ut magiſtratui quotannis incumberet, eo, quo officium ingrediebantur tempore, virum ex plebe optare, atq;, ſub XX. vexillis, mille ſtipatores ipſi adjungere, cujus eſſet, quotiescũq; vel à magiſtratu, vel à Capitaneo, vocaretur, armata manu leges tueri, ipſiq; nomẽ Vexilliferi juſtitiæ tributũ, quem ſua lingua Gonfaloneriũ vocabant. Primus in hunc ordinem Ubaldus Ruffolus optatus fuit, isq; vexillo potitus, Gallettorũ ædes evertit, quod quidã ejus familię, in Gallia, unũ ex plebe interemiſſet. Atq; facile quidẽ opificibus fuit, inſtitutũ iſtud perficere, quod nobiles nimirũ, odiis accerrimis inter ſe digladiarentur, neq; huic malo adverſũ ire cogitarent, priusq̃ atrocitate iſtius ſupplicii exeitarẽtur. Licet vero nõ parũ inde exterriti ab initio fuiſsẽt, mox tamen ad priſtinã animorũ inſolentiã redierunt, nã cũ ſæper aliqui ex eorũ numero, inter Dominos, (ut ſupra magiſtratũ appellari cœpiſſe monuimus) reciperentur, perfacile ſigniferum juſtitiæ impediebant, quo minus officio ſuo ſatisfacere poſſet. Quib. accedebat quod dũ ab accuſatore teſtes probãdæ injuriæ requirerentur, nemo facile reperiretur, cui contra nobiles teſtimoniũ dicere, integrum eſſet, adeo, ut brevi tẽpore, Florentini, in priſtinas diviſiones reciderent, atq; plebs à potentioribus, non contemnendis injuriis, opprimeretur, ſiquidẽ lites tardius finirent, tum etiam

Sed novo officij genere quodammodo reſtituta.

Diſcordiarum fructus.

ſententiæ rarius executioni mandarentur. Dum itaq; plebs, conſilii inops, anxia hæreret, Joannes quidam, cognomine DelaBella, familiæ nobiliſſimæ, verum libertatis patriæque amantiſſimus, Ducibus opificum author fuit, ut urbis ſtatum corruptiſſimum corrigere aggrederentur. Hujus itaque conſilio, ſignifero locus inter Dominos tributus, ipſiſque præterea quatuor hominum addita millia: adempta facultas nobilibus inter Dominos optari, correi eidem pœnæ, quæ in reum caderet, adſtricti, famæque publicæ tributum, ut ea teſtimonii loco ſatis eſſet.

Plebs à nobilibus oppreſſa.

Hiſce legibus, quæ ordinationes juſticiæ vocabantur plebi non parum authoritatis, Joanni vero delaBella nō parum odii acceſſit, ſiquidem tam potentioribus inviſus, quod ipſorum potentiam labefactaſſet, quā ditiorib. ex plebe exoſus erat, quod ejus authoritatem nimiam eſſe arbitrarentur, quod quidem quāprimum per occaſionem licuit, manifeſtum fuit. Accidit ergo ut quidam ex plebe, in rixa, cui nobiliū plures intervenerant, occideretur, culpa ejus cædis Corſo Donati, ut pote præ cæteris audaci attributa, captus à Capitaneo eam ob rem, abſolvitur, vel quod extra culpā depræhenderetur, vel quod Capitaneus eū cōdemnare metueret. Plebs id maximopere indignata, arma corripuit, atq; ædes Joānis DelaBella circūdans, poſtulavit, ut eas leges, quarū author extitiſſet, tuendas etiam ſumeret. Joannes, qui Corſum punitū cupiebat, arma plebi excutere minus cogitabat, quod facturū fuiſſe, multi ab eo expectabant, ſed autor potio fuit, ut ad magiſtratū, ea de re conqueſtum, irent, atq; inde conſilium peterent. Plebs vero eo magis exacerbata, quod inde à Capitaneo eludi, hinc à Joanne ſe deſeri arbitraretur, non ad magiſtratum, ſed ad palatium Capitanei perrexit, idq; occupatum diripuit.

Studium erga patriam aliquādo exitioſū.

Seditio apud Florentinos.

Diſplicuit ſanè facinus iſtud civibus omnibus culpaq; ejus rei omnis in Joannē, ab iis, qui ipſius exitiū quærebant, conferebatur, nec defuêre ex inimicis, qui novo magiſtratu ſuccedente, eum ad Capitaneum, tanquā plebem ad ſeditionem cōcitaſſet, deferrēt: dū

itaque

itaq; de cauſa ejus dignoſceretur, plebs armata ad ejus ædes confluxit, atq; ipſi contra Dominos, utpote qui ipſum odio proſequerentur, ſtudia ſua obtulit. Integrum, non erat Joanni vel auræ iſtius popularis experimentum capere, vel etiam vitam ſuam arbitrio Dominorum cōmittere, cum tam horum malitiam, quam iſtorum inconſtantiā metueret, quo igitur tam inimicorum injuriis locum nullum relinqueret, quā amicorum opera, contra patriam, uti, minus neceſsę haberet, maluit invidiæ cedere, atq; cives metu illo, quem de ſe fruſtra conceperant, eximere, eamq; urbē relinquere, quam tanto cum labore & periculo, à potentiorum injuriis atq; ſervitute vindicaverat, voluntario itaq; exilio ſe inde ſubduxit. Ab ejus diſceſſu nobiles in ſpem erecti fuere, poſſe nimirum priſtinā dignitatem induſtria recuperari, & cum perſpectum haberent, inteſtina ſua diſsidia malis iſtis occaſionē præbuiſſe, conjunctis denuo animis, duos ſui ordinis, ad Dominos, quod eos ſibi favere arbitrabātur, oratum misère, quo acerbitas legum, in ipſos conſtitutarū, ex parte mitigaretur: quæ quidem petitio, poſtquam in vulgus emanaſſet, non mediocriter plebis animos concitavit, quod nimirum Dominos nobilitati ſtudere ſuſpicabantur, eam ob rem, dum illi deſiderio hi verò ſuſpicionibus ardent, ad arma tandem deventum fuit. *Inſigne exemplum amoris erga patriam.*

Nobilium copiæ tribus in locis ſubſtitêre, ad S. Joannis nimirum fanum, ad forum novum, & ad forum quod Moziorum appellatur, tribusque parebant ducibus, Foreſio ſcilicet Adimario, Vannio, de Mozi, & Gerio Spinæ: plebs verò, ingenti numero, ad palatium Dominorum, quod tum juxta S. Proculum erat, confluxit, & quod magiſtratum ſuſpectum haberet, horum conſiliis, ſex ſui ordinis, intereſſe voluit. Dum igitur utraq; partiū ad pugnā ſeſe accingeret, quidā, tam ex nobilitate quam plebe cum aliquot viris ſacri ordinis, quorū exiſtimatio id tēporis valebat, tanquā tranſacturi, ſeſe interpoſuere. Revocatū ab his in memoriā nobilibus, quod ipſimet legib. iſtis, quibus à di- *Bellum inteſtinum.*

gnitatibus excluderentur, ſuperbia ſua atque indigno inter cives vivendi genere, occaſionem præbuerint, neque aliud etiamnum agant, dum nimirum armata manu, atque per vim, ea recuperare conarentur, quæ propter inteſtina diſsidia, atque vitam ipſis indignam, ſibi eripi paſsi eſſent, quam ut patriam peſſumdent, propriamque conditionem majoribus anguſtiis exponant; meminerint, plebem tam numero, quam opibus, tum etiam odiis, ſibi longo intervallo „ præſtare, *nomenq́ iſtud nobilitatis, quo uno plebem antece-* „ *dere ſibi viderentur, cum ad arma deventum fuerit, nihil* „ *agere, ſed potius evaneſcere, adeo ut iſtud defenſioni minimè* „ *ſufficere poſsit.* Plebi verò ex altera parte propoſuere, „ *non prudentis eſſe ubivis extremum victoriæ punctum proſe-* „ *qui, neque unquam à ſapiente hoſtes ad deſperationem ada-* „ *ctos, cum ſpe melioris fortunæ excluſis, neq; mala timere con-* „ *ſuetum ſit*, meminerint nobilitatem eam eſſe, quæ virtute ſua bellica, urbem iſtam eò dignitatis evexerit, iniquum igitur eſſe, tam immani jam odio in illam ferri; nam ſicuti fortaſſis nobiles æquo animo, quod à ſupremis dignitatibus excludantur, ſuſtinere queant, ita ferre minimè poſſe, quod in cujusvis arbitrio ſitum ſit, ipſos authoritate legum iſtarum patria pellere, eas igitur merito mitigandas, eoque beneficio provocatis, arma extorquenda eſſe, *nolint multitudini* „ *confiſi, fortunam experiri, cum non adeo raro, ingentes copi-* „ *as, à paucis profligatas experientia teſtetur.*

Variæ, his perceptis, inter plebem oriebantur ſententiæ, multi pugnam malebant, utpote ad quam nihilominus aliquando neceſſario deveniendum foret, ſatius itaq; eſſe fortunæ aleam modo experiri, quam expectare, quousq; adverſarii vires acquiſiviſſent, nō retragaturos quidem ſeſe, ut leges ex parte mitigētur, ſi ea ratione nobilib. ſatisfieri queat, imo ut id fiat ſuadere, verum tantam eorum eſſe arrogantiam, ut niſi coacti nunquam quieturi ſint. Multis aliis, iisq; prudētiorib. atq; pacatioribus, videbatur, mitigationē legū non adeo magni momēti, pugnā verò maximi diſcriminis eſſe. Opinio itaq; hæc prævaluit, decretúq; ut nobiles accuſati, teſtibus deinceps cōvincerentur.

Mitigationē legum compoſitum.

Sepoſitis armis,utraq; partium ſuſpicionum plena erat, atque ſua turribus armiſq; muniebat, populus præterea magiſtratum mutabat, imminuto ſenatorum numero,quodDominos iſtos,in Nobilitatẽ propenſos eſſe animadvertiſſent. Primarii itaq; manſerunt Mancinii,Magallottii, Altovitii, Peruzii, atque Corretanii.Majeſtati porro atq; etiam ſecuritati Dominorũ ſtabiliendæ,anno MCCXCVIII. palatiũ munitum,eamq; ad areã ædes,quæ quondã Ubertorũ fuerant,deputatæ. Publici præterea carceres cœpti atq; paucorũ annorũ intervallo abſoluti, neq; unquã hæc urbs adeo floruit,quã circa hæc tẽpora,utpote quibus tã viris,quã opib.abundaret,authoritate præterea polleret,atq; ex civiũ numero XXX. millia militũ ad pugnã aptorũ,præterea ex agro LXXX. recenſeret. Tuſcia omnis,partim ut ſubdita, partim ut ſocia parebat, & licet inter nobiles plebemq;,odiorũ atq; ſuſpicionũ ſemina ſupereſsẽt,ea tamẽ nihil ſiniſtri parturiebant, ſed omnes conjunctis animis pace gaudebant: quæ quidẽ,niſi novis inimicitiis intus turbata fuiſſet,quod foris urbs metueret non habebat,eò enim magnitudinis atq; potẽtiæ ea progreſſa erat,ut neq; ab Imperatore,neq; ab exulib.ſibi metueret,tum univerſæ Italiæ virib.reſiſtere potis eſſet.Cladẽ tamen,quã ab externa vi nihil extimeſcebat, ſuis, intra mœnia, viribus experiri neceſſe habuit.

Eminebant id temporis opibus, nobilitate, atq; familiariũ copiæ Florentiæ, Cerchiorũ atq; Donatorũ familiæ, inter quas, quod tam in urbe, quam in agro ſeſe contingerent, quædam ſimultates alebantur, non tamen eousq; vehemẽtes,ut armis decerneretur,neq; fortaſsis illæ quidquã ſiniſtri produxiſſent, niſi aliunde intẽperies illa provocata fuiſſet.Res verò ſic ſe habet.Inter præcipuas,apud Piſtorienſes familias, Cancellariorũ numerabatur,accidit ergo forte fortuna,ut Loreus,Do.Gulielmi,atq; Gerius,Do.Bertaccii filius ambo ejuſdẽ familiæ,inter ludendum ad jurgia devenirent atq; ad pugnã, in qua Gerius à Loreo vulnus accepit leviuſculũ. Diſplicuit ea res patri Gulielmo, verũ dum humilitate eã obliterari poſſe ſperaret,oleũ,

Ex luſu magna clades.

quod ajunt, camino addidit, nam dum filio injunxiſſet, ut apud propinquum Bertaccium culpam deprecaretur, atq; Loreus patri obſequens eum acceſſiſſet, humanitate tamen illa, exulceratus Bertaccii animus, flecti non potuit, quin per miniſtros Loreũ comprehendi, atq; majoris ignominiæ cauſa, manum ipſi detruncari ad præſepe juberet, inquiens, redito ad patrem tuum, illiq; dicito, vulnera ferro, non verbis ſanari. Immane hoc facinus tantopere Gulielmo diſplicuit, ut armata univerſa familia ſua, ad vindicandam injuriam properaret, neque Bertaccius ad defenſionem ſegnior fuit, ut tandem univerſa civitas in duas partes ſcinderetur.

Origo Albarum & Nigrarum Florentiæ partium.

Trahebant Cancellarii originem ſuam, à Domino Cancellario, cui in primo matrimonio Blanca nupſerat, eam ob rem ij, qui ex hoc matrimonio deſcendebant, Blanci, hoc eſt Albi, denominari voluerunt, adverſa vero pars, huic contrarium nomen, Nigrorum nimirum, ſibi ſumſit. Multoties inde has inde partes, variis occaſionibus, pugnatum fuit, multæq; cædes perpetratæ, ædes permultæ peſſumdatæ, adeo ut partes, compoſitionem omnẽ averſantes, calamitatibus interea exhauſti, vel finem diſcordiis imponere, vel alienis diviſionib. eas amplificare arderẽt. Eam ob rem tandem Florentiam migrarunt: ac Nigri quidem, quod cum Donatis ipſis familiaritas interceſſiſſet, à Domino Corſo, familiæ iſtius principe, ſuſcepti fuere: Albi verò, quo non inferiores amicorum potentia eſſent, ad Dominum verùm Cerchium, nulla in re Corſo poſtponendum, confluxère.

Intemperies itaq; iſta Piſtorienſis, antiqua inter Donatos Cerchiosq; odia reſuſcitabat, atq; eo usque jam radices egerat, ut tam Prioribus, quam reliquis patriæ amantibus, continuo metuendum eſſet, ne armis res definiretur, atq; inde univerſa civitas in partes concederet. Eam ob rem, ad Pontificem confugientes, orabant, ut iis, quæ ipſi minus poſſent remediis, atq; authoritate ſua, tot malis occurrere dignaretur. Evocavit igitur Pontifex Verum, utq; pacem cum Donatis coleret, mandavit: quod quidẽ Verus mirari

ſe ajebat, cum nihil inimicitiarũ ſibi cum Donatis eſſet, & cum pacis mentio bellũ præſupponat, ignorare ſe, cui nam bono pacem colere jubeatur, poſtquã nullius belli ſibi conſcius ſit. Sic igitur re infectaVero Roma dimiſſo intemperies tandẽ illa eousq; excrevit, ut minima quæq; occaſione, in nervũ eruptura, facile animadverteretur, quæ quidẽ hac ratione ſeſe exhibuit.

Menſis erat Majus, qui ſua amœnitate, dieb. feſtis, Florentinos ad recreationes provocare ſolet. Donatorũ ergo adoleſcentũ aliqui, equis vecti, ad S. Trinitatis fanum ſubſtiterunt, ut fœminas, eo loci choream ducentes, cõtemplarentur, ſupravenêre paulò poſt Cerchiorũ quidã, & ipſi multa nobilitate ſtipati, qui Donatorũ, quod ij terga ipſis obverterent, ignari, equos ſuos inter hos egerunt, inq; eos offenderunt. Donati, eam ob rem, provocatos ſeſe ſtatuentes, arma corripuere, atq; à Cerchiis magno animo excepti, illatis acceptisq; multis vulneribus, tandem utriq; receſſere. Hoc initium maximarũ calamitatũ origo fuit, quod inde nimirum univerſa civitas, ipſi etiam potẽtiores, aſſumptis Alborum Nigrorumq; nominib. in partes diſcederet. Albarum partium Principes erant Cerchii, his ſeſe adjunxerant Adimarii, Abbatii, Toſinghiorum quidam, tumBardorum, Roſſorum, Freſcobaldorum, Nerliorũm, atq; Manelliorũ, omnes præterea Mozii, Scalii, Gherardinii, Cavalcantii, Malepinii, Boſtichii, Giandonatii, Vechettii, & Arriguzii, quibus acceſſere multæ plebeiorum familiæ, omnes præterea Ghibellinarum partium, qui tum Florentiæ habitabant, adeo, ut ob ingentem clientium numerũ, omnem ferè civitatem ij adminiſtrarent. Donati, ex altera parte, Nigrorum Principes erant, hisq; accedebant ij, qui ex modo narratis familiis ad Cerchios non conceſſerant, præterea omnes Pazzii, Bisdomini, Manierii, Bagneſii, Tornaquincii, Spinii, Buondelmontii, Gianfiliazii, Brunelleſchii.

Bellum inteſtinum.

Neq; lues iſta per urbem modo graſſata eſt, ſed etiam omnem vicinum agrum occupavit. Quam quidẽ ob remCapitanei partium, omnesq; illi qui Guelphorum,

rum, patriæq; ſtudioſi erant,non mediocriter metuebant,ne nova hæc diviſio, urbis exitio,partes Gibellinas reſuſcitaret:Miſère igitur legatos, ad Bonifaciũ Pótificẽ ,oratũ,ut huic periculo ſubveniret, niſi mallet urbẽ iſtam,quæ hactenus Cathedræ Pont. propugnaculũ extitiſſet,aut penitus interire, aut iterum in manus Ghibellinorũ recidere. Mattheũ ergo Aquaſpartanũ Portuenſẽ,legatũ Pót.ea ut diſsidia cōponeret, Florẽtiã ablegavit,verùm is poſtq̃ partem Alborũ magis contumacẽ depræhendiſſet, quod ij nimirũ virib.præſtarent,eoq; minus timerent, ſtomachabũdus inde diſceſsit,atq; Florentinis ſacris interdixit, adeo, ut illi,à diſceſſu ejus, multo difficilius laborarent,quã ante ejus adventũ habuiſſent. Omnium ergo animis tanta rerum perturbatione ſuſpenſis, non multo poſt accidit,ut ad funus quoddã permulti, tam Cerchiorũ quam Donatorũ, convenirent, ubi loci inter ipſos ad jurgia,mox ad arma devẽtum,quæ tamẽ altercatio,id tẽporis,vociferationes rixasq; nō exceſsit: poſtquam verò inde omnes ad ſua repedaſsẽt, Cerchii inſolẽtiores,in Donatos irruere cōſtituerũt,magnoq; amicorũ agmine cōglobato,in ipſos irruere cœperũt, verũ virtute Corſi repulſi,multiq; eorũ vulnerib.excepti fuère.

Cui Pontifex ſeſe interponit.

Florentinis ſacris interdicit.

Nova ſeditio.

Armata erat univerſa civitas,Principes legesq; inter potentiorũ furorẽ,non audiebãtur,prudentiores atq; meliores civiũ,ſuſpẽſis animis hærebãt.Donati,& qui iſtarũ erant partiũ, plus timebãt, quod minus nimirũ poſsẽt. Quo igitur ſecuritati ſuæ maturè proſpicerẽt, cōvocatis,à Corſo,Nigræ partis ducib.atq; præfectis, decretũ inter hos fuit,à Papa aliquẽ ſtirpis Regiæ poſtulandũ,qui urbis ſtatũ corrigeret,ea nimirũ ratione Albos ſuperari poſſe arbitrati.Cōventus ille clã Priores haberi non potuit,adeoq; ab adverſariis, cōjurationis loco,quæ cōtra libertatẽ publicã iret,excepta delataq; fuit. Utraq; ergo parte iterum armata, Reip. Principes Dantis(qui ex ipſorũ numero erat) prudẽtia atq; cōſilio,reſumptis animis, populũ ad arma vocarũt,atq; horũ copiis alias,ex agris petitas, cōjunxerũt, tandẽq; virib. ſuperiores, partiũ ducib. arma extorſerũt,Corſo Donati, multisq; Nigrarũ partiũ aliis,

Nigrorum partibus damnoſa.

tũ etiã quibusdã Alba. partiũ, quo nimirũ utrosq; indifferẽter, ſe habere ſignificarẽt, in exiliũ actis, qui tamẽ paulò pòſt honeſtis ſub titulis, iterũ recepti fuere. Corſus, & q ipſũ ſequebãtur, q̃ Põtificẽ partib⁹ ſuis bene velle arbitrarẽtur, Romã properarũt, atq; id quod literis antea à Põtifice petierãt, uberius corãm explicarũt. *Cui componendo Carolus Valeſius à Papa miſſus.*

Erat id temporis, in aula Pontificis, Carolus Valeſius Galliæ Regis frater, in Italiam à Rege Neapolitano, quod in Siciliam trajicere in animo haberet, evocatus. Viſum itaque fuit Pontifici, donec navigatio eſſet commodior, hunc, ad poſtulationem exulum, Florentiam mittere. Profectus igitur eò Carolus, licet Albis, penes quos urbis imperium eo tempore erat, ſuſpectus, quod tamen Guelpharum partium, tum etiam à Pontifice legatus eſſet, non tantum nõ excluſus, verum etiam, quo Albi eum ſuum facerent, omnis authoritas reformandæ urbis, in ipſius arbitrium collocata fuit. Adepta ea poteſtate, Carolus omnes amicos atq; partium ſequaces armari juſſit, quod quidem populo ſuſpicionẽ peperit, ut libertati ſuæ metuere inciperent, eam ob rem omnes armati ſtabant, domiq; ſeſe continebant, ut ſi quid Carolus moliretur, parati præſtoque eſſent. Concitaverant Cerchii, ducesque Albarum partium, (quod principes Reip. aliquandiu fuiſſent, atque ſuperbe ſe habuiſſent) univerſæ civitatis in ſe odia, quod quidem Corſo, aliisq; exulum animos addidit, ut Florentiam repeterent, præſertim quod Carolũ, partiumq; duces ſibi non adverſaturos ſperarẽt. Eodẽ igitur tẽpore, quo tota civitas ſibi à Carolo metuebat, Corſus cũ univerſo exulũ agmine, multisq; aliis, qui ipſum ſequebantur, in eã, nullo impediente, irrupit, neq; tamẽ Verus Cerchius ut ſeſe, ejus conatibus opponeret ulla ratione perſuaderi potuit, quod nimirũ diceret, à populo Florẽtino, in quẽ Corſus arma ſumſiſſet, eundẽ caſtigandum fore. Verum contra res ceſſit, receptus ſiquidem, & non caſtigatus, in cauſa fuit, ut Vero ſalus fuga querenda eſſet. *Cuius auſpicijs Nigri reſtituti.*

Cum enim Corſus portam, quæ Pintiorum vocabatur, occupaſſet, inde ad fanum S. Petri majoris profectus, prope ædes Veri ſubſtitit, collectoque

tam ex amicis, quam populo, qui novarũ rerum cupidus eô confluxerat, magno agmine, omnium primo carceres publicos effregit, captivosque tam publicæ quam privatæ rei cauſa omnes manumiſit: Principes Reipub. magiſtratum deponere, & ad privatam fortunam redire coëgit, novis, iisq; populo, Nigrarumque partium ſubſtitutis, inde quinque dies ædibus eorum qui Alborum primi erant diripiendis tributi,

Albi è contra pulſi.

poſtquam nimirum Cerchii, & Principes iſtarum partium, ſeſe ſubduxiſſent, atque ad munitiora in agro loca ſeſe recepiſſent, quod tam Carolum, quam maximam plebis partem, ſibi adverſari animadvertiſſent. Ac licet ex partes antehac Pontificis conſilia ſequi nunquam voluiſſent, neceſſario tamen eô recurrendum tandem ipſis fuit, ut eum edocerent, Carolum, non componendæ, ſed turbandæ civitatis gratia, Florentiam veniſſe.

Sed papa interveniente revocati. Firmata pax.

Miſit igitur Pontifex denuo legatum ſuum, Matthæum Aquaſpartanum, qui pacem inter Cerchios Donatosq; compoſuit, eamq; novis affinitatibus atque nuptiis firmavit, voluitq; ut etiam Albi muniis Reip. præficerentur, quod tamen ipſis elargiri, qui Nigrarum partium erant, ut qui ſumma potirentur, minime voluerunt, unde tandem legatus, non minore cum indignatione, quam antea, inde diſceſsit, atq;

Non diuturna.

civitati, ob contumaciam, ſacris interdixit. Utraque igitur pars Florentiæ, exulceratis tamen utrinq; animis, reſedit, atque Nigri quidem, quod adverſarios in propinquo cernerent, non præter rationem metuebant, ne illis priſtina authoritas, quæ ſuam perniciem ſecum trahebat, recuperaretur: Albi verò ægre ferebant quod authoritate atque dignitatibus excidiſſent, quibus recentes præterea injuriæ ſeſe cumularunt.

Conſtituerat Nicolaus Cerchius, magna cum amicorum caterva, rus inviſere, ad pontem ergo Africanum eo animo progreſſi, Simonem, Donati Corſi filiam, obviam habuere, qui impetu in ipſos facto, pugnæ dolendæ author fuit, ſiquidem utriſque ſtrenue

Rursus caſu turbata.

pugnan-

pugnantibus, Nicolaus in ipſo conflictu proſtratus occubuit. Simon verò vulneribus confectus, poſtera nocte expiravit. Hæc res omnem civitatem denuò perturbavit, nam licet Nigrorum inſolentia hac in re major appareret, ea tamen ab iis, qui ad gubernacula ſedebant, defendi viſa eſt, interim pendente adhuc ſententia, Alborum conjuratio ſeſe prodidit, qua cũ Petro Ferdinando, Caroli Andii Barone, de recuperandis priſtinis dignitatibus, rationẽ ſtipulati erãt, idq; conſpicuum erat ex literis, quas Cerchiorum aliqui, ea de re huic inſcripſiſſe ferebantur, licet non deeſſent, qui arbitrarentur, literas iſtas à Donatis cõfictas fuiſſe, quo infamiam, ex nece Nicolai contractam, ea ratione ſepelirent. *Unde Cerchij cũ Ghibellinis proſcripti.*

Igitur proſcripti omnes, qui ex Cerchiorum familia, erant, vel iis ex Alborum partibus adhærebant, eorumq; bona in fiſcum redacta, ædesque dirutæ, inter quas etiam Dantis Poetæ. Atq; hi quidem, varia in loca, cum magna Ghibellinorum manu diſperſi, novis laboribus aliam fortunam venati ſunt: Carolus verò, peractis iis, ob quæ Florentiã venerant, ad Pontificem reverſus, de Sicilia occupanda denuò conſilia inijt, quod quidem negotium nec prudentia, nec virtute majore, quam hactenus, tractavit, adeo ut & vituperato, & exuto magna ſuorum parte, tandem in Gallias ipſi remigrandum eſſet. *Caroli in Gallias regreſſo.*

A Caroli diſceſſu ſatis quiete Florentini habebant, unicus tamẽ Corſus impatientius agebat, quod eam in Repub. dignitatem, quam ſibi deberi arbitrabatur, hactenus obtinere minus potuiſſet, ſiquidem illa populariter adminiſtrata, à multis regebatur, quos ſe longè inferiores eſſe facilè quisque fateretur. Quo igitur pravum animum, honeſta ſpecie nobilitaret, multos civium, quibus æs publicum concreditum erat, criminari, authorq; eſſe cœpit, quod eos in privatos uſus id transtuliſſe diceret, ut rationes ijs extorquerentur, atq; in crimine deprænhenſi plecterentur, qua quidem in re in pleroſq; adſtipulatores habuit, qui pari deſiderio movebantur, quibus præterea

ii acceſſerunt, quos ut Corſum amore patriæ ad id ferri crederent inſcitia induxerat. Contra ij, quos artes iſtæ petebant, aura populari ſubnixi, ſeſe ſtrenue defendebant, adeo ut tandem à forenſibus diſceptationibus,iterum ad arma utrique confugerent. Atque una quidem ex parte Corſus, cum Lotterio urbis Epiſcopo, & quibusdam ex plebe ſtabat: alteram primores Reipub. maximaque civium pars tuebantur, multisque in locis magno animo pugnabant. Illi itaque, quibus Reip. cura incumbebat, ut ſummum, in quo verſabantur, diſcrimen declinarent, Luccenſes in auxilium evocarunt, qui quidem univerſi Florentiam feſtinantes, authoritate ſua pro tempore res compoſuerunt, turbasque ita ſedarunt,ut plebi ſuæ dignitates atq; libertas intacta relinquerentur,verum de authore turbarum nihil aliud conſtituere.

Poſt quem novi tumultus Florentiam turbant.

Luccenſium adventu ad tempus compoſiti.

Interea temporis Pontifex, cui bellum Florentinorum inteſtinum innotuerat, Legatum ſuum, Nicolaum Pratenſem, ad diſſidia componenda eò ablegaverat. Atque is quidem, quod dignitate, doctrina, atque moribus, magnam ſibi exiſtimationem comparaſſet, facile obtinuit, ut de ſtatu totius urbis reſtaurando, univerſi in ipſum convenirent atque recumberent. Conſtituit itaque apud ſe Ghibellinos, quorum ipſe partes ſequebatur, in patriam revocare, quo vero id plebe non adverſa obtineret, hanc ſibi prius demulcendam ratus, antiquas tribus, quas Compagnias vocant, in integrum reſtituit, eaque ratione populi vires auxit, potentiorum vero robori non parum detraxit. Cum itaque hac via, populum ſuum ſe feciſſe arbitraretur, ad revocandos demum exules animum adplicavit. licet vero variis id modis tẽtaſſet tamẽ nõ,modo ulla via quidquã obtinuit, verum etiam optimatibus inde adeo ſuſpectus eſſe cœpit, ut Florentia deſerenda atque ad Pontificem, poſtquam irarum plenus urbi ſacris interdixiſſet, redeundum ipſi tandem fuerit.

Idem tentatum à legato Pontificio,

Ghibellinorum patrono,

Sed ideo mox inviſo,

Laborabat

Laborabat id temporis urbs miſere, non unis ſed multis modis, ſiquidem ea primo in populi atque optimatium, tum in Ghibellinorum ac Guelphorum tandem in Alborum ac Nigrorum partes diſtracta erat. Agebant cives in armis, pugnabantque inter ſe ſæpius, multi ſiquidem diſceſſum Legati iniqne ferebant, quod reditum nimirum exulum deſiderarent, inter quos Medicei atque Junii præcipui eminebant, utpote qui Legato, ea in re, manifeſto adhæſerant. Creberrima porro inter prælia alia præterea ſtrages, urbem eo tempore miſere afflixit: incendium ſiquidem, quod in ædibus Abbatiorum, ad hortum S. Michaelis excitum erat, inde ædes Campoſachiorum occupavit, easque cum Macciorum, Amieriorum, Toſchiorum, Ciprianorum, Lambertorum & Cavalcantiorum domibus abſumſit, inde vaſtato Novo foro, portam S. Mariæ omnem arſit, atque ad Pontem veterem deflectendo, ædes Gherardinorum, Pulciorum, Amideorum, Lucardeſiorum, aliasque quamplurimas tanto impetu hauſit, ut earum numerus ſeptingentas ſupra millenas excederet. Perſuaſum erat pleriſque, dum ardentius in urbe pugnaretur, caſu id ita eveniſſe, non deerant tamen, qui affirmarent, ex Nigrorum partibus, Abbatium, qui ad S. Petrum, cognomine Scherragium, Prior audiebat, hominem diſſolutæ vitæ, malique avidum, in animum induxiſſe, dum tota fere urbs obſtinatius inter ſe digladiaretur, ut iſtiusmodi ſcelus conaretur, cui, ob fervorem pugnæ, non facile obviam iri poſſet, ideoque ædibus ſuarum partium ignem immiſiſſe, quod ad eas via ipſi pateret.

Et vix non profugo.

Interdicit iterum Florentini

In multas partes diſtracti.

Incendio præterea hauſti.

Erat annus MCCCIIII. mẽſisq; Julius, quo Florẽtia tam ignib. quã armis miſere interibat. In tanta vero patriæ clade, *ſolus Corſus arma neglexit, quod nimirum ſperaret, ea ratione, arbitriũ totius molis, penes ſe futurum*

» *ſi utraq; pars cædibus ſatiata, tandem de tranſactione cogita-*
» *re inciperet.* Quievit tandem urbs ab armis, malis potius exhauſta, quam quod concordiam ſpiraret, id tamen adeptum, ne exules reverterentur, utpote quorum partes inferiores extitiſſent.

Satietate malorum quievere.

Legatus ergo Pontificius Romam reverſus, exploratisq; novis Florentinorum turbis, Pontifici author exſtitit, ut diſcordiis extirpandis, duodecim primarios, Florentinorum ad ſe exciret eaque ratione, ſubmota diſſenſionum eſca, flammas ſopiret. placuit id conſilii Pontifici, evocatique, inter quos etiam Corſus Donatus edicto omnes paruêre: his igitur Florentia digreſsis, Legatus exulibus Florentinorum ſignificavit, tempus adeſſe, quo urbem ducibus deſtitutam repeterent: atque illi quidem extrema conaturi, per eam murorum partem, quæ nondum abſoluta erat in urbem irrumpentes, ad forum uſq; Divi Johannis penetrarunt: verum mira rerum viciſsitudine ſucceſsit, ut ij ipſi, qui modo pro ipſorum reſtitutione, (dum citra arma patriæ redintegrari precibus contenderent) animoſe pugnaverant, poſtquam idem vi armataque manu ipſos conari cernerent, ſeſe in eorum perniciem armarent, atque cum reliquis

Exules patriam vi occupare conati.

» conglobati, (*adeo publicum commodum, privatis amici-*
» *tijs cives iſti anteponebant*) ipſos pedem referre cogerent. Excidêre quidem auſis exules, eam potiſsimũ ob cauſam, quod tam partem copiarum ad Laſtram reliquiſſent, quam Toloſettum Uberti neglexiſſent, qui à Piſtorienſibus trecentos equites in eorum au-
» xilium conduxerat, *in celeritate potius quam in viribus*
» *victoriam ponendam arbitrati, quod quidem ſæpius in iſtiuſ-*
» *modi conatibus obvenire ſolet, ut nimirum mora occaſioni,*
» *celeritas verò viribus nocumento ſit.*

Repulſi.

Profligatis exulibus, Florentini ad priſtinas diſcordias rediêre, & populus quidem, Cavalcantiorum authoritati infringendæ, arcem illorum, in Vallegreviana, ſitam, Stinchas vocatam, antiquum illius familiæ domicilium occupavit, eosque qui inibi reperti fuere, in carceres, recens exſtructos, compegit, quod quidem

quidem carceribus idem nomen Stincharum, quo etiam hodiernum indigetantur, comparavit. Renovarunt præterea primores Reipub. tribus illas, quas ſupra memoravimus, illiſque vexilla ſua attribuere, ducibus ipſorum, Gonfaloneriis ſeu tribuum ſigniferis & Dominorum collegis nuncupatis, utpote quorum eſſet, neceſsitate urgente, armata manu, pacis verò tempore, conſilio ſuo magiſtratui adjumento eſſe: duobus inſuper rectoribus, jam olim conſtitutis, executor additus, qui Gonfaloneriis illis conjunctus, potentiorum inſolentiæ obviam iret. *Renovatæ claſſes opificum.*

Interim Pontifex in fata conceſſerat, Corſusque cum iis, quos Romam evocatos diximus, inde reverſus erat, neque ad quiete vivendum deinceps quidquam obſtare videbatur, niſi urbs, Corſi inquieto animo, rurſus in turbas excitata fuiſſet. Conſueverat nimirum vir ille, quo authoritatem aliquam ſibi vendicaret, opinioni potentiorum utplurimum refragari, atq; eo, quo populum inclinare animadverteret, conſilia ſua dirigere, ut tandem omnium eorum, qui vel deſperaſſent, vel novi aliquid molirentur, caput non immeritò audiret, ſiquidem omnes, quibus mens erat, præter ordinem quidquam impetrare, hûc confugiebant, adeò ut hac ratione multorum odia in ſe concitaret, quæ quidem ſenſim eo usque excrevére, ut Nigrorum partes manifeſtè inter ſe diſsidere conſpicerentur, ſiquidem Corſus vi atq; potentia propria, adverſarii verò publico nitebantur commodo, licet tanta hominis eſſet authoritas, ut ea ſingulis terrori exiſteret; nihilominus, quo animos plebis ab ipſo averterent, in vulgus ſparſere adverſarii, ipſum Tyrannidem moliri, quod quidem ſuſpicionis genus, per ſe ſatis potens, hic eo facilius in animos plebis penetrabat, quod hominis mores omnem civilem modum excederent, auctumque id porrò non mediocriter, quod nuper Huguccionis Faggiolani, qui Ghibellinarum Albarumq; partium Dux, atque in Tuſcia potentiſsimus eſſet, filiam ſibi matrimonio copulaverat. Ea ſiquidem neceſsitudo, *Pontificis obitus.* *Pacat Florentiam.* *Eam Corſus reverſus denuò turbat.* *Multis exoſus.* *Ideoque Tirannidis inſimulatus.*

poſtquam vulgo innotuit, adverſariis ipſius animum ſuggeſsit, inque cauſa fuit, tam ut arma in ipſum moverent, quam ut eius tutela à populo iiſdem ex rationibus negligeretur, imo major pars inimicis ipſius adhæreret.

Duces adverſæ partis erant, Roſsus de la Toſa, Pazinus Pazius, Gerius Spina; Bertusque Brunelleſchius. Hi ergo cum iis, qui partes ipſorum ſequebantur, magnaque plebis parte, ad Palatium Dominorum armati confluxere, eòque rem diſpoſuere, ut perorante Petro Brancha, qui populi Dux erat, Corſumque, tanquam tyrannidem ſubſidio Huguccionis moliretur, accuſante, Corſus in judicium vocaretur, & cum non compareret, pro rebelle condemnaretur, vix duarum horarum ſpatio, accuſationem inter atque ſententiam, præterlabente. Evulgata ſententia, Magiſtratus, unà cum populo ſub vexilla diſtributo, ad Corſi ædes confeſtim progrediebatur: nec Corſus, quod ſe à magna ſuorum parte deſertum, ſententiam præterea contra ſe latam, magiſtratum in ſe armatum, denique multitudine inimicorum ſe circumvallatum cerneret, eo abjectior, ædes potius ſuas munire cœpit, quod nimirum ſperaret, poſſe eas tantisper defendi, donec Huguccionis auxilia, quæ ocius petierat, ſubvenirent: ſiquidem non tantum ædes ſuas, ſed etiam vias, quæ eò ducebant, objicibus vallisque ſepſerat, easq; viris, qui partes ipſius ſequebantur, tam ſtrenue defendebat, ut plebi, licet ea numero longe præſtaret, ea ſuperare minimè proclive eſſet. Pugnabatur ergo magnis utrinq; animis, non ſine vulneribus & cæde plurimorũ: tandem plebs, quod conſerta manu minus licebat, occupatis ædibus contiguis, per eas in domum Corſi perrupit. Ergo dum hoſtem Corſus undequaq; ingruere, neque in Huguccionis auxiliis, quidquam ſpei ſupereſſe, animadverteret, jam de victoria minus ſollicitus, de ſalute cogitare cœpit, conglobata igitur amicorum fortiſsimorum manu, quorũ ipſe, una cum Gherardo Bondinio,

Proſcriptus.

dinio, agmen ducebat in hoſtes prorumpens, tanto animo eos adortus eſt, ut vi via patefacta, per portam, quæ à Cruce denominatur, ipſi exitus armata manu partus fuerit. Verũ multis civiũ ardentius ipſum perſequentibus, Gherardus quidẽ ad Affricũ, à Boccacio Cavicciullo, peremptus, ipſe verò Corſus ab equitib. Catellanis, qui Reip. militabant, prope Rovezanum, circumventus captusq; fuit: cum ergo Florentiã verſus duceretur, ne hoſtium, de victoria ſuperbientium, vultus ſuſtinendi ſibi eſſent, ex equo ſemet præcipitẽ dedit, atq; ſic proſtratus, ab uno qui ipſum ducebant, jugulatus occubuit, cadaver ipſius, Monachi ad S. Salvium, ſepulturæ, absque ullis funebribus, tradidere. *Occiſus.*

Atq; hunc quidem exitum vir ille ſortitus eſt, à quo tam in patriam, quam partem Nigram multa, ſicuti præclara, ſic etiam ſiniſtra profecta erant, viviretque ipſius memoria hodiernum felicior, ſi genio tranquilliore ipſi frui licuiſſet, nihilominus non poſtremam laudem, inter præſtantes cives urbis noſtræ mereri queat. Licet ob irrequietum viri ingenium, nec patriam, nec partium ſuarum ſequaces, beneficiorum memores habere ipſi obtigerit, ſed potius tam ſibi ipſi mortem, quam his omnibus plurimum damni pepererit.

Huguccionem quod attinet, poſtquam is ad Remolenſes usque in auxilium advolaſſet, verum generum obſideri à plebe ibi intellexiſſet, nihil in ſe opis ſupereſſe arbitratus, ne ſibi ipſi nocumento foret, nec interim genero quidquam prodeſſet, pedem inde retulit.

Ab obitu Corſi, qui in annum MCCCVIII. incidit, ceſſatum à turbis aliquandiu, donec innotuiſſet, Henricum Imperatorem, ſtipatum omnibus iis, qui Florentia exulabant, cum exercitu in Italiam trajicere, atque his patriam pollicitum eſſe. Viſum itaque Principibus Reipublicæ quo inimicorum minus foret, omnibus iis patriam reſtituere, quibus reditus expreſſa lege negatus non eſſet, excluſa ergo, hoc decreto, major Gibellinorum *Henricus Imp. in Italiam proficiſcitur.*

Florentini auxilia à Roberto Neap. Regi petunt.

Seq; in quinquennium ipſi mancipant.

pars, tum partium Albarum aliqui, inter quos etiam Dantes Aligherius, tum Veri, Cerchii, atque Joannis de la Bella filii. Petita inſuper, à Roberto Neapolitanorum Rege auxilia, & cum ea minus ex voto impetrarentur, univerſa urbs in ipſius clientelam quinquennium tradita, quo eam Rex, tanquam ſuá, defendendam ſuſciperet.

Obſeſſi ab Henrico.

Imperator via maritima urbem prætervectus, Romam petiit, ubique anno MCCCXII regno inauguratus ad Florentinos ſubjugandos poſtmodum animum applicavit, via itaq; Peruſina profectus, Aretinis poſt ſe relictis, Florentiam obſidione cinxit, caſtris ad Monaſterium S. Salvi, quartam miliarii ab urbe partem poſitis. Protracta ea obſidio in quinquageſimum usque diem, verum hac via deſperata victoria, Imperator Piſam conceſsit, ibique cum Friderico, Siciliæ Rege, pactus, de exturbando Roberto conſilia habuit: at dum in hunc moveret, atq; tam ipſe victoriam ſibi polliceretur, quam Robertus maniſeſtiſsimum interitum exſpectaret, apud Beneventanos in fata conceſsit.

Qui in fata conceßit iam victor.

Inde ab Hugnccione mulctati.

In quē Petrū Rober. fratrem armant.

Accidit inde, ut Huguccio, cuius ſupra mentionem fecimus, Piſas, nec multo, poſt à Ghibellinis vocatus, Lucas occuparet, atque harum civitatum ſubſidio, vicinos damnis graviſsimis afficeret. Quo igitur Florentini cladibus iſtis obviam irent, in Petrum, Roberti Regis fratrem, cui exercitus committeretur, conſenſerunt. Nec Huguccio eò ſegnior, potentiam ſuam indies auctum ibat, & tam aperto Marte, quam actu doloque in vallibus, ab Arno, Nivibusqúe denominatis, multa propugnacula occupabat: tandem cum Montem Catinenſem obſidione cingere adgreſſus eſſet, neceſsitate adacti Florentini, ne propugnaculo illo amiſſo, incendium iſtud omnem provinciam devaſtaret, numeroſo exercitu conſcripto, Vallum Nivium ultrà profecti, prælioq; commiſſo, poſtquam ſtrenue pugnatum eſſet, magna ſuorum cum ſtrage, (inter duo ſiquidem cæſorum millia,

Præliū committunt.

Petrus

Petrus, quoque Regis frater deſideratus, neque unquam poſtea repertus) profligati fuere. Nec Huguccioni interim victoria parvo conſiſtit, filio etenim amiſſo multos inſuper ſignorum Duces deſideravit. *Profligantur Petro amiſſo atq; nuſquam reperto.*

Poſt eam cladem Florentini, propugnaculis circumquaque muniendis, incubuere, prætereà à Rege Roberto Comitem Andriæ, qui Comes Novellus audiebat, in Ducem exercitus impetravere, cujus quidem vel adminiſtratione, vel quod *Florentinis inſitum ſit, omnem rerum ſtatum faſtidire, omniq; ſucceſſu in partes diſcedere,* urbes novas in partes, Regis nimirum amicos, ipſiusque adverſarios, necquicquam bello Huguccionis commota, diſtracta fuit. Adverſarum Regi partium Duces erant, Simon de la Toſa, Magallottiorum familia, aliique ex plebe, qui auctoritate, in Repub. adminiſtranda, eminebant. Egerunt hi itaque, ut primum ex Galliis, poſtmodum ex Germania, tam Duces quam copiæ peterentur, quorum auxiliis appropinquantibus, Regius præfectus exigeretur. Licet autem neutro potiri per fortunam ipſis licuerit, immoti tamen animo, quod Gallia Germaniaque ipſis negaverat, ex vicino Eugubio ſibi venerandum petiére, Comiteque Novello pulſo, Landonem Eugubinum accerſivere, in quem imperium, ſeu potius carnificinam in cives omnem, transferrent. *Novo Duce accepto in novas partes trahuntur.* *Novũ Ducem pellunt.*

Erat Lando vir crudelis & rapax, armatoque ſatellitio ſtipatus, modo hunc, modo illum, vita exuebat, prout illis nimirum viſum erat, qui eum tanta auctoritate muniverant: qua quidem eousque abuti non erubuit, ut monetam publicam adulteraret, neq; tamen ob crimen iſtud à quoquàm coherceretur eò faſtigii ex publicis diſsidiis nimirum creverat. *Landonem Eugubinũ ſibi præficiunt.*

Magnam profecto, nec interim minus miſeram civitatem, quam neque exantlata partium ſtudia, neque Huguccionis metus, neque demum Regis auctoritas, in officio continere poterat: eam ob rem *A quo indigne habiti.*

gravibus atque atrocibus caſibus expoſita, foris quidem Huguccionis, intus vero Landonis, Eugubini præda erat. Amici porrò Regis, qui Landoni atque ſequacibus eius adverſabantur, tam ex nobilium quam populi familijs potentioribus colligebantur, omnesque Guelphorum partibus favebant, nihilominus, quod inimici Regis ad gubernacula ſederent, absque ſummo diſcrimine animum patefacere minùs ſibi integrum arbitrabantur, Tyrannidis tamen ignominioſiſsimæ pertæſi, eaque liberari ſeſe cupientes, occultis literis Robertum Regem invitarunt, ut in Comitem Guidonem Buttifollanum, auctoritatem ſuam transferret: Impetratum, id præter moram, partique adverſæ (licet magiſtratus contra Regem ſentiret) tantum animi non erat, ut Comitem, alioquin ob egregias dotes illuſtrem, excluderet, parum tamen authoritatis penes ipſum manebat, quòd tam magiſtratus, quam Gonfalonerij, Londoni eiusq; partibus ſtuderent.

Iterum ad Regem confugiunt.

Dum ergo hac ratione apud Florentinos laboraretur, accidit, ut Regis Romanorum Alberti filia, quæ Carolo Roberti Regis filio nuptum ibat, per Florentinos iter ageret: hanc amici Regis honorifice exceperunt, eique ſtatum Reipub. unà cum tyrannide Landonis, tam accommodato ad mœrorem luctuque ſermone vultuque expoſuerunt, ut huius Reginæ interventu, Regisque adminiculo, antequam ea Florentiam relinqueret, cives concordiam inirent, Landonemque præda & cruore onuſtum, ad Eugubinos dimitterent. Inde Regi imperium in tres annos prorogatum, Resque publica ſic conſtituta, ut dum Septemviri partium Landonis antea imperarent, VI. ex partibus Regis hiſce adſcriberentur, ſicque aliquot annos Reſpublica per tredecemviros adminiſtrata, tandem numerus, ex priſtino more, iterum ad Septemviros revocatus fuit.

Eiusque ope Landonem exturbant.

In Novas leges conveniunt.

Sub hæc tempora, Huguccioni imperium Luccenſium & Piſanorum ereptum in manus Caſtruccii Caſtraca-

Huguccio à Caſtruccio exturbatur.

ſtracani, civis Luccenſis, devenit, adoleſcentis, ut audacis atq; ferocis, ita non minus fortunati, adeo, ut brevi momento, Princeps Ghibellinorum univerſa in Tuſcia haberetur. Eam ob rem Florentini, omiſſis çivilibus diſsidiis, cogitare diligentius cœperunt, primo, ne qua ratione potentia Caſtruccii nimium, excreſceret, deinde poſtquam ea præter ipſorum ſententiam nimium quantum aucta eſſet, quo pacto porrò ei obſiſterent. Quo igitur accuratiore ſtudio tam hac de re deliberaretur, quam deliberata perficerentur, ideo duodecim cives electi, iique Boni homines vocati fuere, ſine quorum conſilio atque aſſenſu, magiſtratui nihil arduum conari liceret.

Ghibellinorum in Tuſcia poſtmodum duce.

In quē novus Florentiæ magiſtratus.

Interim Roberto Regi, Florentinorum imperium, elapſo nimirum annorum termino, exſpiravit, urbsque iam ſuiipſius potens, ſoliti magiſtratus rectorumque authoritate, ſeſe componere cœpit, concors nimirum ob metum Caſtruccii, qui poſt multam illatam Lunenſibus cladem in Pratenſes tandem movit. Quod igitur Pratum defendendum eſſe, Florentini decreviſſent, eam ob rem officinis omnibus obſeratis, vigintique mille peditum, & mille quingentorum equitum, populariter coadunato mox exercitu, in Pratenſium auxilium perrexerunt, publicoque præterea edicto caverunt, qui ex Guelphis exulabant, omnibus, modo ad Pratum defendendum convenirent, patriam ipſi reſtituendam fore, qua quidem ratione tam hoſtis vires fregere, quam ſuas non mediocriter auxere, non minus ſiquidem IIII. M. exulum eo confluxerant. Atque ingentes iſthæc quidem copiæ, tanta cum celeritate in aciem productæ, Caſtruccium tantopere perturbarunt, ut prælium ſibi detrectandum ratus, Luccam verſus pedem referret. Variæ inde, inter nobiles plebemq;, ſententiæ in exercitu ortæ, his Caſtruccium perſequendum atque extinguendum, illis redeundum cenſentibus, ſatis nimirum eſſe Florentiam ipſam, ut Pratum defenderetur iviſſe periclitatum, atque id quidem

Atq; in Pratenſes moventem exercitus productus.

Nova, eo regreſſo, diſſidia.

dem neceſsitate, adactos, prudenter ſic ſatis conatos eſſe, nunc verò, poſtquam neceſsitas illa minus urgeat, plus etiam amitti, quam adquiri, inſequendo hoſtem, poſsit, fortunam non temere tentandam. Cum ergo inter hos conveniri neûtiquam poſſet, res ad magiſtratum devoluta, quos tamen, plebeios nimirum atque potentiores, eadem ſententiarum diverſitas in partes diſtraxit, quod porrò à plebe intellectum anſam præbuit, ut frequenti numero in foro convenirent, minisque potentiores adeo terrerent, ut ij metu perculſi, ſententiam desererent, verum quod in plebis ſententiam tardius conceſſum, multisque invitis ea extorta eſſet, hoſti interea ſatis ſpatii, quo Lucam ſeſe reciperet, ſuppeditatum fuit.

Ipſi ſecuritatis cauſa.

Atque hic quidem ſucceſſus, adeò plebis animos in potentiores concitavit, ut magiſtratui minus integrum videretur, exulibus fidem, potentiorum interventu, datam, ſervare, eosve in urbem admittere, quod exulibus animadverſum in præventione non parum momenti conſtituentes, ipſi ad urbem primi advolavêre, verum id prudentioribus prævisum, ipſis non ſucceſsit, ſed ab ijs, qui Florentiæ ſubſtiterant, repulſi fuêre. At illi quo orando adipiſcerentur, quod vi minus poterant, eam ob rem, octo illuſtriores ad Senatum legatos miſêre, qui fidem ſtipulatam, atque pericula eam ob rem ipſis, ſuſcepta in mentem revocarent, licet verò nobiles, ut qui ſeſe ea in re fortius obſtrictos ſentirent, atque exulibus particulatim fidejuſſores, ſeſe exhibuiſſent, magno ſtudio in eorum gratiam laboraſſent, nihiloſecius adeo plebis indignatio, quod Caſtruccii negotium minus ex ſententia ceſsiſſet, invaluerat, ut hi nihil hac in parte obtinerent, quod quidem in ignominiam Reipub. vergere cœpit. Multi igitur nobilium ea propter irritati, tentarunt vi ad ea conari, quæ precibus minus potuiſſent: authores eam ob rem exulibus fuere, ut armati ad mœnia ſuccederent, ſeque ipſis non defuturos promiſere. Verum & hi conatus,

At urbi majoribus turbis.

ante

ante diem conſtitutam detecti, univerſos cives ad arma excivêre, adeò ut non tantum iis, qui foris erant, reſiſtere, ſed etiam hos, qui intra mœnia degebant reprimere, valerent, re itaque infecta exules ab incœpto deſtitêre. *Conatus exulum pro patriæ recuperanda irriti.*

Non alienum erat, poſtquam hi abiiſſent, eos plectere, qui ipſis ad facinus iſthoc conandum, authores extitiſſent, at licet nemo eſſet, qui iſtos ignoraret, nemo tamen eos deferre, nedum accuſare audebat, ne verò delictum iſtud impunitum abiret, eam ob rem decretum, ut quilibet ſenatorum, delinquentium nomina, literis conſignaret, eaque tecte Capitaneo exhiberet. Accuſati hac ratione fuere, Americus Donatus, Thegiaius Freſcobaldus, & Lotharingus Gherardinus: at hi, quod judicem clementiorem, quam fortaſsis delicta commeruiſſent experirentur, mulcta pecuniaria facinus expiarunt.

Quod autem exulum copiæ, dum ad urbem ſuccederent, non parum in urbe turbaſſent, depræhenſum inde, tribubus quibusque ducem unum minimè ſufficere, ideoque decretum, ut tam quæque tribus ducibus ternis vel quaternis deinceps pareret, quam Gonfalenerio duo vel tres adeſſent, qui Pennoneriorum, quaſi dicas ductorum, nomine, ubi univerſo agmine opus non eſſet, parte earum rem perficerent. Et ut *ferè ſemper uſuvenit, ut ex rerum inopinato ſucceſſu leges aliæ aboleri, aliæ renovari ſoleant*, ita ij, qui tum ad gubernacula ſedebant, quod magna authoritate pellerent, facilè perfecerunt, ut in ſe ipſos ius creandi magiſtratus, qui quadraginta menſibus poſt imperaturus eſſet, transferretur, cum antea annuo tempore creari conſueviſſent; nomina igitur omnium qui ſuccedere debebant, urnæ ſeu loculus immittebant, atque binis quibusque menſibus ea inde promebant. *Quibus porro obviam itum novis legibus.*

Verum antequam termino quadraginta menſium comparuiſſet, quod multi civium, num inter nomina re-

na recepti eſſent, ambigerent, ad novam nominum conſignationem, quam Imborſationem vulgo nuncupant, deſcenſum fuit. Hinc mos ille, per urnam ſeu loculum creandorum magiſtratuum, tàm eorum qui in ipſa urbe, quam extra eam regebant, inolevit dum antea, ſub finem annui magiſtratibus, à Senatoribus ſucceſſores legerentur, vocaturq; poſtea mos iſte Squittinorum nomine, qui quidem quod ſingulo triennio, vel ad ſummum quinquennio repeteretur, tam cives ſollicitudine levare, quam turbis obviam ire videbatur, quæ alioquin in novis magiſtratibus creandis, ob multos qui eò aſpirabant, ut plurimum concitari conſueverant, & neq; alia commodior via id temporis apparebat, neque mala, quæ tam exigua in occaſione latebant, deprehendebantur.

Unde mos per urnam creandi magiſtratus.

Caſtruccius Piſtoriam occupat.

Annus agebatur MCCCXXV. Caſtrucciusq; poſt occupatos Piſtorienſes, adeò viribus excreverat, ut Florentini, de ipſius potentia anxii, antequam altius apud Piſtoriam radices ageret, eum exturbandum inde decernerent. Collecto itaque, tam ex civibus quam ſocius viginti mille peditum, triumq; mille equitum exercitu, Altopaſcium profecti, id obſidione cinxerunt, quo occupato, Caſtruccio via ad Piſtorienſes defendendos præcluderetur.

Florentini, eo pellendo Altopaſciū.

Atq; ſucceſsit quidè Florentinis, ut Altopaſcio potirentur; indeq; Lucas progrederentur, agroſq; vaſtarent. Verum quod Duci, tam prudentia quam fide dubio, rem commiſiſſent, nihil præclari geſtum. Præfecerant nimirum exercitui Raimundum Cordubenſem, atque ille porro animadverterat, Florentinos libertatis ſuæ hactenus prodigos, modo Regi, modo Legatis, modo aliis, qui minus pollebant, eam proſtituiſſe, eoq; in ſpem devenerat, facile adduci eos poſſe, ſi forte magnis difficultatibus implicarentur, ut ſibi imperium deferrent: Neque id aliquoties innuere oblitus, eandemt authoritatem in urbe, quam in exercitu conceſsiſſen ſibi dari inſiſtit, monendo, non

non alia via eiuſmodi obedientiam militum, quæ Duci exercitus conveniat, ſibi ſalvam fore. Poſtquam verò Florentinos eo minus, deſcendere animadverterat, nihil agendo tempus mittebat, quod Caſtruccius ſtudioſiſsime operiebatur, ſiquidem auxilia à Viſcontibus, aliisq; Longobardiæ regulis, ſibi promiſſa, interim collegerat.

Sicut autem Raimundus, ob fidem fluxam, victoriam ab initio amplecti neglexerat, ita etiam poſtmodum, aucto viribus nimium hoſte, ea prudentia, qua ſaluti ſuæ conſuleret, deſtituebatur. Segnius ſiquidem atque remiſsius agens, à Caſtruccio ad Altopaſcium invaſus, poſt aliquam pugnam, (in qua multi cives tam capti, quam exſtincti, atque inter hos ipſe Raimundus,) univerſus exercitus profligatus fuit, eumque, is exitum adeptus eſt, quam dubia ipſius fides, atque ſcelerata in Florentinos conſilia, merebantur. Dici vix queat, quot damnis, ab ea clade, Caſtruccius Florentinos affecerit, & quam miſere omnis inde ager ipſius prædæ, vaſtationi, incendiis patuerit, nulli ſiquidem copiis obſiſtentibus pro arbitrio, omnia advaſtabat, Florentinisque poſt tantam ſtragem, urbem ipſam ab ipſius potentia defendiſſe, ſatis ſuperq; erat. *Ibi à Caſtruccio profligati.* *Miſere in urbē compulſi.*

Neque tamen eo mente abiecti fuére, ut omne corradendæ pecuniæ, auxilii ab amicis petendi, ſcribendique exercitus ſtudium omitterent, verum in tam potentem hoſtem, ea omnia minus poſſe videbantur, adeo ut tandem Carolus Calabriæ Dux, Roberti Regis filius, implorandus, imperiumque urbis ipſi deferendum eſſet, ſi eius auxilium impetrare vellent: imperare ſiquidem Neapolitani ex more Florentinis potius, quam ipſos ſociorum loco habere malebant. Quod verò eo tempore Carolus, bello Siculo implicatus teneretur, eamq; ob rem in poſſeſsionem venire ipſe non poſſet, Gualtherum Ducem Athenienſem, natione Gallum, eò miſit. Succepit ille Vicarius Ducis imperium urbis, deque *Carolo Roberti filio imperium urbis deferunt.* *Qui vices Duci Athenienſi mandat.*

Repub.

Repub. pro arbitrio diſponere cœpit. Atque id quidem inoderate, adeoque præter naturam ſuam, ut omnium in ſe amorem provocaret.

Ipſum poſt ſubſecutus. Compoſito inde bello Siculo ipſe Carolus, ſtipatus mille equitibus, Florentiam petiit, ibique menſe Julio anni M CCCXXVI exceptus fuit, quod quidem Caſtruccio poteſtatem ademit, ne tam libere Florentinum agrum deinceps depopularetur, verum ea, quæ foris dignitati ipſorum inde acceſſerant, ea intra mœnia proſtituta, malaque, quæ ab hoſte minus perpeſsi erant, ab amicis inflicta ipſis fuere: ſiquidem Reipub. Principes, omnia ex authoritate Ducis agebant, cui ea ratione facile licuit, unius anni ſpatio urbem CCCC. M. florenis emungere, (etiamſi pacta in ducenta ſaltem millia, facultatem ipſi tribuiſſent) adeo novis ſubinde modis, vel ipſe, vel pater urbi graves exigendo erant. *Vrbem pecunia emungit.*

His malis aliæ ſupiciones, noviq; hoſtes acceſsère, Ghibellini ſiquidem, unaq; Galeazeus Viſcontius, cæteriq; Longobardiæ Reguli, ob adventum Caroli ambigui, apud Ludovicum Bavarũ, qui contra Pontificis voluntatem Imperator ſalutatus erat, tam largitionibus quam pollicitationibus effecerunt, ut in Italiam cum exercitu proficiſceretur. Venit igitur Ludovicus in Longobardiam, inde in Tuſciam, ibiq; auxilio Caſtruccii Piſas occupavit, peniaque corraſa Romã petiit, quod quidem in causa fuit, ut Carolus Regno Neapolitano metuens, Florentiam desereret, relicto, qui vices ageret, Domino Philippo Saggi-netto. *Adventus Ludovici Bavari Imp. edit.*

Caſtruccius Piſas occupat. Digreſſo Imperatore, Caſtruccius Piſas occupat, Florentini vero proditione ipſum Piſtoria deijciunt, ad quam recuperandam Caſtruccius profectus, tanta animi virtute atque obſtinatione obſidionem adgreſſus eſt, ut licet Florentini ſæpius urbi ſubventum cuperent, fortunamque, modo exercitum Caſtruccii, modo ipſius ditionem invadendo, tentarent, nihilominus eũ, nec vi nec aſtu, removere ab incepto unquã potuerint, tanta nimirũ vir libidine ardebat, tàm de Piſto-

de Piſtorienſibus ſupplicium ſumere, quam Florentinis eam urbem extorquere, adeo ut ea tandem ſub ipſius imperium redire neceſſitate adigeretur, atque id quidē magna cum ejus gloria, quam tamen ob incommoda quæ ibi ſuſtinuit, ipſius mors, dum Lucam reverteretur, continuo ſubſecuta eſt. *Et cum raro accidat, quin proſperiorem vel etiam ſiniſtrum eventum, alia vel bona vel mala comitentur*, ſub idem tempus Carolus quoque Calabriæ Dux, Florentinorumque Dominus, in fata conceſsit, ut tandem, præter omnem exſpectationem, tam ab hujus imperio, quam iſtius metu, exigui temporis ſpatio Florentini liberarentur. *In fata conceſsit.* *Itemque Carolus Calabriæ Dux.* *Florentini ergo liberi.*

Libertate ergo recuperata, Rempublicam reſtituere adgreſsi ſunt, repudiatoque veteri magiſtratuum ordine, binos Senatorum ordines, unum quidem trecentorum ex populo, alterum ducentorum quinquaginta, tam ex populo quam magnatibus lectorum, conſtituêre, tributumque illi nomen Conſilii plebis, huic Conſilii communis. Imperator Roma occupata, Antipapam conſtituit, multaq; contra Pontificatum, tam ſanciendo, quam alia fruſtra conando, tandem cum ignominia Piſam reverſus eſt, quo cum perventum eſſet, octo millia equitum Germanorum, quod vel ipſi irati eſſent, vel de ſtipendiis ipſis minus ſatisfieret, ab illo receſſerunt, occupatoque Ceruglio ſupra montem Clarum caſtra muniverunt. *Rempub. conſtituunt.* *Antipapa ab Imperatore creatur, Nullo effectu,* *Deſertus à militibus.*

Atque hi quidem, cum Imperator, in Longobardiam profecturus, Piſa diſceſsiſſet, Luccas occuparunt, indeque Franciſcum Caſtracanem, ab Imperatore conſtitutum exturbarunt, quo vero aliquid emolumenti inde ad eos rediret, urbem ipſam viginti florenorum millibus Florentinis venum obtulerunt, quam tamen hi emptionem, ex conſilio Simonis de La Toſa, neglexerunt. Neque negari quidem queat, ſummo id cum Florentinorum emolumento deliberatum, ſi illis porro in eadem ſententia perſiſtere perſuaſū fuiſſet: Verùm quòd mentē paulò *Qui Luccas occupant.*

pôſt mutaverint, maximo id ipſis damno ceſſit. Nam cum in ipſorum arbitrio id temporis ſitum eſſet, eam civitatem viliſſimo pretio abſque ullius injuriæ ſibi ſubjicere, quam tamen negligendam ducerent, inde porro factum eſt, ut dum ea poſtmodum potiri arderent, licet longe majore pretio emiſſent, eam tamen non obtinerent, quod quidem in cauſa fuit, ut Florentinorum Reſp. ingenti cum jactura, ſæpiſsimè mutaretur.

Easque venum exponunt.

Luccenſes igitur à Florentinis poſthabiti, Gherardinũ Spinolam Januenſem, XXXM. numerato pretio, emptorẽ habuere. *Cum vero hominib. natura inſitum „ſit, ut longe, tardiores ad ea occupanda, quæ non diffi„ culter obtinere poſſunt, quam ad ea amplectenda feran„tur, quæ adipiſci nequeunt*, vix emptio illa in vulgus Florentinorum emanaverat, quin populus incredibili deſiderio ejus civitatis potiundæ flagraret, & tam in ſua quam illorum qui emptionem diſſuaſerant, conſilia, acerbe inveheretur. Quod ergo emere neglexerant, id aperto Marte adquirere decreverunt eamque ob rem ſuas, in agrum Luccenſium, prædatum miſerunt.

A Spinola mercatore empti.

Sed à Florentinis turbato.

Inter hæc geſta Imperator Italia exceſſerat, atque Antipapa Piſanorum medio in Gallias in vincula abductus erat, quieverantque ab inteſtinis diſsidiis Florentini, poſt obitum Caſtruccii, biennium, rebus potius extra urbem conſtituendis intenti, multisque bellis tam ob Regis Bohemorum Joannis profectionem in Longobardiam, quam in Tuſcia, Luccenſium cauſa, implicati. Urbem præterea novis ædificiis exornarunt, turrim ſiquidem, quæ ad S. Reparatæ vocatur, ex præſcripto Giotti, pictoris id temporis celeberrimi, exſtruxerunt, tum etiam multa ædificia, ponteſque,) diluvio ſiquidem Arnus in ipſa urbe, Anno CCCXXXIII. ad duodecim usque ulnas, magna cum ædificiorum ſtrage excreverat) ſummo ſtudio, diligentia, ſumptuq; reſtaurarunt.

Rex Bohemorum in Longobardiam penetrat.

Annus vero CCCXL. novas turbarum cauſas ipſis peperit.

peperit. Duæ potentioribus civium viæ patebant, qua ſuam authoritatem vel augerent, vel firmarent, prima in eo conſiſtebat, ut in novis magiſtratibus, per urnam legendis, ſuis artibus caverent, ne dignitates illæ, in alias quam ſuas, vel certè amicorum manus conferrentur, altera ſuis calculis & ductu, novi Rectores emergerent, quo iis poſtmodum propitiis in judiciis uterentur: atque in poſtrema quidem hac via, tantum momenti ſibi ſitum arbitrabantur, ut priſtino duorum Rectorum numero neglecto, aliquando ad tertium legendum progrederentur, adeoque id temporis eò dignitatis, Jacobum Gabrielem Eugubinum, quem titulo excubiarum præfecti inſigniebant, præter ordinem evexerant, ipſique omnem authoritatem in cives elargiti fuerant. Agebat hic planè ex eorum mente, qui tum ſummas tenebant, multisque contumeliis non paucos afficiebat, inter quos Petrum à Bardis, Bardumque Freſcobaldum, ex nobilitate ambos. Quod ergo hi natura elatiore animo eſſent, minime ſanè ferendum arbitrabantur, ſeſe extranei injuriis, in paucorum qui præerant gratiam, expoſitos eſſe: qua igitur ratione, tam de Eugubino, quam illis, qui ipſum regebant, vindictam ſumerent deliberare cœperunt, tandemque multis tam Nobilium quam plebis, qui tyrannidem adverſabantur, in ſententiam pertractis, in eos conſpirarunt. *Novæ tur- [illegible]*

Series cœpti hæc erat, ut ſinguli, quotquot poſſent armatos, latebris ædium exciperent, diluculoque ipſo, quod diem omnium Sanctorum conſequeretur, quo nimirum univerſi cives, ad invocandos ſuos demortuos, in templa confluere ſolebant, armati proſilerent, tamque Ducem illum Eugubinum, quam eos, qui ſummam tenebant, interficerent, novisque poſtmodum legibus Rempub. reſtituerent. *Conſpiratio in Reip. principes.* *Cum vero deliberationes periculoſæ, quanto accuratius perpenduntur, eo ſegnius conſtitui ſuſcipiquè ſoleant, evenire ſanè ut plurimum videmus, ut omnes conjurationes, quibus conficien-*

" *dis aliquid ſpatii intercedit, evulgentur.*

Sed ex cunctatione evulgata.

Ergo apud Andream à Baedis, qui ex conjuratorum numero erat, dum rem apud ſe ſedulo verſaret, metus pœnæ, deſiderium vindictæ tanto intervallo poſt ſe reliquit, ut is omnem ſeriem Jacobo Alberti, cognato ſuo, concrederet, à quo res Prioribus detecta, atque ab iſtis ad Duces Reip. delata fuit. Quod igitur diſcrimen inſtaret, feſtusque Sanctorum dies præ foribus eſſet, multi civium ad Palatium confluxère, atque ob periculum, quod in mora eſſet, populum ad arma claſsico vocandum magiſtratum exhortavere.

Gonfalonerii munus id temporis adminiſtrabant Taldus Valorius, & Franciſcus Salviatus, qui itidem ex magiſtratu erat. His conſultum minus videbatur, neceſſitudine ſiquidem Bardis juncti erant, " claſſico rem agere, *non ob omne nimirum momentum ple-* " *bem armandam, authoritatem ſiquidem in multitudinem* " *absque freno collatam, nunquam feliciter adminiſtratam fu-* " *iſſe, & turbas ut parturire quidem perfacile, ita iisdem exci-* " *tatis occurrere, ſummi laboris eſſe.* Conſultius itaque fore veritatem inprimis indagari, atque delictum civiliter puniri, quam ad ſimplicem delationem, cum exitio ipſius urbis, per tumultus illud puniendum ſumere. Verùm his admonitionibus aures præcluſæ, ipſique Reipubl. principes, tam verbis, quam aliis modis contumelioſiſſimis, ad claſſicum pulſandum adacti fuêre, quod quidem plebem univerſam armatam in forum concitavit.

Populum armat.

Bardi verò atque Freſcobaldi, quod ſe detectos animadverterent, ex altera parte, quo vel ſumma cum gloria vincerent, vel absque ignominia occiderent, & ipſi arma corripuère, quod nimirum ſperarent, poſſe à ſe illam civitatis partem, quæ trans flumen ipſis habitabatur, pontibus præſertim mature præoccupatis, eousque defendi, donec auxilia, quæ tam ex agro à nobilibus, quam aliunde exſpectabant, ſubvenirent: verum conatus iſti à plebeis qui unà cum illis eam partem incolebant, atque pro magiſtratu arma ſumpſerant, everſi fuêre.

Ne

Ne itaque medii ab hoſtibus interciperentur, omiſſis pontibus, ad plateam illam, quam Bardi habitabant, tanquam omnium munitiſſimam, ſeſe receperunt, eamque magna animi virtute defenderunt. Et Jacobus quidem Eugubinus, quod omnem iſtum motum ſe ſpectare cognoviſſet, animo cônſternatus, planeque attonitus, ad Palatium Dominorum, medio ſuo agmine incluſus, ſubſiſtebat, in reliquis verò Rectoribus, quod minus culpæ eſſet, plus etiam animi conſpiciebatur. Maffeus inprimis Marradus, qui Poteſtatis munere tum fungebatur, nulla diſcriminis habita ratione, in confertam pugnam profectus, ipſumque Pontem Rubacontem prætergreſsus, mediis Bardorum telis ſeſe inſeruit, ſignoq; dato, ad colloquendum Bardos provocavit. Atq; illi quidem, tam reverenter viri moribus, quam inſigni virtute moti, confeſtim ab armis quievere, ipſumq; perorantem modeſte excepere. Modeſto igitur gravique ſermone, in conſpirationem ipſorum invectus, periculum, inquo niſi populi impetum declinarent verſarentur, ipſis ob oculos poſuit, ſpe inſuper addita, fore, ut ſepoſitis armis tam de cauſa ipſorum cognoſceretur, quam clementer ſtatueretur, ſe denique eo laboraturum pollicitus, ut juſti ipſorum doloris honeſta ratio haberetur. Inde ad magiſtratum regreſſus, hortari cœpit, ne ſanguine civium ſuorum, ad victoriam adſpirare, neve inauditos condemnare mallent, perficitque tandem, ut Bardis, Freſcobaldis, iisq; qui amicitia ipſis juncti eſſent, urbe excedere, atque in arces ſuas ſe recipere permitteretur.

Pugnatur in urbe.

Dirempta pugna Maffei virtute.

Iis itaq; digreſſis, populoq; inermi, magiſtratus in hos ſolos, qui ex Bardorum Freſcobaldorumq; familiarib. arma corripuiſsēt, animadvertit, quo verò iſtorum quoq; potentiā labefactaret, arces Margonam & Verniā, numerato pretio ipſis ademit, legeq; cavit, ne in poſterum civi liceret Florentino, arces ad Vigeſimum prope urbem milliare, poſſidere.

Paucis ab inde menſibus, Stiatta Freſcobaldus, mul-

rique ejus familiæ alii, tanquam rebelles, capite plexi fuêre. Neque ſatis videbatur iis, qui ſummam adminiſtrabant, Bardos Freſcobaldosque viciſſe atque domuiſſe, verum ut *plerumque accidit, ut quo plus authoritatis adipiſcimur, eò inſolentius nos geramus, inque pejus ruamus*; non contenti excubiarum præfecto uno, qui ipſam urbem affligebat, alium inſuper conſtituerunt, qui agro, magno cum imperio, præeſſet, ne nimirum cuiquam qui ipſis adverſaretur, vel intra vel extra urbem, tuto habitare liceret, atque tandem eô odii, adverſus omnes nobilioris familiæ, progreſſi ſunt, ut hi tam de urbe, quam ſeipſis in ſervitutem tradendis, vindictæ ſtudio, cogitarent, ſaltemque occaſionem perpetrandi conſilii operirentur, quam quidem feliciter oblatam, ipſi felicius occupare atq; adminiſtrare adgreſſi ſunt.

...olentia ...vitiorum.

Devenerant eo temporis, poſt maximos in Longobardia atque Tuſcia motus, Lucenſes, ſub imperium Maſtini Scaligeri Veronenſium Ducis, qui eos Florentinis reſtituere, quod ex pacto quidem debebat, neglexerat, ſperabat ſiquidem, quod Parma ipſi præterea ceſſiſſet, poſſe ſe eos defendere de fide exſolvenda parum ſollicitus. Eam rem indignè Florentini ferentes, Venetos in fœdus vocarunt, tamque gravi bello Maſtinum implicuerunt, ut is de univerſo ſtatu periclitaretur. Verum nihil aliud eo bello egerunt, quam quod animo ipſorum, ob damnum Maſtino comparatum, aliquantulum benè eſſet. Veneti ſiquidem, *(quod omnibus iis receptum eſt, qui cum inferiorib. fœdera paciſcuntur)* poſt ereptos Scaligero Veronenſes atq; Tarviſenſes, cum ipſo tranſegerunt.

Maſtinus Scaliger Veronenſium, Lucenſis, Parmenſis Dominus. Impugnant Florentini Venetosque armant. Nullo ſuo bono. Sed cum Maſtini jactura.

Erepta verò poſtmodum à Viſcontiis, Mediolani regulis, Maſtino Parma, ipſoq; eam ob rem, de Lucenſibus in poſterum tuendis dubio, de iis vendendis ipſemet, agere cœpit. Concurrebant in eam emptionem Piſani cum Florentinis, verum illi quod ſe à Florentinis, utpote opulentioribus, poſt ſe relictos iri animadverterêt, vocatis in auxilium, Viſcontii, Lucenſes

A quo tandem Lucenſes Florentinis venditi.

cenſes obſidione preſſerunt. Neq; tamen interim Florentini emptionem negligebant, ſed conſtituto cum Maſtino pretio, partem in parata pecunia ipſi numerarunt, partem obſidib. eam ad rem datis, firmarunt, abq; Naddum Ruccellajum, Joannẽ Bernardini Mediceum, Roſſumq; Ricciardum in poſseſsionem miſerunt, in quorũ manus, poſtquam illi vi ſibi in urbem viam patefeciſſent, Maſtinus imperiũ urbis tanstulit. Piſani tamen ab obſidione non recedebant, ſed potius omni cura, quo urbe potirentur, incumbebant, quam Florentini tuendã ſumſerát, licet hi poſt diuturnũ bellũ, exhauſti opibus, ignominia vero onuſti inde pellerẽtur, atq; Piſanis imperiũ cõcedere adigerẽtur. Hujus urbis, jactura in cauſa fuit, *(quod quidẽ in iſtiusmodi reb. ſemper uſu venire ſolet)* ut populus Florent. in eos, penes quos rei ſumma erat, inſurgeret, eosq; omnib. in locis atq; vicis cõviciis proſcinderet, inq; nimiã ipſorũ authoritatẽ, pravaq; conſilia, acerbe inveheretur.

Sed à Piſanis obſeſſi.

Et tandem ſubacti.

Conſtituti fuerant, ſub exordium hujus belli viginti cives, qui iſtud in commodum publicum adminiſtrarent, atque ab his Malateſta, Arimini Dominus in exercitus Ducem ſcriptus. Quod ergo hic rem animo nec viribus geſſiſſet, auxilia porro à Roberto Neapolitanorum Rege, Duce Gualthero Athenienſium Principe, ſubmiſſa, eo ipſo tẽpore, quo Luccenſes jam Piſanis cõceſſerant, adveniſſent, indeq; animi plebis in viginti illos cives, quod modo diximus, ſummopere exacerbati eſſent, ſeu quod fata calamitati adventanti ſuffragarentur, conſtituerunt viginti iſti, plebis animos, novum Ducẽ eligendo, nova ſpe circumvenire, eaq; electione, aut eorũ libidinẽ cohercere, aut calumniis anſã præcidere: quo igitur eſſet, tã quod plebs timeret, quã quod Duci authoritatẽ, in qua nimirũ ſalus ipſorũ vertebatur, conciliaret, primo ipſum cõſervatorẽ, poſtmodũ Ducẽ cataphractorum ſalutarunt.

Inde Dux Athenienſium à Florentinis vocatus.

Potẽtiores interea, quos male affectos in Rẽp. ſupra memoravimus, quibusq; magnã partẽ cũ Gualthero, ab eo tẽpore, quo Caroli Calabriæ Ducis loco, Remp. adminiſtraverat, familiaritas intercedebat, tempus

adeſſe rati, quo patria cupiditatum ſuarum æſtu conflagraret, *ſiquidem non alia ratione populum iſtum, à quo tot injuriis oppreſſi hactenus fuerant, ſubjugari poſſe conſtituiſſent, quam ſi ſub unius Principis imperium mitterentur, à quo virtuti ſuus honos haberetur, atque contumacia coherceretur*, præterea illecti premiis, quæ ſe conſecuturos ſperabant, ſi ſua opera imperium urbis in hunc conferretur, crebro admodum apud Ducem, ut imperium omne ſibi ſumeret, clam egerunt, ſuamque operam eam ad rem polliciti ſunt minimè contemnendam, quod plebeiorum familiæ quædam, Peruzziorum nimirum, Acciajvoliorum, Antelleſiorũ, & Bonaccorſiorũ ab ipſis penderẽt: hi ſiquidẽ; alieno ære onuſti, quod de ſuo minus poſſent, ex alieno largiri, atq; patriæ ſervitute, ſuam ſervitutem à creditoribus mercari ardebant.

In quem nobiles vindictæ ſtudio imperium urbis transferre moliuntur.

Hi ergo ſtimuli, ambitioſum alioquin Ducis animum, ad deſiderium imperii occupandi, excitarunt: quo igitur ſeveri juſtique nomen, eaq; ratione auram popularẽ venaretur, in eos primum movit, qui Lucenſe bellum perperam adminiſtraſſent, Joannemq; Mediceum, Naddum Ruccellajum, Gulielmumque Altovitium capite, multos præterea alios exilio, alios pecuniâ mulctavit. Atq; ea quidem ſeveritas, mediæ conditionis cives ſummopere exterruit, potentiorib. vero, tum infimæ plebi pergrata erat, his nimirũ, *quod naturale illis ſit alienis malis lætari*, iſtis vero, quod eo pacto, ultionẽ tot injuriarũ, cõſequerẽtur. Audiebat ergo Dux, ſi quando in publicũ prodiret, magnis laudibus, animi ſui celſitudinẽ, manifeſta voce celebrari, tũ ad fraudes civium inveſtigãdas atq; plectendas ſe excitari. Hinc viginti civium authoritas imminutũ ibat, exiſtimatio vero Ducis indies ſurgebat, magnoque jam terrori eſſe cœperat, adeo ut quilibet animo ſuo teſtando, ædibus ſuis inſignia ipſius inſcribi curaret, neque jam quidquam ad Principem, præter nomen, ipſi deeſſet. Poſtquam is ergo quidvis jam ſibi licere animadvertiſset, publice demũ apud magiſtratum egit, non alia ratione civitatem ſalvam magis

eſſe

eſſe poſſe, quàm ſi libera ejus adminiſtratio ſibi ipſi ferretur. Cupere ergo ſe, poſtq̃ omnis já civitas eò deſcẽdiſſet, ut idẽ, bona ipſorũ pace fieri liceret. Attoniti ad hæc Reip. principes, licet interitum Reip. mature prævidiſſent, ſeque in manifeſto periculo conſtitutos eſſe animadverterent, ne tamen patriæ deeſſent, ingenti animo id ſe facturos negarunt.

Sumpſerat ſibi Dux monaſterium fratrum minorum S. Crucis habitandum, quo religionis atque humanitatis fidem, apud plebem mereretur, eò igitur, per præconem, populum in proximum diem convocavit. perculit hoc edictum primorum animos multo gravius, quam antea petitione Ducis conſternati fuiſſent: convocatis tamen civibus, quos patriæ libertatisque ſtudioſos arbitrarentur, nihilque aliud ſpei quam in precibus ſupereſſe animadvertentes, eò confugere, eaque ratione, vel Ducis animum ab incepto removere, aut ſaltem mitius imperium ab eo exorare decreverunt.

Progreſſi igitur ex Reip. principibus ad Ducem aliqui, hac oratione eum compellavere. Comparemus Domine apud te, tam petitione tua moti, quam edicto quo populum convocaſti. Videmur ſiquidem jam certiores eſſe, extra ordinem te occupare velle, quod legitima via à nobis tibi negatum fuit. Neque ſane mens nobis eſt, ulla vi cœptis tuis obſiſtere, ſed potius tibi ob oculos ponere, quam grave onus, quod in te recipere cupis & quam periculoſi conatus iſti tibi futuri ſint, quo nimirum in poſterũ conſiliorum tam noſtrorum, quam eorum, qui non in tui commodum, ſed ad explendam inſaniam ſuam, te impellunt, recordari queas. Conaris in ſervitutem adigere eam civitatem, quæ libertati innata eſt, iſtud etenim imperium, quod in Reges Neapolitanos aliquando contulimus, non ſervitus, ſed ſocietas erat: an vero unquam *conſideraſti, quantum in iſtiusmodi civitate vel ipſum nomen libertatis poſſit atque valeat? quod quidem nec vis ulla opprimere, nec tempus conſumere, nec beneficia unquam obliterare queant.* Perpendas obſecra-

Precibus ſervitutem amovere Florentini conantur.

mur Domine, quantis cum copiis, tanta urbs, tibi ſub jugo continenda veniat, neque etenim illæ, quas externas ad manum habere poſſis, eò ſuffecerint, nec illis quas, ex civibus habes, te tuto committere auſis, ii ſiquidem ipſi, qui ad hoc conatus te inſtigant, tibiq; modo amici ſunt, poſtquam authoritate tua, de inimicis ſuis, ſatis ſupplicii ſibi ſumptum arbitrati fuerint, in tuum exitium inſurgent, quo Principatum in ſemet ipſos transferant. Plebis animos, quibus tamen inniteris, ad quodvis momentum aura leviores eſſe noſti, adeo ut tibi metuendum ſit, ne brevi tẽpore, univerſam hanc urbem, tibi inimicã experiare, unde tam ipſi quam tibi exitium maturetur. Neq; tamen iſtiusmodi malis ulla induſtria obviã ire queas. ſoli etenim Principũ ii, ſecuritati ſuæ proſpicere poſſunt, quibus pauci infeſti ſunt, quo proclive ipſis ſit tales vel morte vel exilio evertere, univerſali vero odio nusquam proſpicitur, ſiquidem neſcias, qua ex parte periculum emerſurum fuerit, *qui vero à ſingulis ſibi metuit, cui usquam fidat non habet*, aut ſi id apud quosdam conẽre, eo magis periclitabere, cum ii, quos præterieris, eo plus te oderint, atque ad vindictam accendantur. Quod vero temporis progreſſu, deſiderium libertatis minime obliteretur, id porro hinc manifeſto liquet, quod nimirum ſæpiſſime uſu venire cernimus, ut hi pro ea recuperanda deſudent, qui ejus dulcedinem nunquam deguſtarunt, ſed ejus ſaltem mentionem, ab avis acceptam, venerantur, proque ea recuperata, ſumma obſtinatione per extrema diſcrimina pugnare ſolent. Quod ſi etiam à patribus ejus mentio fore negligatur, ſunt tamen ædificia publica, Rectorum domicilia, vexilla denique liberorum ordinum, quæ illam loquantur atque ingeminent, ut tandem fieri nequeat, quin illa avidiſſimis auribus à civibus hauriantur. Quæ obſecro benefacta tua, unquam dulcedinem libertatis æquiparare? quæ porro ejus deſiderium hominibus excutere poſſe cenſeas? non ſi univerſam Tuſciam huic imperio ſubjicias, atq; indies novis victoriis

ctoriis ovans hanc urbem ingrediare: ſiquidem omnis iſta gloria, in te potius, quam in illam redundaret, neque civibus ſubditi, ſed conſervi adquirerentur, quorum interventu, ſervitus ipſis eo gravior futura eſſet. Licet etiam mores tui omnino ſancti, actiones benignæ, judicia æquiſſima fuerint, ea tamen omnia, ad amorem tibi conciliandum, minime ſatisfacient, atque peccabis quidem, ſi eas dotes id præſtare poſſe confidas, ſiquidem *libertati aſſueto, omne vinculum oneri, & quævis adſtrictio gravis eſſe ſolet*, præter quod fieri etiam nequeat, ut imperium violentum, in bonum Principem cadat, ſiquidem neceſſe ſit, ut vel quadam ſimilitudine invicem jungantur, vel alterum alteri exitioſum ſit. Perſuaſiſſimum igitur tibi habeas, aut urbem hanc ſumma cum violentia tibi obtinendam, cui quidem rei aliquando nec propugnacula, nec præſidia, nec amici externi ſufficiunt, aut authoritati tibi adquieſcendum fore, quam nos in te hactenus lubenti animo contulimus: quod ut facias te hortamur, utq; memineris ſedulo, *imperium iſtud ſolum eſſe ſolidum, quod voluntarium eſt*, neque paucula ambitione excæcatus adducaris, ut eò te propellas, ubi neque conſiſtendi, neque etiam altius conſcendendi locus, ſed nihil ſuperſit, quam ut tuo, noſtroque maximo cum damno, inde tandem præcipitère. *Sed fruſtra.*

Nihil quidquam oratio hæc animum Ducis obduratum commovit, id ſolum reſpondit, Non eſſe animi ſui libertatem urbi eripere, ſed potius eam in libertatem vendicare, cum conſtet *ſolas diſcordes civitates ſervas, concordes vero liberas eſſe*: quod ſi ergo Florentini, ſuo interventu, à tot partium ſtudiis, ambitione, & inimicitiis liberarentur, non ademptam eo pacto, ſed reſtitutam ipſis libertatem fore, neque ſe ad id oneris ſuſcipiendum ambitione, ſed multorum civium precibus ferri, recte igitur & ipſos facturos, ſi iis aquieſcant, quæ reliquis civibus placere animadverterint. Pericula porro illa, quæ modo in medium attuliſſent, ſe non magni æſtimare,

æſtimare, *eſſe* ſiquidem *Viri minus boni ob metum mali, bonum omittere,* atque puſillanimitatis, ob exitum hactenus dubium, conatum laude atque gloria dignum negligere. Tandem ſperare, ita Remp. ſe adminiſtraturum, ut non multo poſt re ipſa experturi ſint, & minus ipſos de ſe ſperaſſe, & nimium quoque ſibi ipſis timuiſſe.

Occupati tandem à Duce Athē. Placuit ergo optimatibus (cum aliud non poſſent) ut poſtridie populus in foro adeſſet, atque ejus authoritate, imperium urbis in Ducem iisdem conditionibus, quibus antea Carolus Calabriæ Dux eam obtinuerat, in annum unum conferretur.

Agebatur tum annus MCCCXLII. octavusq; erat Septembris dies, quo Dux, Joanne de la Toſa atque omnibus, qui huic adhærebant, multisque aliis civibus ſtipatus, in foro comparuit, conſcenſisque unà cum Reip. principibus ſcalis, quæ ad imum Palatii extructæ, Ringhieræ nominantur, pactis conventis, in populum promulgandis, interfuit.

Cum ergo ad eam pactorum partem, quæ annuam dictaturam in ipſum conferebat, deventum eſſet, populus ut ea in omnem vitam ipſi deferretur, ſummis clamoribus petiit. Nec mota plebs Franciſci Ruſticelli, qui ex optimatibus erat, exhortatione, clamoribus interrupta, ut imperium non annum, ſed perpetuum eſſet, inſtitit, idque tandem obtinuit, inde ſublimem Ducem arreptum, humerisque geſtatum per urbem tulere, ipſique fauſta omnia acclamavere.

Moris erat Florentinis, ut is, cui Palatii cuſtodia commiſſa eſſet, forâs egreſſo magiſtratu, obſeratis foribus ſeſe intus contineret: cui officio, tum temporis, Reinerius Giottus præfectus erat: atque hic quidem corruptus ab iis, qui Duci favebant, illi fores confeſtim patefecit, ut optimatibus eo facinore conſternatis, atque pudefactis, ad ſua divertendum fuerit. Palatium familiaribus Ducis prædæ expoſi-

Mox Tiranno. tum vexillum publicum laceratum, atque Ducis inſignia, in ejus locum, affixa fuere: quod quidem viris bonis ſummo dolori, iis vero, qui vel malitia vel ignorantia

rantia eò conſentiebant,incredibili gaudio fuit.

Poſtquam igitur Dux imperium omne adeptus eſſet, confeſtim authoritati eorum, qui libertatem propugnabant, ſubvertendæ edixit, ne magiſtratus deinceps in Palatium conveniret, ſed ædibus privatis res ageret: præterea tribuum Duces ſubmovit, ordinem juſtitiæ contra potentiores obliteravit, captivos omnes libertate donavit, Bardos Freſcobaldosque ab exilio revocavit, tandem arma geſtare in univerſum prohibuit. Ac quo ab iis, qui in urbe erant, tutior eſſet, cum iis, qui extra circum eam agebant, amicitiam inivit: per Bonifacium Aretinos, omnesque qui Florentinis parebant, bello adgreſſus eſt, cum Piſanis licet ideo vocatus, ut iis bellum inferret, pacem pepigit, mercatoribus, qui Lucenſis belli tempore, Rempub. pecunia juverant, ſyngrapha tabulasque eripuit, vectigalia priſtina auxit, aliaque inſuper excogitavit, magiſtratum omni authoritate ſpoliavit, ad eas res omnes conſilio uſus Baglionis Peruſini, Gulielmi à Sceſi, atque Cerettieri Biſdomini. *In quo omnium ingenium depictum.*

Exactiones quibus cives premebat, omnino acerbæ, decretaque injuſta erant, adeo ut ſeveritas illa atque humanitas, quam antea præ ſe tuliſſet, jam in ſuperbiam atque crudelitatem abiiſſet, multique civium, tam ex optimatibus, quam nobilibus, plebeque indies condemnarentur, extinguerentur, atque novo tormentorum genere excarnificarentur. Ne vero ager ab ipſius tyrannide immunis eſſet, ſex rectores conſtituit, qui ſubditos tam verberibus mulctabant, quam eos ſpoliabant. Optimates ipſi ſuſpecti erant, licet ab hís eā dignitatem adeptus fuiſſet, ipſeque eorum non paucis patriam reſtituiſſet, *in animum ſiquidē inducere non poterat, generoſos animos, quos nobilitati ingenitos animadvertimus, imperium ferre poſſe.* eam ob rē plebem ſuam facere ſtuduit, ut pote cujus ope, exteroque milite, tyrannidem conſervari poſſe ſperaret. Quo igitur multitudinis ſtudium venaretur, menſe Majo, qui recreationibus vacare ſolet, minutam *Miſerrima Florentinorum conditione.*

tam

tam plebem in claſſes diviſit, ſplendidisque ornatos titulis, additis præterea vexillis, pecunia donatas dimiſit: atque earũ, quidem claſſium aliæ per urbem laſciviendo atque ludendo agebant, aliæ his feſtive excipiendis vacabant.

Cum ergo, novum hujus imperium, etiam alibi percrebuiſſet, multi Gallorum ad ipſum undique confluebant, quibus tanquam fidis magis munia atque officia omnia patebant, adeo ut Florentia, breviſſimo tempore, non modo Gallis pareret, ſed etiam in eorum mores atque habitum concederet. ſiquidem non tam viri quam fœminæ, nulla civilitatis aut verecundiæ habita ratione, ipſos imitabantur. Omnium vero mxaime gravis erat vis, qua tam à Duce, quam ipſius miniſtris, fœminæ ad ſtupra rapiebantur.

Florentini Gallorum moribus imbuuntur.

Plerique ergo civium irarum pleni, majeſtatem Reip. extinctam, juſtitiam afflictam, leges profligatas, honeſtum vivendi modum corruptum, omnemque modeſtiam ſepultam lamentabantur, ii ſiquidem quibus inſuetum erat quidquam regalis faſtus cernere, non absque ingenti animi mœrore, homine in tanto ſatellitio, tam peditum quam equitum ſtipatum, conſpicere poterant: nam tam profligatæ verecundiæ ſibimet conſcii, eum ipſum, quem tanto odio proſequebantur, ſummo in honore habere neceſſitate adigebantur. Quæ omnia metu inſuper cumulabantur, cum tanta interfectorum ſtrage, atque continuis exactionibus, civitatem omnem exhauriri, indies animadverterent.

Quæ quidem irarum timorisque ſemina, Ducem nec latebant, necnon angebant, licet credi cuperet, ab omnibus ſe armari ſibi perquam perſuaſiſſimum eſſe: unde etiam factum eſt, ut Mattheum Morozzium, qui vel præmii ſtudio, vel periculo motus, familiam Mediceorum, cum aliis, qui in ipſum conjuraverant, detuliſſet, nõ modo ſæviſſimo genere necaret, verum etiam rem ipſam inveſtigare negligeret: qua quidem ratione, tam iſtis animum præripuit, qui

qui ipſius ſalutem curabant, quam his tantundem addidit, qui exitium ipſi maturatum cuperent. Bettonio præterea Cinio, tanta immanitate linguam præcidi imperavit, quod is nimirũ, in exactiones intolleràdas liberius invectus eſſet, ut ille inter cruciatus exanimis cõfeſtim concideret Quæ quidẽ res tã irã civium, quam odium in Ducem exacerbavit, ea ſiquidẽ urbs, quæ omnia libere, tam agere quam loqui conſueviſſet, ferre minime poterat, ut & manuum & linguæ munera ſibi præſtringerentur.

Fô igitur tandem iræ odiaque excrevere, ut ea non modo Florentinos, qui neque libertatem tueri, neque ſervitutem ferre norunt, ſed populum quemvis, omni mancipio abjectiorem, ad recuperandam libertatem inflammare potis fuerint. Multi ergo civium omnis ordinis, aut de vita periclitari, aut libertatem recuperare ardebant, unde tres conjurationes, trium ordinum, nobilium nimirum, populi, atq; artificum, originem traxere, qui præter cauſas univerſales, etiam eô ferebantur, quod nobilibus doleret, ſe gubernacula Reip. non recuperaſſe, populo vero, ſe iiſdem excidiſſe, artificibus tandem, ſe mercede lucroque ſuo fruſtratos eſſe. *Conſpiratio in eundem.*

Epiſcopatũ id temporis gerebat Agnolus Acciaivolus, qui quidem hactenus Ducis res geſtas pro concione laudibus extulerat, magnumque, ad auram popularem adipiſcendam, Duci momentum fuerat. Poſtquam vero eum imperium occupaſſe, atque Tyrannidem exercere animadvertiſſet, patriam ſuam à ſe miſere deceptam arbitratus, non alia ratione admiſſum facinus piari poſſe conſtituit, quã ſi ab eadẽ manu, quæ vulnus inflixiſſet, remediũ proficiſceretur, eam ob rem primariæ cõſpirationis ſociis ſe Ducẽ exhibuit, quæ quidẽ omniũ robuſtiſſima erat, ut quæ Bardos, Roſſos, Freſcobaldos, Scalas, Altovitios, Magallotios, & Mancinios. cõpræhẽderet. Secundæ cõſpirationis caput erãt Mãnus, Corſusq; Donati, quibus juncti erant Pazzii, Cavicciulli, Cerchii, & Albizii. Tertiã Anto. Adimarius animabat, *Cuius dux urbis Epiſcopus.*

com-

complectebaturque ea præterea Mediceos, Bordinios, Rucellajos, Aldobrandinos.

Atque conſtituerant hi quidem illum in ædibus Albiziorum opprimere, quo ad diem Joanni ſacrum venturum, equorum cetamine recrearetur, arbitrabantur, verum quod eo concedere neglexiſſet, conatus iſte in fumum abiit. Deliberatum præterea fuerat, in ipſum, per urbem animi gratia vehentem irruere, verum id plenum difficultatis animadvertebát, quod nimirum & armatus & bene ſtipatus incedere, tum non ſemper eadem via pergere conſueverat, adeo ut incertum eſſet, quonam loco potiſſimum exſpectandus veniret. Non defuere, qui illum in ipſa cõſiliariorum corona, opprimẽdum ſuaderent, quod tamen & ipſum, mortui ſiquidem umbram ibi metuebant, evanuit.

Hæc dum inter conjuratos agerentur, Antonius Adimarius, cum quibusdam Senenſibus, quod copias ab illis exſpectaret, ea de re fidentibus contulit, multosque ex conjuratis nominavit, omnem civitatem libertatem vendicaturam affirmando. Horum ergo unus, eodem de negotio apud Franciſcum Brunelleſchium egit, non quo id quidem proderet, ſed quod illum ex conjuratis eſſe arbitraretur. Hic omnem rem, ſeu metu perculſus, ſeu in aliorum odium, ad Ducem detulit. Capti ergo confeſtim Paulus à Mazecha, Simonque de Montezappoli, atque cuſtodiæ traditi, conjuratorum potentiam atque numerum Duci patefecêre, eumque non mediocriter conſternavêre, conſilio interim addito, ut eos ad ſe vocare potius, quam cõpræhendere mallet, in fugitivos ſiquidem paratum remedium proſcriptionis fore. Conſilium iſtud ſecutus Dux, Antonium Adimarium vocari juſſit, atque is quidem, conjuratorum numero fretus, confeſtim præſto fuit. Hoc arctius detento, Franciſcus Brunelleſchius, & Huguccio Buondelmontius ipſi ſuaſere, ut armatus in urbem excurreret, captivosque

Duci quidem detecta

vita

vita ſpoliaret, quod tamen ipſi minus conſultum videbatur, cum tot inimicis ſe hactenus imparem arbitraretur. Aliò itaque animum advortit, quo quidem medio, ſi id ex ſententia ceſſiſſet, tam de inimicis ſibi cautum, quam de viribus proſpectum foret.

Receptum Duci erat cives convocare, ſi quando ipſorum conſilio uti ipſi libuiſſet. Hac igitur via inſiſtens, dum foris auxilia conſcriberet, trecentos civium per lictores, tanquam in conſilium convocatos, preſtò eſſe juſſit, quo compræhenſi nimirum vel morte vel carcere exſtinguerentur. Verùm vincula Antonii Adimarii, tum auxilia conſcripta, (neque etenim id clam haberi potuit) conjuratis ſcrupulum injecerant, adeo ut audaciores eorum comparere recuſarent: nomen ſiquidem quisque tam ſuum, quam conjuratorum, ea in conſignatione, quæ à Duce lictoribus tradita fuerat, facile depræhendebat, unde alii aliis animum addentes, armata manu potius viriliter mortem oppetere, quam vitulorum inſtar, ſeſe jugulandos præbere decreverunt, adeo, ut exiguo momento, tres conjuratorum claſſes, ſibi invicem innoteſcerent, atque conſtituerent, poſtero diluculo, id erat XXVI. Julii die, anni MCCCXLIII, tumultu in foro veteri excitato, arma corripere, populumq; ad libertatem vocare. *Sed dum ob viam iret,* *Confirmata,*

Cum ergo poſtridie Nona audita eſſet, ex præſcripto conjurati armati proſiliêre, populusque omnis, audito libertatis nomine, ad arma convolavere, inq; loca munitiora hinc inde, ſub populi inſignibus, à conjuratis clam comparatis, ſeſe recepere. Primarii præterea, omnium tam nobilium, quam plebeiarum familiarum convenere, inq; mutuam defenſionem mortemq; Ducis juravêre, aliquibus Buondelmontiorum & Cavalcantiorum, tum iis quatuor ex populo familiis exceptis, quarū adminiculo tyrannidem Dux arripuerat, hi ſiquidem cum laniis, aliisq; infimæ fecis hominibus, armati in foro pro Duce ſtabant. *Armataq; in ipſum universa urbs.*

Ad hunc motum Dux Palatium munire, ipſiusque ſatellitium, hinc inde per urbem diſperſum, ſeſe armare, atque equis inſiliendo, verſus forum recipere cœpit, quorum tamen major pars, antequam eousque perrumperet, oppreſſa fuit, licet trecenti circiter equites eò penetraſſent. Interim animo pendebat Dux, num in hoſtes eruptionem facere, an Palatium tueri conſultius foret.

Contra vero Medicei, Cavicciulli, Ruccellai, tum reliquæ familiæ, in quas plus injuriarum ab ipſo profectum fuerat, idipſum ne erumperet, eaque ratione multos, qui arma in ipſum ſumſerant, ad ſe pelliceret, metuebant, quo igitur eam occaſionem ipſi præriperent, in forum ipſum irrumpere decreverunt. Atque hi quidem vix ad forum conſpiciebantur cum quatuor illæ ex populo familiæ, quæ à Ducis partibus ſtabant, poſtquam in ſe irruptionem paratam animadvertiſſent, mutataDucis fortuna etiam ipſæ animum mutarent, atq; in conjuratorũ partes concederent omnes, Huguccione Buondelmontio, atq; Gianoccio Cavalcantio exceptis; atq; ille quidem in Palatium ſe recipere maluit, hic verò ad forum novum, cum aliquot ſociis progreſſus, ſcamnum conſcendit, indeque populum, qui ad Palatium pergebat precibus exhortari cœpit, ut pro Duce pugnare mallent, minis inſuper additis, fore ut ſi in Ducem pugnare pergerent, ab ipſius milite, cujus copiam mire extollebat, ad unum omnes opprimerentur: verum quod ſurdis fabulam ſe narrare, neminemque in partes ſuas concedere animadverteret, neque etiam exiſteret, qui inſolentiam iſtiusmodi reprimeret, ne porro fortunam cum diſcrimine fruſtra experiretur, tandem in ædes ſuas ſe recepit. In foro interea ſtrenue pugnabatur, licet verò Ducis militibus, Palatium, ad tutelam magno momento eſſet, tamen poſt aliquam in foro dimicationem victi, eorum alii ſeſe hoſtibus commisêre, alii relictis equis in Palatium confugêre.

Dum

Dum hæc ad Palatium agebantur, Corſus Americusque Donati aliqua populi parte ſtipati, publicos carceres effregerent, publica præterea inſtrumenta concremaverant, Rectorum etiam ædes prædæ expoſuerunt, miniſtrosque Ducis omnes, quotquot in manus ipſorum devenere, trucidaverant.

Poſtquam igitur Dux ſe foro pulſum, omnemque civitatem in ſe armatam, neque quidquam auxilii ſibi jam ſupereſſe cerneret, alia porro via populum demulcere adgreſſus eſt. Vocatis igitur ad ſe omnibus, quos in vinculis habebat, eos blande benignoque ſermone libertati reſtituit, Antonium inprimis Adimarium (licet contra ejus voluntatem) equeſtri dignitati ornavit, inſignia ſua à Palatio removeri, inque vicem populi monumenta reponi juſsit. quæ quidem conſilia, quod nimis ſero, & præter occaſionem (extorta ſiquidem ipſi erant) amplexus eſſet, parum ipſi profuere. In palatio igitur ea ratione obſeſſus, anxie degebat, atque tum demum experiebatur, quod dum nimia complecti conatus eſſet, omnibus excidiſſet, intraque paucos dies, aut fame aut gladio pereundum ſibi eſſe metuebat. *Obſeſſus in palatio.*

At cives, quo Reipub. proſpicerent, ad fanum S. Reparatæ congregati, in quatuordecim cives, partim nobiles, partim ex populo, omnem authoritatem, unâ cum Epiſcopo, reip. reſtituendæ contulerunt: Sex præterea cives conſtituêre, qui id officii, quod Poteſtatis vocant, tantisper adminiſtrarent donec is, quem muneri deſtinaverant adveniret.

Florentino interea populo undique auxilia adventabant, interque ea Senenſes cum VI. legatis comparuerant, quibus, apud ſuos magnæ authoritatis viris, viſum fuit, compoſitionem aliquam inter populum Ducemq; tentare: verum populus nullam prius compoſitionis mentionem fieri paſſus fuit, quã à Duce Gulielmus Sceſius, unà cum filio, Cerrettieroq; Pisdomino arbitrio ipſorũ cõmitterentur. Licet verò Dux eo deſcẽdere recuſaret, perterritus tamen

eorum minis, qui pro ipſo pugnabant, coactus „ paruit. *Dubitari ſanè nequit, indignationem magis „ efferveſcere, iſtusque longe vehementiores concitari, cum „ pro recuperanda libertate, quam pro ea defendenda agitur.* Id etiam hic conſpicere licuit, Gulielmus ſiquidem unà cum filio, vix duodeviginti annos egreſſo, tot millibus inimicorum expoſitus, neque in hujus juventute, neque forma, neque innocentia quidquam præſidii conſiſtere expertus, multitudinis furorem declinare non potuit, adeo ut eorum gladiis, qui vivos contingere non poterant, in mortuos ſævirent, nec ferro eos laniaſse contenti, manibus, dentibusque in fruſta dilacerarent, imò, quo omnibus ſenſibus vindicta ſatisfacerent, poſtquam auribus lamentationes eorum hauſiſſent, oculis vulnera perluſtraſſent, dilaniata viſcera manibus contrectaſſent, etiam guſtum iis recreari voluerunt, quo nimirum membris exterioribus, jam ad ſatietatem usque curatis, etiam internæ pari ſatietate potirentur. Atque hæc quidem immanitas atque rabies, quo plus in hos deſæviit ambos, eò Domino Ceretierio magis profuit. Laſſata etenim & exſatiata plebs crudeli iſto facinore, hujus viri oblita, Palatio illum excludi non inſtitit, unde noctu poſtmodum ab amicis clam eductus, inque tutum conſtitutus fuit.

Amicos furori plebis exponere cogitur miſere dilaniatos.

Sanguine igitur iſtorum expleta plebs, cum Duce tranſegit, excederet nimirum, amicis rebusque omnibus ſalvis, Florentia, rationibus omnibus renuntiaret, idque poſtquam fines Florentinorum egreſſus foret, apud Caſentinos denuo confirmaret. His ita firmatis, Dux VI. Auguſti Florentiam reliquit, multisque civibus cum comitantibus, apud Caſentinos renuntiationi, licet invitus, ſubſcripſit, neque fortaſſe fidem ſervaſſet, niſi verbis Simonis Comitis exterritus, qui Florentiam ipſum reductum alioquin iri minitabatur.

Compoſitione urbem deſerit.

Fuit

Fuit Dux iſte (quod ipſius actiones demonſtrarunt) avarus atque crudelis, acceſſu difficilis, reſpondendo ſuperbus, ſervitutem nimirum, non benevolentiam hominum deſiderabat, timeri quam amari malebat. Neque aſpectus ipſi animos conciliare potior erat, niger ſiquidem, parvus, promiſſa raraque barba, vel inde odium in ſe provocabat: quo tandem factum eſt, ut ſpatio decem menſium, pravi hominis mores, imperium iſtud ipſi adimerent, quod perverſæ aliorum machinationes, in ipſum contulerant. Atque hic quidem ſucceſſus in ipſa urbe, omnibus civitatibus, qui Florentinis parebant, animum addidit, ut in libertatem ſemetipſas vendicarent, adeo ut Aretini, Caſtilionenſes, Piſtorienſes, Volaterrani, collisque S. Geminiani ab ipſis deficerent, Florentiniq; uno eodemq; tempore, tam Tyrannum, quam omnem ditionem amitterent, ſuisque ipſimet ſubditis viam monſtrarent qua ratione etiam ipſis libertas recuperari poſſet.

Eius ingenium.

Florentini omni ditione exciduntur.

Poſt Ducem igitur exturbatum, ditionemque amiſſam, quatuordecim civibus unà cum Epiſcopo, viſum fuit, ſubditorum animos, pacis interventu potius placandos, quam aperto Marte provocandos fore, perſuadendumque Florentinos ipſorum libertate recuperata, non minus ac propria lætari. Oratoribus eam ob rem Aretium ablegatis, omni imperio, quod in Aretinos haberent, ceſſerunt, fœdusque cum ipſis pepigerunt, quo ipſis in poſterum ut amicis, quando ut ſubditis minus licebat, uterentur. Cum reliquis etiam municipiis, qua melius ratione poterant, tranſegerunt, eò ſaltem intenti, ut in amicitia perſiſterent, liberique ad ipſorum libertatem tuendam adminiculo eſſent.

Sed aſtuto conſilio prodiem recuperant.

Atque hoc quidem prudentiſſimum conſilium, felicem exitum peperit. Aretini ſiquidem paucis ab inde armis, ſub Florentinorum imperium rediere, reliquæ verò urbes, paucorum menſium ſpatio, priſtinos dominos repetivere. *Hinc vero manifeſtum fit, non raro evenire, ut citius minore cum diſcrimine jacturaque deflectendo & fugiendo res adipi-*

ſcare, quam ſi vi atque obſtinatius eas perſequare. Rebus ergo extra urbem hac ratione compoſitis, ad reſtituendam ipſam urbem animum advorterunt, tandemque, poſt quasdam altercationes, conſenſerunt, ut in Repub. adminiſtranda, nobilibus tertia pars, in reliquis verò muneribus, dimidia pateret.

Remq́pub. reſtituunt.

Erat antea, quod ſupra monuimus, urbis adminiſtratio in ſex claſſes diſtincta, inque ſingulas ſex claſſes, ſinguli Principes legebantur, præter quod aliquoties ex re nata, horum numerus ad duodecim, vel etiam tredecemviros, excreſceret, mox tamen ad ſex iterum reduceretur. Hanc igitur adminiſtrationis partem reformandam duxerunt, tam quod ſex illæ claſſes, male diſtribui ſolitæ, quam quod numerus Principum, ob nobiles qui eò recipiebantur, augendus eſſet.

Nova firmaque ratione.

Eam ob rem urbem in quatuor claſſes tribuerunt, quartæque cuique parti, tres Principes præfecerunt, præterito Gonfaloſcrio, hoc eſt ſignifero, quem juſtitiæ vocabant, tum etiam iis qui populi claſſibus præfecti fuerant, inque vicem duodecim eorum, quos Bonos homines vocaverant, octo Conſiliarios, mediam partem ex nobilibus, legerunt. Rebus ſic compoſitis à turbis tandem urbi quieſcere licuiſſet, ſi nobilibus intra modeſtiæ terminos, quos vitam civilem requirere conſtat, ſeſe continere integrum fuiſſet: Verùm ſecus accidit, ſiquidem tam in privatis negotiis parem non ferre, quam in publicis imperare cupiebant, adeo ut indies nova, eorum inſolentiæ atque ſuperbiæ, exempla emergerent. Quod quidem populi animos abalienavit, querentium, unius tyranni extincti loco, mille enatos eſſe. Inde ergo inſolentia, hinc verò odium mox eousque excrevit, ut tandem Duces populi, ad Epiſcopum, ea de re conqueſtum confugerent, nobiliumq; non tolerandis injuriis obviam ire exhortarentur, ageret nimirũ cum nobilibus, ut muneribus cæteris contenti, Rempub.

Niſi à nobilibus turbata.

populo

populo adminiſtrandam concederent.

Erat Epiſcopus natura bonus, verum modo hâc modo illâc flecti facilis, unde etiam factum eſt, ut precibus atque ſuaſu quorundam motus, Ducem Athenienſium primo foveret, poſtmodum aliorum ductu, in eundem conſpiraret: hinc etiam primò nobilibus, ad adipiſcendos honores adfuit, mox aliorum monitu, populi partes tuendas eſſe conſtituit: paremque inconſtantiam reliquis ineſſe arbitratus, quæ ſibi familiaris erat, rem non difficulter componi poſſe, ſibi perſuaderi facile paſſus fuit. Convocatis igitur quatuordecimviris, quibus authoritas hactenus ſalva permanſerat, rationibus, quas promere poterat, melioribus, eos exhortari cœpit, ut Rempub. populo adminiſtrandam cederent, niſi exitium tam urbis, quam ſuiipſorum experiri mallent. Non mediocriter ergo conatus iſti nobilium animos offendere, Rudolfus quidē Bardius, verbis vehementiorib. id coràm teſtatus fluxam Epiſcopo fidem, Ducisq; amicitiam ut levi, tum ejus exturbationē ut proditori objecit, aſſerens eas dignitates, quas tanto cum diſcrimine adepti eſſent, pari cum periculo tueri ſe decreviſſe: relictoq; Epiſcopo, rem ad ſuos, omnesq; reliquas familias nobiliū detulit, idem etiam apud populū factum. *Epiſcopi monitu nihil mutatis.*

Dum igitur nobiles, ſuarum partium authoritati defendendæ, ſeſe accingerent, populus paratam defenſionem operiendam minimè arbitratus, arma confeſtim corripuit, citatoq; ad Palatium greſſu ſublatis clamoribus, nobiles ab adminiſtranda Repub. diſcedere poſtulavit. Seditio, motusq; paulatim invaleſcebat, iiq; nobilium, qui Reipub. præerant, ſe deſertos eſſe facile animadvertebāt, neq; etenim reliqui nobilium, quod omnē populum concitatum armatumq; conſpicerent, arma & ipſi arripere audebant, ſed intra ædes quiq; ſuas ſeſe cōtinebant. Hi ergo qui ex populo Reipub. præerant, primo perſuaſione rem adgreſſi, populi motum componere conati ſunt, collegisque modeſtiæ & integritatis teſtimo- *Seditione tandem omni adminiſtratione excluſi.*

nium exhibuerunt, cum verò ſe nihil agere animadverterent, ut hi ſeſe in ædes ſuas reciperent egerent, quò tandem illi vix ſalvi evaſere.

Nobilibus ea ratione vix digreſsis, quatuor reliqui Conſiliariorum ex nobilitate & ipſi officiis ſubmoti, isque ordo ex duodecim popularibus reſtitutus, tum Gonfalonerius, quem vocant Juſticiæ, revocatus ſedecim præterea vexilliferi, eodem Gonfalonerii nomine, totidem populi claſſibus iterum præfecti, omnisque adminiſtratio in univerſum in populi manus conſtituta fuit.

Novi ad tyrannidem motus Andrea Strozzio authore.

Laborabat urbs eo, quo hæc gerebantur tempore, penuria rerum, famesque plebem non mediocriter premebat, male igitur tam plebi hinc, quam inde nobilibus, quod dignitatibus excidiſſent erat. Hinc Dominus Andreas Strozzius in animum induxit, poſſe nimirum hac occaſione libertatem urbis occupari. Quo igitur id cōmodum conaretur, æquiore pretio annona expoſita, multos civium indies ad ædes ſuas ipſum præſtolari dum conſpiceret, quodam mane equum inſiliens magno animo populum ad arma excitavit, eaque ratione aliquot equitibus ipſum comitantibus, ad quatuor hominum millia, exiguo temporis ſpatio, collegit, quibus ſtipatus, in Palatium ſeſe intromititi petiit. Reip. vero principes, tam minis quam telis ex foro turbam illam exturbarunt, poſtmodum proſcriptionibus facile effecerunt, ut ea paulatim evaneſceret, inq; ædes quisque ſuas ſeſe reciperet, adeo ut Strozzius, ab omnibus derelictus, vix fuga magiſtratus vindictam declinaret.

In ipſo exordio oppreſſi.

Cuius veſtigia nobiles ſequuntur.

Hic auſus, quamtumvis temerarius, eòque fine, quo ejusmodi conatus utplurimum comitari ſolet, inſignis, in ſpem tamen erexit nobiles, quod plebem infimam à populo diſſidere cernerent, poſſe magiſtratum illum popularem opprimi; ne quidem igitur ſibi ipſis deeſſent, omnis generis auxiliis ſeſe munire decreverunt, quo nimirum armata manu, æquiore jure id recuperarent, quod armatâ itidem manu,

præter

præter ius faſque ipſis ereptum fuerat, eoque audaciæ tandem proruperunt, ut jam non occulte ſed palam arma compararunt, ædes ſuas munirent, atque ex ipſa Longobardia ab amicis auxilia conſcriberent.

Nec populus adjuvante magiſtratu ſegnior, de auxiliis à Senenſibus & Peruſinis ſimiliter comparandis, ſibi deeſſe voluit. Et jam utriſque auxilia comparuerant, omniſque civitas armata conſpiciebatur. Atque nobiles quidem cis Arnum diviſis in tres partes copiis, tribus in locis, ad ædes nimirum Cavicciullorum, quæ S. Joannis fanum contingebant, tum ad ædes Pazziorum atque Donatorum, prope S. Petrum majorem, tandem ad ædes Cavalcantiorum in foro novo, ſeſe muniverant. Illi vero, qui trans Arnum habitabant, pontes viaſque, quæ ad ipſorum ædes ducebant, occupaverant. Nerlii ſiquidem pontem ad Carrajam: Freſcobaldi & Manellii, ſanctæ Trinitatis: Roſſi, Bardique pontem veterem atque Rubacontium ſibi ſumſerant. *Armatis ſe muniunt.*

Populus vero, ſub vexillis juſticiæ atque claſſium diſtributus erat. Neque his integrum videbatur pugnam ultra differre, primique omnium Medicei atque Rondinellii in Caviciullos irruerunt, idque ea ex parte, quæ per forum propè S. Joannis fanum, ad ædes eorum ducit. pugnabatur utrinque ſtrenuè, populuſque tam ex turribus ſaxis, quam ex inferiore parte baliſtis feriebatur. verum pugna in tertiam uſque horam protracta, poſtquam Cavicciulli populum augeri, ſeque à multitudine opprimi, neque tamen auxilia adeſſe animadverterent, remiſſis animis, ſeſe populi poteſtati commiſere, à quo rebus eorum omnibus ſalvis excepti, demptis ſolummodo armis, hinc inde in ædes eorum, qui ex populo ipſis neceſſitudine jungebantur, ſeſe deſtribuere juſſi fuere. A prima victoria, facile erat Donatos & Pazzios quod viribus longe inferiores eſſent, debellare: cis Arnum ſaltem Cavalcantii ſupererant, tam multitudine, quam locorum ſitu muniti, qui tamen & ipſi, cum omnia ſigna contra ſe conjuncta ſtare, ſocios *Eorum pars expugnata.*

intereaquousque, ſingulis vexillis ſuccubuiſſe animadverterent,citra animi obſtinationem ſeſe populo tradidere.

Jamque tres urbis partes in populi manus devenerant, at una,eaq; majore cum diſcrimine domanda manebat,ua pote quæ tam viribus potentiaque præſtaret, quam loci natura, Arno ſiquidem flumine diſjuncta erat,defenderetur,eamque ob rem pontes, eum ad modum quem ſupra recenſuimus muniti, ſuperandi eſſent. Primo itaque pontem veterem adgreſſi, magno eum animo defendi experiebantur. Turres ſiquidem telis munitæ, viæ præterea omnes obſeptæ,ſeptaq; ferociſſimis viris cuſtodia erant, adeo ut populus,non exigua clade accepta,inde repelleretur.Eo igitur loci fruſtra ſe experiri animadvertentes, ad Pontem Rubacontium animum adplicuere.Verum pari audacia ibidem excepti,relictis, ad binos iſtos pontes diſtinendos, quatuor ſignis, cum reliquo milite pontem ad Carrajam oppugnare cœperunt.

At licet Nerlii ingenti animo ſeſe defenderent, impetum tamen populi ſuſtinere diutius nequivere,tam quod pons iſte,turribus propugnaculisq; deſtitutus, infirmior eſſet,quam quod à Camponibus, aliisq; familiis popularibus,qui viciniam iſtam miſti inhabitabant,à tergo invaderentur. undiq; itaq; oppugnati, ſepta omittere, viamq; populo præbere coacti fuerunt,qui quidem his devictis Roſſiios Freſcobaldosque deinceps ſubegêre, ſiquidem omnis multitudo trans Arnum victoribus ſeſe jam conjunxiſſet.

Soli itaque Bardi devincendi reſtabant, quos quidem neque clades ſociorum, nec univerſa urbs in ipſos armata, nec ſpes auxiliorum ſublata, animo dejicere poterat,quin potius pugnando vel ſtrenue oppetere, vel domos igni atque direptioni exponere quam arbitrio inimicorum ſeſe committere mallent. Obſtinato itaque animo ſeſe defendentes, aliquoties impetum populi, qui tam à ponte veteri quam Rubacontio in ipſos impreſſionem fecerat

rat, viriliter fregere, eosque vulneribus mulctatos, multis ipſorum interemptis repulere.

Erat antiquitus via, quæ à Romana, intra ædes Pittiorum, ad mœnia in colle S. Georgii ſita, ducebat, hâc ſex ſigna à populo ſubmiſsa, in Bardorum ædes irruêre, atque is quidem conatus, tam Bardorum animos fregit, quam populo victoriam peperit poſteaquam etenim illi, qui ſepta tuebantur, ædes ſuas expugnari animadvertiſſent, poſtpoſitis rebus aliis, ad propria defendenda ſinguli advolabant, eaque ratione ſepta, ad pontem veterem, occupanda populo deſerebant.

Bardi itaque omni ex parte in fugam acti, à Quarateſiis, Pazaneſiis atque Moziis excepti fuêre: at populus, præcipue pars ignobilior, prædæ cupiditate illecta, omnes ipſorum ædes diripuit, atque in diruendis ipſorum palatiis & propugnaculis, furoris immanitatiſque eouſque prorupit, ut hoſti nominis Florentini, quantumvis crudeliſſimo, ea rubori eſſe potuerint. Primoribus ea ratione devictis, populus ad ſtabiliendam Rempub. animum adplicavit, & cum is tripartitus eſſet (in potentiores ſiquidem, mediocres, & infimos diſcriminabatur) decretum fuit, ut duo primores ex potentioribus, tres ex mediocribus, tres itidem ex inferioribus peterentur, Signifer vero primarius modo ex his, modo ex illis legeretur. Præterea omnes illæ leges, quæ in odium nobilium olim conſcriptæ erant, revixêre, atque quo eorum potentia magis magiſque extingueretur, multi ipſorum infra plebem detruſi immiſtique fuêre. Atque hæc quidem clades, adeo nobilium partes afflixit, ut nunquam, ab eo tempore, contra populum inſurgere armata manu conarentur, ſed potius indies humaniores, viliſſime degenerarent, ut tandem Florentia, non ſolum armis, ſed virtute bellica plane deſtituerentur.

Poſtremi omnium Bardi.

Quorum ædes vaſtatæ.

Nobilitas omnis oppreſſa in perpetuum.

Ab hac clade urbs quieta ſtetit, ad annum usque MCCCLIII.

Lues ſæviſſima Florentiam vaſtat. MCCCLIII, quo tempore memorabilis illa lues, tanta cum eloquentia à Joanne Bocaccio celebrata, poſtquam in ipſa urbe ultra LXXXXVI. homines ea periiſſent, deſæviit. Idem annus primum bellum Florentinis cum Viſcontiis peperit, cui quidem ambitio Archiepiſcopi, tum Mediolanenſium principis, faces ſubminiſtravit, eo vix ſopito, partium ſtudia in urbe reviviſcere cœperunt, & licet nobilitas deſtructa jaceret, non tamen fortunæ deerent media, quibus novis diſſidiis, novas calamitates nobis produceret.

LIBER

LIBER TERTIUS NICOLAI MACHIAVELLI, CIVIS ET SEcretarii Florentini, *Hiſtoriam Florentinam complectens.*

EX gravibus atq; natura inſitis inimicitiis, quæ inter Nobiles plebemq; conſpiciuntur, indeq; potiſſimum originem trahunt, quod illi quidem imperare, hi vero minime obedire ſatagunt, omnes calamitates ſcaturiunt, quæ Reſpublicas ut plurimū agitare ſolent, ſiquidem ex horum diverſitate humorum, omnes res cæteras, quæ publicum ſtatum alioquin corumpunt, nutriri animadvertimus. Hinc Roma in diſſidia ſeceſſit, hinc etiā Florentia (ſi modo magnis cōponere parva liceat,) diſtracta diviſaq; fuit, licet diverſi effectus hinc indeq; promanaverint. Inimicitiæ etenim illæ, quæ primitus inter nobiles plebēq; Romanā exarſerat, diſputando & altercādo, at Florētinorū dimicando finiebātur: Romanorum una altérave lege, Florentinorū exilio neceque multorū civiū terminabātur: Romanorū odia gloriā militarē augebant, at Florentinorum eam penitus delebant: Romanorum diſſidia, urbem iſtā, ex æqualitate civiū, in ſummā inæqualitatē conduxerunt. Florentinorū ex inæqualitate, ad mirādā æqualitatē eā revocarūt. Qui quidē varii effectus, ex diverſo fine, quē utraq; urbs ſibi propoſitū habebat, orriginē ſumpſerint, neceſſe eſt, populus ſiquidē Romanus, una cū nobilibꝰ, ad magiſtratus munia adipiſcenda, contendebat, at Florentinus, excluſis nobilibꝰ, ea adminiſtrare ſolus cupiebat.

Diſſidia fomentum malorum in Rebuſpub.

Roma Florentiæ comparata.

Quod igitur deſiderium populi Romani ratione niteretur, eam ob rem injuriæ, in nobiles ibi profectę, minus atroces erāt, nobileſq; ęquiore animo, repoſitis armis, cedebant, adeo ut poſt aliq̄ altercationē, in legē unā atq; alterā, qua tā populo ſatisdabatur, q̄ nobilibꝰ

dignitas

dignitas ſua conſtabat, facile cõvenirent, Florentinorum contra deſiderium, iniquum, & contumelioſum erat, eá ob rẽ neceſſe habebant nobiles, majore vi atq; impetu ſibi proſpicere, unde tandẽ ad cædes atq; proſcriptiones deveniebant. Tum leges præterea, quæ poſtmodum conſcribebantur, non communem utilitatem, ſed victoris commodum ſpectabant.

Hinc porrò conſecutum eſt, ut urbs Romana, ex victoriis virtutẽ venaretur, ná cum plebi, ad adminiſtrationem magiſtratus, tá pacis quam belli tempore, non minus quá nobilibus via pateret, inde pari utrosque virtute erudiri atq; illuſtrari, urbẽq; ipſá, virtute auctá, etiá potentia excreſcere par erat. At Florentia cũ populus vinceret contra nobiles à dignitatibus arcebantur, ad quas ſi forte aſpirare vellent, neceſſariũ ipſis erat, non modo animo, moribusq; popularibus eſſe, ſed etiá videri. Hinc mutationes inſigniorũ, hinc variationes titulorũ atq; familiarũ ortæ ſunt, ad quæ nobilibus deſcẽdendum omnino erat, quo populares haberentur, unde tandẽ virtus illa bellica, animusque generoſior, in nobilibus extinguebatur, quæ tamẽ ex plebe, ut pote quæ ea deſtituta eſſet, renaſci minus poterat, adeo ut Florentia indies magis magisq; degeneraret. Et cum Romani eò tandem deveniſſet, poſtquam eorum virtus in ſuperbiá abiiſſet, ut ſine Principe ſalvi eſſe diutius non poſſent, Florentini contra eò migrarunt, ut facile bonis legibus, à prudenti latore, in meliorem Reipub. formam redigi queant, quæ quidem ex libro præcedenti, partim abundantiſſime dignoſci poſſunt.

Poſtquam igitur hactenus Florentinorum originem atq; initium libertatis adeptæ, tum ſeceſſiones. & partium ſtudia, inter nobiles & plebeios, tyrannidem præterea Ducis Athenienſis, tandem ruinam nobilium deſcripſimus, ſupereſt ut inimicitias, quæ poſtmodum inter populum plebemque exarſerunt, varioſque caſus, qui inde promanarunt, deinceps recenſeamus. Ergo ſubjugata nobilitate, finitoque cum Archiepiſcopo Mediolanenſi bello, nihil jam

Nova diſſidia inter Albicios & Riccios.

ſupereſſe

ſupereſſe videbatur, quod Florentinorum tranquillitatem deinceps turbare poſſet. Verum adverſum urbis fatum, pravaque adminiſtratio, familias Albiziorum atque Ricciorum inter ſe ita commiſit, ut earum inimicitiis, urbs non minus in partes diſtraheretur, quam olim Buondelmontiorum & ubertorum, poſtmodum quoque Donatorum atque Cerchiorum ſtudiis, ea diviſa fuiſſet.

Pontifices, qui tum temporis in Galliis commorabantur, Imperatoresq;, quibus Germania ſedem exhibebat, diverſo tempore, varium militem, ad authoritatem ſuam in Italia tuendam, ad nos tranſmiſerant, adeo, ut eo quidem tempore, varii exercitus, Anglorum nimirum, Germanorum, atque Britannorum, apud nos conſpicerentur. Atque hi quidem ob bello undique compoſito, ſtipendiis deſtituti, ſub unum ſignum, incerto Duce redacti, modo hunc, modo illum Principem, mulctant.

Anno igitur M CCCLIII. harum turmarum una, cui Monrealis Gallus Narbonenſis præerat, in Tuſciam conceſſit, quorum adventus, omnes iſtius provinciæ civitates, non mediocriter turbavit, atque Florentini quidem, non modo publico nomine militem ſcripſerunt, verum etiam multi, civium, interque cæteros Albicii atque Riccii, propriæ ſalutis cauſa, ſeſe armarunt, ingenti ſiquidem odio, binæ hæ familiæ, concitatæ, qua via altera alteram opprimeret, ſolaque principatu in adminiſtranda Rep. potiretur, ſtudioſiſſime querebant. Neque tamen ad pugnam deventum erat, ſed in gerendis Magiſtratibus conſiliiſque alii aliis obſiſtebant hactenus. Ergo cum urbs tota armata eſſet, tumultus, incerto authore, ad forum vetus exorſus, multos civium (ut fit) eum in locum traxit, unde fama latius diſperſa. Ricciis quidem nuntiatum fuit, Albizios in ipſos irruere, Albiziis contra ſuggeſtum, ſe à Ricciis jam jam adgreſſos fore: eā ob rē univerſa urbe cōcitata, Magiſtratui vix licuit, binas iſtas familias authoritate ſua cohercere, ne reipſa pugnā illam cōmitterēt, quæ fortuito, nullaq; ipſorū culpa, in vulgus diſſeminata fuerat *Fortuito tumultu concitata.*

Atque hoc quidem initium, quantumvis exigui momenti, magis magisque animos ipſorum excitavit, ut undique ſibi amicos atque ſequaces eò ſtudioſius compararent. Decreverunt itaque, omiſſa vi privata, via ordinaria, alii alios evertere, eô ſiquidem univerſi cives, poſt oppreſſos potentiores, jam æqualitatis devenerant, ut magiſtratus authoritate longe quam antehac præſtaret.

Memoravimus autem ſuperiore libro, poſt Caroli primi victoriam, Magiſtratum Florentinum ex parte Guelphorum conſcriptum, eique in Ghibellinos plurimum authoritatis tributum fuiſſe, quem quidem longinquitas temporis, varii præterea rerum ſucceſſus, nova inſuper partium ſtudia, eousque obliteraverant, ut multi, qui à Ghibellinis originem duxiſſent, ſummas jam in Repub. dignitates gererent. Ergo Huguccioni, Riccianæ familiæ principi, videbatur poſtquam Albizii, multorum judicio, pro Ghibellinis haberentur, Aretio ſiquidem oriundi, olim Florentiam commigrarant, poſſe eos dignitatibus exui, ſi antiqua illa in Ghibellinos lex, qua nimirum omnes, qui à Ghibellinis deſcendebant, à Rep. adminiſtranda excludebantur, revocaretur. Dum igitur de ea renovanda laboraret Huguccio, conatus ille, Petro Philippi Albizii filio detectus fuit, qui quidem, ne manifeſta oppoſitione Ghibellinum ſeſe proderet, aſtuto conſilio, eandem legem revocandam eſſe publice cenſuit.

Inſidiis auctæ. (margin)

Ea itaque lex horum ambitione renovata, non modo nihil dignitatis Petro ademit, ſed potius eam immenſum auxit, multarumque deinceps calamitatum fons & origo fuit. *Nulla ſane lex in Rempub. perniciosior excogitari queat, quam quæ tempora, jam olim elapſa, reſpicit.* Cum ergo Petrus, ſuo calculo, ſanctione illa promoviſſet, id ſane eo conſilio conſecutus fuit, ut quod ad ipſius perniciem excogitatum eſſet, viam ipſi ad potentiam uberius patefaceret. Princeps ſiquidem novi iſtius ordinis factus, indies majorem ſibi authoritatem comparavit, facileque novæ hujus ſectæ Guelfæ

Calamitatum multarum fons. (margin)

Revocata partium Guelfarum ſtudia. Authoris damnum (margin)

Guelfæ ſequacium benevolentiam adeptus eſt: nam cum nulli magiſtratuum Ghibellinos notare injunctum eſſet, eoque lex exigui momenti hactenus conſpiceretur, ipſe author fuit, ut Capitaneis poteſtas inveſtigandorum Ghibellinorum tribueretur, qui quidem ab iis magiſtratui delati primo admonerentur, contumaces verò condemnarentur. Hinc ergo conſecutum eſt, ut ſinguli, qui à dignitatibus Florentiæ adminiſtrandis arcebantur, deinceps Admonitorum nomine inſignirentur.

Iſtis porro Capitaneis temporis ſucceſſu crevit audacia, eoq; tandem temeritatis proruperunt, ut non modo eos, qui notam meruiſſent, ſed omnes præterea, qui ipſis, ſeu avaritia, ſeu ambitione, aliave occaſione motis, videbantur, nulla habitâ ratione, notarent, adeo ut ab anno MCCCLVII. quo nimirum hæc ſanctio originem ſumſit, ad annum modo LXVI. ultra ducenti cives notati conſpicerentur, quod quidem Capitaneorum, partisq; Guelfæ potentiæ, non parum contulit, omnes ſiquidem, ut notam declinarent, eos, præcipue familiarum duces, verebantur, in quibus Petrus Albizius, Lapus Caſtilioneccius, Carolusq; Strozzius primas tenebant. Ac licet inſolentia iſta, multis civium ſummopere diſpliceret, Ricciis tamen ea inprimis moleſta erat, præſertim quod ejus rei culpam in ſeipſos, non præter rationem, conferrent, qua nimirum tam Rempub. perire, quam Albizio hoſtes ſuos, contra ſpem, potentia excreſcere contuerentur.

Cum igitur Huguccio inter magiſtratus munia receptus eſſet, nova lege calamitatibus illis, quarum ipſemet cum ſuis author fuerat, obviam ire conſtituit, qua quidem juſſa, ſancitum fuit, ut ſex prioribus Capitaneis partium, tres inſuper adderentur, eorumq; duo ex inferioribus opificibus peterentur, præterea qui pro Ghibellinis delati forent, viginti quatuor civium Guelforum teſtimonio convincerentur. Cohibuit ea moderatio, id temporis, non parum Capitaneorum potentiam, adeo ut admonitio illa propemo-

dum evaneſceret, núlliq; fere vel certe paucisſimi notarentur. Nihilominus ſectæ Albiziorum & Ricciorum minimè quieſcebant, ſed potius fœdera, conſilia, deliberationes, alteri in odium aliorum evertebant: inter quas quidem anguſtias, ad annum usq; LXXI. civitas ſtetit, quo nimirum tempore Guelfæ partes denuo emerſerunt.

Vir equeſtris in præmium inter populum recenſetur.

Erat ex familia Buondelmontiorũ equeſtris dignitatis Benchus, qui ob ſtrenue navatã, in bello contra Piſanos, operã in populi claſsẽ receptus fuerat, eóq; interDominos ſcribi aptus erat. Dum ergo eam in dignitatem ſe recipi opperiretur, nova lex emerſit, ne nobili in populum transſcripto, ad eum magiſtratũ via pateret. Ægerrime id tulit Benchus, conſilia eam ob rẽ cũ Petro Albizio cõferens, ad admonitionẽ recurrendum, eaq; inferiores ex populo percellendos ſtatuerunt, quo ſoli Reimpub. adminiſtrarent. Quod igitur Benchus antiqua nobilitate ſtipatus eſſet, Petrus vero maximã populi partẽ familiariter haberet, ambo illi conjuncti, facile partes Guelfas priſtinæ potentiæ reſtituêre, novisq; reformationib. partiũ effecere, ut Capitaneis, vigintiq; quatuor civibus, pro arbitrio uterẽtur. Unde majore, quã unquã, audacia admonitio revocari familiaq; Albitiorũ immensũ extolli cœpit.

Contra verô Riccii, opera amicorum, quantum quidem poterant, conatib. iſtis obſtare nitebantur, adeo ut omnia ſuſpicionũ plena eſſent, neq; quidquã inde, quam maturum exitium, omnibus exſpectaretur. Multi ergo civium, amore erga patriam ducti, ad S. Petrum, qui Scherragius cognominatur, convenêre, req; diligentius diſputata, tandem Dominos civitatis acceſſere, eosq; hunc ad modum allocuti fuere.

Oratio civium patriæ amantium.

Multis præſtantisſimi Domini, noſtrum dubitationem obortam fatemur privata ob ſtudia (licet publico id factum nomine) nos conveniſſe, prætereaq; judicatum iri, in nos vel arrogantium, vel ambitioſorũ nomen convenire. Verùm cum apud nos perpenderemus, indies tam in tabernis, quam privatis ædibus, permultos, non publici emolumenti gratia, ſed propria ambitione ſtimulatos, conventus agere, conſti-

Conventicula quousque prohibita

tuimus equidem nobiscum, poſtquam ij, qui in perniciem Reipub. clandeſtine conveniunt, metum longe abeſſe jubent, multo minus iis, qui publici cõmodi gratia congregantur, quidquã extimeſcendum eſſe: neq; quid interim alii de nobis judicent, magnopere curamus, cum etiã alios quid nos de ipſis judicemus æſtimare nihili videamus. Amor ergo patriam, Magnifici Domini, nos congregavit, idem vos ut accedamus in cauſa eſt, utq; de iis calamitatibus, quæ non modo graves ſunt, ſed indies graviores in Repub. hac noſtra emergunt, ſermonem habeamus, operasque noſtras ad eas extinguendas, ſtudioſe offeramus, quod quidem (licet difficile factu videatur) fortaſſis feliciter ſuccedere queat, ſi privatis ſuggeſtionibus repudiatis, publicis viribus, authoritatem veſtram munire volueritis. Communis quidem illa civitatum Italiæ corruptio, etiam noſtram Rempub. Domini Magnifici, labefactavit, atque etiamnum conſumit; ab eo ſiquidem tempore, quo provincia hæc Imperatorũ jugum excuſſit, pleræque civitates, (utpote freno quo regerentur potenti deſtitutæ) non tanquam liberæ, ſed ut in partes diſtractæ, Rem ſuam publicam adminiſtrare cœperunt. Hinc omnes illæ calamitates malaque, quæ eas exercent, originem duxere: præſertim quod inter cives, nec amicitia, nec unio conſtaret, niſi quos forte ſcelera & flagitia, vel in patriam, vel erga privatos, commiſſa conjunxiſſent: Et cum apud omnes relligio, Deique timor, extinctus ſit, inde conſequitur juratam fidem tantiſper æſtimari obſervarique, quantum utile: eaque homines uti, non quo eam ſervent, ſed ut ea intermedia facilius decipiant, eoq; plus laudis atq; gloriæ ſibi partum ducunt, quo facilius atq; tutius fraudem frauſi ſunt. Hinc illi, qui nocere norunt, pro induſtriis, boni vero, pro ſimplicibus ſtultisq; habentur. Atq;, ut verũm ingenue fateamur, quidquid vel corrumpi, vel corrumpere uſpiam aptum ſit, id omne in Italiæ urbes confluxit, Adoleſcentes quidem in otio, ſenes in libidi-

nibus tabeſcunt, omniſq; ætas ſextuſq; flagitioſis moribus inquinati, vi ipſa bonarum legum, quod etiam ipſæ, à pravis conſuetudinib. ſuperentur, in ordinem redigi non patiuntur. Hinc avaritiam iſtam quæ in civibus noſtris conſpicitur, tum cupiditatem, non veræ quidem gloriæ, ſed probroſorum honorum oriri cernimus, ex qua odia, inimicitiæ, diſſenſiones, partiumq; ſtudia derivantur, quæ tandem exilia, cædes, oppreſſiones bonorum, contra vero amplificationes ſceleratorum nobis producunt. *Boni ſiquidem, quod innocentiæ ſuæ confidant, qui ipſos præter ordinē defendat, honoribuſq; amplificet, quod noxii captare ſolent minimè quærunt*, adeo ut hi indefenſi inhonoratiq; intereant. Atq; hinc quidem ſtudia partium ſurgunt vireſq; adquirunt: mali ſiquidem ex avaritia & ambitione, boni verò ex neceſſitate iis ſe addicunt. Quod verò longè pernicioſiſſimum eſt, cernimus primos partium authores Duceſq;, conatus ſuos pietatis nominibus cohoneſtare, nam nunquam non libertatem, (quam tamen deteſtantur) vel optimatium, vel popularis ſtatus numine vendicando, opprimunt. Premium ſiquidem, quod ex victoria venantur, non gloriam libertatis aſſertæ ſpectat, ſed ut de ſubjugatis civibus ſibi gratulētur, imperiumq; in ipſos vendicent. Quod quidem conſecuti, nullum poſt ſupereſt injuſtitiæ, crudelitatis, & avaritiæ genus, in quod non effuſe abeant. Inde leges non ad publicum, ſed privatum commodum effinguntur, inde etiam bella, pax, fœdera, non in publicam gloriam, ſed in paucorum emolumentum concedunt. Quod ſi autem reliquas civitates, iſtiuſmodi corruptelis patere cernimus, noſtra ſane hæc, omnium reliquarum inquinatiſſima conſpicitur, leges ſiquidem, ſtatuta, itq; ſanctiones hic non ad conſervandum liberū vivendi genus, ſed pro ambitione eorum, qui ſuperiores exſtiterūt, hic ſemper conſtitutæ formatæq; fuerunt, atq; etiamnum formantur. Unde tandem conſequitur, ut altera parte expugnata, unaque diviſione extincta, mox aliæ emergant.

Libertas libertatis nomine opprimitur.

emergant. *Neceſſe ſiquidem eſt, ut in ea civitate, quæ partium potius ſtudiis, quam legibus vivere malit, poſtquam altera pars ſuccubuit, victrixque neminem, qui ſeſe opponat, amplius habet, ut in ſe ipſa protinus dividatur, cum nimirum iſtis remediis particularibus, ſeſe amplius tueri nequeat, quæ pro ſua ſalute primitus adinventa fuerant.* Atq; hæc quidem ſic ſe habere, id tam priſtinæ, quam recentes ſeceſſiones abunde teſtantur. Nemo ſane erat, qui non oppreſſis Ghibellinis perſuaſum haberet, Guelfis diuturnam felicitatem partam eſſe, verùm haud multo poſt, Nigrorum Alborumq; partes invaluere. Devictis Albis urbs diviſionibus nunquam caruit, dum modo ob exules, modo ob inimicitias, inter magnates atq; populũ, digladiaremur. Atq; quo in alium tráſferremus, quod ipſi unanimes obtinere, vel nolébamus, vel neſciebamus, aliquoties libertatem noſtram Regi modo Roberto, modo ipſius fratri, mox filio, tandẽ etiam Duci Athenienſi, proſtituimus. Neq; tamen ulla in parte quietiorẽ vitam viximus, ut qui nondum de libertate tuenda conſenſiſſemus, interim tamen ſervitutẽ nihiloſecius averſaremur. Neq; tandem dubitavimus (adeo nimirum ſtatuta noſtra diviſionib patent) vigente adhuc imperio, quod Regi in nos conceſſeramus, ipſius majeſtatem abjectiſſimo homini Eugubino poſthabere. Ducis Athenienſis, ob honorem urbis noſtræ, præterire mentionẽ præſtat, ex cujus equidẽ acerbo & tyrannico animo, nos tandẽ reſipuiſſe, atq; vivendi normam didiciſſe conveniret: verum vix illum urbe exegeramus, quin mox ad bella inteſtina rediremus, majoreq;, quã antea, odio atq; immanitate, in nos ipſos ſæviremus, donec tandẽ antiqua nobilitas noſtra opprimeretur, atq; in populi arbitrium concederet. Neq; tum defuêre, qui ſibi quam perſuaſiſsimũ haberent nihil unquã partiũ, apud Florentinos, deinceps exoriri poſſe, poſtquã nimirum illi ſubacti eſſent, quorum ſuperbia atq; ambitio intolerabilis, hiſce malis anſam ſuppeditaſſet. Verum *experientia ipſa nobis documento eſſe queat, quã vana incertaq; hominum opinio, fallaxq; judicium eſſe ſoleat:*

Semper apud Florentinos venatia.

Incerta eſſe hominum iudicia.

Superbia ſiquidem ambitioque nobilium non extincta ſed à populo potius erepta, inque ſeipſum translata fuit, quem modo dignitates, atq; præcipua Reip. officia ad ſe rapere, qui ambitioſorum mos eſt, manifeſto cernimus: dum nimirum, poſtquam alia, quam per diviſiones via, ea occupare nequeant, denuo civitatem in partes diſtraxerunt, extinctumque Guelforum Ghibellinorumque nomen, atq; utinam nullo ſæculo in hac Repub. auditũ, poſtliminio revocarunt. Ex his, quæ modo diximus, *liquere arbitramur, ne quidquam in humanis perpetuo conſtet atque vigeat, eſſe in ſingulis Rebuspub. familias fatales, quæ earum exitio naſcantur.* Atque horum copiam quidem uberiorem Respub. noſtra produxit, ſiquidem non ab una ſaltem, ſed à pluribus afflicta perturbataque ſæpius fuit, quod ex Buondelmontiorum primo Ubertorumque, poſtea Donatorum atque Cerchiorum, & quod tam ruborem quam riſum movere queat, modo ex Ricciorum atque Albiziorum diſſidiis, quæ univerſam urbam diſtrahunt manifeſtum eſſe poſſit. Neque verò mores noſtros corruptiſſimos, totque antiquas novaſque ſeceſſiones, ideo vobis in memoriam revocavimus, ut animum vos deſpondere cupiamus, ſed ut potius earum cauſas vobis commonſtremus, tum etiam teſtemur, non minus ea mentibus noſtris, quam vobis ipſis continuo obverſari, & vel ex illarum ſucceſſu ſpem ſupereſſe, etiam hæc mala coherceri poſſe. Antiquarum namque iſtarum familiarum potentia eouſque excreverat, Principumque favore atque benevolentia protegebatur, ut ea legitimo ordine intra metas revocari ægre potuerit. Nunc verò, cum Imperator nullum hic militem habeat, nec à Pontifice quidquam metuatur, Italia præterea univerſa, ipſaque adeo civitas noſtra, ad tantam æqualitatẽ redacta ſit, ut ea ſeipsã regere valeat, res ſane tantæ molis vix fuerit. Atq; hæc inprimis Respub. noſtra (quidquid exempla antiqua in contrariũ dicant) non modo ſeſe concors unitaq; conſervare, verùm etiam mores in

Familiæ fatales & exitio Rebuspub.

melius

melius revocare queat, modo amplitudo veſtra id conari, manũq; operi admovere dignetur, quod quidẽ, ut ſtrenue agatis, nos patriæ amore, nullaque privata cupiditate ducti, obnixis precib. à vobis cõtendimus. Ac licet correctio hæc, nõ exiguæ molis eſſe videatur, extinguite tamen, extinguite jam jam luem iſtã, qua tabeſcimus, rabiẽ qua conſumimur, venenũ quo interimus: præteritaq; mala, non tam naturæ civium, quã temporib. adſcribite, quæ quidem, poſtquam mutata ſunt, etiam melius de urbe veſtra, meliorib. legib. ſuffulta, vos ſperare jubent, *fortunæ ſiquidem malignitas prudentia ſuperari poteſt*, id verò fiet, ſi horum ambitionem cohercueritis, legesq; iſtas, quæ partium ſtudia nutriunt, abrogaveritis, aliasq; libertati, atque civili vivendi generi accommodas, ſubſtitueritis. Atq; id quidem potius, benignitate legum jamjam experiri, quam eouſque differre malitis, quo cives armata manu eas extorquere, neceſſitate ipſa adigantur.

Domini ergo Reip. moti tam iis, quæ per ſe ipſos animadverterant, quã horũ authoritate atq; admonitionibus, quinquaginta ſex civib. demandarunt, ut ſaluti Reipub. proſpicerent. *Veriſſimum ſane eſt, multitudinem eorum qui conſulunt, aptam eſſe potius, ad conſervandum bonum ordinem, quam ad excogitanda, quæ eò tendunt.* Igitur in id potius intenti erant cives iſti, qua ratione partes, quæ tum vigebant, tollerent, quam ut in poſterum, earum cauſas, averterent, adeo, ut tandem neque hoc, neque iſtud conſequerentur. Nam anſas novis ſeceſsionib. non præcidebant, exq; illis, quæ tum urbem agitabant, unam partium, majore cum Reip. diſcrimine, altera potentiorẽ effecerunt. Omni ergo magiſtratus munere (exceptis iis qui Guelfis cedebant) per tres annos abdicarunt, tres ex familia Albiziorum, tres itidem ex familia Ricciorum, ex quorum numero tam Petrus Albizius, quam Huguccio Riccius fuêre. Omnibus præterea civibus interdictum, ne Palatium, niſi eo quo Magiſtratus exercerentur tempore, intrarent. Sanxerũt præterea, ut verberatis, vel in bonorum poſſeſ-

Reipub. reſtitutio 56. civibus commiſſa.

ſione turbatis, ſimplici querela liceret reum ad Conſilium deferre, atque à potentioribus ea de re cognoſcere, cognitaque cauſa, reum ad parendum ſententiæ adigere.

Atque his quidem rationibus, Ricciorum partes enervatæ, contra Albiziorum amplificatæ fuere, nam licet utraque familia pari modo notata eſſet, plus tamen ea nota Riccianam depreſſit. Petrus ſiquidem Albizius, quantumvis ea ratione Palatio Dominorum arceretur, tamen ipſi Guelforum, ubi maxima authoritate pollebat, patuit. Quamobrem, non modo de primo fervore, in admonendis notandisq; adverſariis, ipſe ſequacesq; nihil remiſere, ſed potius, nova hac injuria provocati, in notas ardentius prorupere: cui quidem libidini, novæ cauſæ faces ſubminiſtrarunt.

Gregorius Papa XI. Præerat id temporis Pontificatui Gregorius XI. qui Avenioni ſedem figens, more anteceſſorum ſuorum, Italiã per Legatos adminiſtrabat, qui quidẽ avaritia atq; ſuperbia turgentes, per multas civitates peſſime affligebant. Atque horum quidem unus, qui hoc anno, ob famẽ Florentinis memorando, Bononiæ degebat, ea occaſione Tuſciam occupari à ſe poſſe ſperaverat, eamq; ob rem, non modo Florentinis annonam non ſubmiſerat, verum quo ipſis omnem futuræ meſſis ſpem eriperet, ſub ipſum veris initium, magno cum exercitu agrum ipſorum invaſerat, cõfiſus fore, ut inermes, fameq; propemodum enecati, facile opprimerentur. Neq; fortaſſis ſpes illum fefelliſſet, ſi non militi infido venaliq; rem commiſiſſet. Florentini ſiquidem, cum nihil aliud remedii ſupereſſet, numeratis CXXX. Millibus florenorum, militem illum à cervicibus ſuis amoverunt. *Bellum ad ejus quidem arbitrium, qui iſtud cupit, inchoari, verum non ejuſdem arbitrio componi, tritum eſt.*

Legatorum ejus avaritia & ſuperbia.

Florentini ſiquidem, à Legato ambitioſo laceſsiti, ferocius ceptis inſiſtere decreverunt, eamq; ob rem fœdus, tam cum Bernabo Mediolanenſium Principe, quam omnibus reliquis civitatibus, quæ Pontificibus

ſicibus adverſabantur, pepigêre. Præterea octo cives ſcripſere, qui bellum iſtud adminiſtrarent, idque ea authoritate, ne vel ab ipſorum arbitrio diſcedere, vel rationes expenſarum repoſcere liceret.

Florentini bellum provocati Pontifici inferunt.

Atque hoc quidem bellum, contra Pontificem ceptum, licet Huguccio diem jam extremum clauſiſſet, Ricciorum tamen ſequaces denuo evexit, quod nimirum hi, contra Albizios, Bernabi ſemper ſtudioſiſſimi fuiſſent, Pontificesque averſarentur, ad quæ præterea & hoc acceſſit, quod octo illi militiæ Duces omnes Guelforum hoſtes eſſent. Eam ob rem Petrus Albizius, Lapus Caſtilioneccius, Carolusque Strozzius, una cum ſuarum partium ſtudioſis, eo plus in perniciem adverſariorum, intenti, dum octo illi bello diſtinerentur, ipſi admonitionibus rem gerebant. Et bellum quidem in triennium protractum, non niſi Pontificis obitu finem habuit, tantaque virtute adminiſtratum fuit, ut octo illis imperium, ſingulis annis, prorogaretur, ſanctique audirent, licet parum anathemata Pontificia curaſſent, templaq; deptædati eſſent, ipſumq; Clerum ad adminiſtranda ſacra vi adegiſſent. Adeo plus amor patriæ, quam animarum, cives iſtos ſollicitabat, quo nimirum Pontifici manifeſto conſtaret, non modo amicorum officio, in tuenda ſede Pontificia, ſed etiam hoſtiũ, in illa affligenda, Florentinos præclare defungi poſſe. Univerſam ſiquidem Flaminiam Picenum atque Peruſinum, ab ipſius obedientia ſubtraxerant.

Fœdus ineunt cum hoſtibus Pontificũ.

Sancti Põtificis adverſarii.

Sed à Guelfis in ipſa urbe inſidiis circumventi.

Nihilominus, licet ſtrenue atque pro dignitate rem agerent, tamen à Capitaneis partium ſeſe defendere non potuere, Invidia ſiquidem, qua Guelfi in illos octo belli duces ferebantur, his animum audaciamque addebat; ut non modo nobiliores civium injuriis laceſſerent, verum etiam ab ipſis octoviris ſibi non temperarent, adeo, ut ſua temeritate, majori jam terrori, quam ipſi Domini Reipub. eſſent, minoreque cum reverentia hi, quam illi adirentur, pluſque authoritatis Palatio partium, quam Dominorum deferretur, unde etiam vix ullus orator Rempub. accede-

bat,quin peculiari legatione, apud hoc partium collegium fungeretur.

Licet igitur à Pontificis Gregorii XI. obitu, urbs à bellis externis vacaret, intus tamen omnia confuſionis plena erant, audacia ſiquidem Guelforum ferri diutius non poterat, neq; tamen via, ad eam retundẽdam, patebat, interim omnibus manifeſto apparebat, tandem ad arma recurrendum, atque de alterutrius collegii authoritate, ferro decernendum fore. Ex parte Guelforum ſtabant omnes antiquæ nobilitatis, cum plerisq; potentioribus ex populo, inter quos Lapus, uti diximus, Petrus atq; Carolus primas tenebát. Alteram omnis populus inferioris ordinis conſtituebat, quorum duces erant, octoviri, Georgius Scalius, Thomas Strozius, quibus Riccii, Alberti, & Medicei accedebant. Plebs vero reliqua, ut fere ſemper fit, eos ſequebatur, qui animo male afflicti erant. Videbantur quidem Guelfis partes adverſæ robuſtæ, indeq; periculũ magnum ſibi imminere facile animadvertebant, ſi quando Domini, ipſis adverſi potentiam ſuam infringere vellent.

Eam ob rem præveniendum rati, clam convenêre, perpenſaq; civitatis, tum etiã ſua ipſorũ conditione, animadvertêre, Admonitos illos, (qui in maximũ nimirũ numerum excreverant) univerſã in ipſos civitatẽ cõcitaſſe, huic vero rei aliud remediũ non occurrebat, quam poſt ademptas ipſis dignitates, etiã urbe eosdẽ pellere, inde Palatiũ Dominorum occupare, omnemq; urbẽ, quod antiqui illi Guelfi factitaſſent, in partes ſuas adigere, qui nimirũ non aliã ob causã, tuti ſubſtitiſsẽt, quã quod omnes adverſarios urbe expuliſſent. Atq; hæc quidem omnibus placebant, de tempore vero ambigebatur.

Agebatur tum annus MCCCLXXVIII. menſisq; erat Aprilis. Lapoq; differendum minime videbatur, quod affirmaret, *nihil adeo tempori quam tempus ipſum obeſſe*: at potiſſimum ipſis id maximo damno eſſe poſſe, ſi forte novo magiſtratu ſuccedente, Salveſtro Mediceo vexillũ primariũ (quod Gonfalonẽ vocari diximus

diximus) obtingeret, quem ipſis adverſari manifeſto conſtaret. Petro è contra Albizio differendum videbatur, quod eam ad rem copiis opus foret, quæ quidem clam comparari non poſſent, at evulgatæ, manifeſtum ipſis periculum accerſituræ eſſent.

Neceſſario itaq; propinquum S. Joannis feſtum diem expectandum eſſe, quo nimirum ſolennitate celeberrimo, ingens multitudo in urbem confluere undiq; ſolita ſit, ſub quorũ veſtigiis, quotquot vellent milites, introduci poſſent. De Mediceo verò quod timeretur, ei occurri poſſe, ſi ipſe Admonitione notaretur, quod ſi vero hoc factu difficile videatur, unum ex ejus Collegio notandum eſſe, unde facile evenire queat, (quod nimirum urnę tum vacuæ ſint) ut dum ad cambium teſſerarum deſcenditur, vel ipſemet vel quivis ejus ſodalium exeat, eaq; ratione facultas obtinendæ iſtius dignitatis ipſi adimatur. Atq; in hâc ſententiam tandem itum, licet Lapus ægre aſſentiretur, quod rem differre ſummi diſcriminis eſſe animadverteret, atq; *occaſionem temporis ad omnia pracipue reſpondentem fruſtra exſpectari affirmaret, adeo ut qui omnia ad amuſſim operienda duxerit, is vel nihil unquam adgrediatur, aut ſi id conetur, maximo cum ſuo diſpendio id facere cogatur.*

Admonitione ergo notarunt Collegium, de Mediceo tamen impediendo ſpe fruſtrati ſunt, octoviri ſiquidem rem ſubodorati, facile effecerunt, ne ad teſſerarum cambium deveniretur. Igitur Salveſter, Alamáni Medicei filius, dignitatem Gonfalonis adeptus eſt. Atq; is quidem, ex nobiliſſima familia populari oriundus, ferre non potuit, ut populus à paucis potentioribus diutius opprimeretur, conſtituit ergo huic rei finem imponere, & cum populum bene ſibi velle, multos etiã nobiles populanos adhærere ſibi animadverteret, animũ ſuũ Benedicto Alberti, Thomæ Strozio, & Georgio Scalio aperuit qui omne ſtudium atq; auxiliũ eã ad rẽ ipſis obtulerunt. Clã itaq; legẽ ſcripſerũt, qua juſtitiæ ſeries cõtra nobiles innovaretur, Capitaneorũq; partis authoritas imminueretur atq; tádem

A Gonfalonerio pari arte contra itum.

dem Admonitis via aperiretur, qua ad dignitates revocari poſſent. Quo vero ea uno quaſi momento tam rogaretur, quam obtineretur, (nam primo in collegiis. poſtmodum in conſiliis de ea deliberandum erat) eam ob rem Salveſter, tum quidem Præpoſiti munere clarus, (quæ dignitas, eo quo durat tempore, vix non Principatum totius urbis confert) uno eodemque tempore antemeridiano tam collegium quam conſilium convocari voluit, atque primo quidem collegiis, à conſilio ſeparatis, eam legem propoſuit, quæ tamen, pote novi exempli, inter paucos iſtos perfici nunquam potuit.

Prima itaque hac via, rem non ceſſiſſe animadvertens Salveſter, alvi exonerandi gratia ſibi exeundum fingens, nemine curioſius id animadvertente, in conſilium ſe proripuit, ibiq; ut ab omnibus & audiri & videri poſſet, altius conſcendens, ſic declamare cæpit.

Perſuaſum mihi equidem erat, non eam ob cauſam Gonfalonerii mihi concreditum munus eſſe, ut de privatis querimoniis mihi definiendum foret, ut pote quibus peculiaria judicia conſtituta ſunt, ſed ut pro Repub. ſtrenue vigilarem, potentiorum præterea temeritatem corrigerem, legesque illas moderarer, quarum medio Rempub. interire animadverterem: Hic ſubjunxit, quam ſedulo utrumque hactenus egerit, atq; pro virili ſingulis proſpexerit. Malitiam vero hominum, adeo æquiſſimis ſuis conatibus obſiſtere, ut ad utilitatem communem promovendam, omnis ipſi aditus obſeptus, ipſisque conſiliariis via præciſa ſit, qua non iis de rebus nec deliberare, modo nec etiā ipſum vel differentem audire poſſint. Cum igitur videat, nulla amplius in re Rem, bonumve publicum à ſe promoveri poſſe, neſcire ſane ſe, cui bono dignitas iſta ulterius ſibi gerenda ſit, qua vel ipſū indignū eſſe, vel ſaltē ab aliis ſic haberi neceſsū ſit, Decretum itaq; ſibi ad privatam vitam reverti, quo populo nimirum liceat transferre munus ſuum in alium qui vel virtute, vel fortuna, ipſo præſtaret. Quibus eum ad modum

peroratis

peroratis,è conſilio digreſſus, ad ædes ſuas repedare cœpit.

Verum tam ii conſiliariorum, qui conſilii iſtius conſcii erant,quam illi,qui tumultuatum cupiebant, clamore concitato, tam Dominos, quam Collegia, eò mox traxerunt,qui quidem, ob Gonfalonerii ſui abitum ſolliciti, tam precibus qùam authoritate ſua illum ſubſiſtere,atque in conſilium tumultu plenum redire perfecerunt. Multi ibidem cives nobiliſſimi ignominioſe habiti,interque hos Carolus Strozzius medius à quodam opifice correptus, vix truculentas ipſius manus,à circumſtanti turba protectus, ſalvus evaſit. Ad majorem vero tumultum, & qui univerſam urbem ad arma ſuſcitaret, Benedictus Alberti non parum contulit,ut pote qui,ex ipſis Palatii feneſtris,ſublato clamore,populum ad arma vocaſſet, adeo ut mox univerſa area armato cive compleretur. Collegia ergo id quod primo rogati facere recuſarant,minis perterrefacti perfecere. *Unde tandem ſeditio.*

Capitanei interim partium, eodem tempore, non paucos civium ad ſuum Palatium convocaverant, quo nimirum deliberarent,qua ratione Dominorum conatus everti poſſent,verum excitato jam dicto tumultu,perceptoque ſenatus conſulto, quiſque ad ædes ſuas mox fuga dilabi cœpit. *Nemo ſane ſibi unquam perſuadeat, poſſe ſe civitatem ſemel à ſe concitatam vel pro arbitrio iterum ſedare, vel ex ſententia ſua deinceps regere.*

Decretum erat Salveſtro legem iſtam promulgare, atque ea ratione urbi ſubvenire. Res vero aliter ceſſit, humores ſiquidem ſemel commoti,adeo ſingulorum animos jam concitaverant,ut officinæ omnes obſeratæ conſpicerentur,civiumque alii ædibus ſuis muniendis, alii ſupellectile ſua,in tépla atque monaſteria recondenda,vacarent,neutri tamen non magnum aliquod malum ſibi propinquum metuerent. Claſſes opificum congregatæ, quælibet de Sindico ſibi proſpiciebant, unde Priores, tam Collegiis quam hiſce Sindicatibus congregatis, integrum dië deliberando protraxerunt.

protraxerunt,qua nimirum ratione civitai exulceratæ ſubveniri poſſet,verum quod ſententiæ diſcreparent,nihil effectũm fuit.

Altero mane opificum claſſes, ſub ſignis ſuis, in publicum prodière, qua re à Dominis animadverſa, mox ut malis obviam irent, conſilium convocarunt, quo quidem vix congregato, in urbe tumultuatum, ſignaque multo civium armatorum numero, ad Palatium conſpecta fuere, Unde Domini, quo populum opificumque claſſes, ſpe nutrirent, ipſis ſatisfactum iri, adeoque ſiniſtre aliquid perpetrandi cauſam prævenirent, ad generalem abſolutamq; illam dictaturæ ſpeciem, quam Baliam vocant, convolarunt, atque Dominis, Collegiis, octoviris, partium Capitaneis, Sindicis.; poteſtatẽ tribuerunt, ut ſtatum urbis pro commodo Reipub. reſtituerent. Dum vero hæc agerentur, quædam opificum, atq; infimæ plebis ſigna, poſt ſe relictis reliquis, (exſtimulata potiſſimum ab iis, qui recens à Guelfis illatas injurias dolebant) ad ædes Lapi Caſtilioneccii ſeſe proripuere, illaſq; diripuère atq; incẽſas evertere. Atque Lapus quidem, quamprimũ à Dominis Guelfos in ordinẽ redactos iri, populumq; in arma ruere animadvertiſſet, non niſi vel in latebris, vel fuga præſidii quidquã cernens, primo ad S. Crucis fanũ ſeſe abdidit, inde monachum mentitus, ad Caſentinates ſeſe recepit: ubi ſæpius tũ ſeipſum incuſare auditus fuit, quod in Petri Albizii ſententiam conceſſiſſet, quã porro Petrum, quod S. Joannis feſtum, ſecuritati ſuæ, expectandum cenſuiſſet.

Multæ ædes & monaſteria direpta igneq; abſumpta.

Petrus autem Carolusq; Strozzius, ad primam cõclamationem ſeſe in latebras abdidere, quod nimirũ ſperarent, urbe tranquilliore, opera tot neceſſariorũ atq; amicorum, ſecuris ſibi apud Florentinos eſſe poſſe. Incendio abſumptis Lapi ædibus (*nam mala ut difficulter initium ſumunt, ita facillime creſcunt*) multæ præterea ædes, ſeu ex publico odio, ſeu privatas ob inimicitias, igne immiſſo perière, Atq; quo flagitioſi ſocios ſcelerum ſibi pararent, effractis publicis carceribus, partes

partes ſuas ſtabilivere, Inde monaſterium SS. Agnorum, tum ſocietatem ſpiritus ſancti (quem quidem in locum multa civium pretioſa ſuppellex congeſta erat) diripuere.

Neq; ærarium ipſum horum prædatorum manus niſi authoritate cujusdam Dominorum defenſum evaſiſſet, qui quidem eques, multisq; armatis ſtipatus, qua melius poterat ratione, rabiei iſtius multitudinis ſeſe oppoſuit. Populari ergo hac ſeditione, partim authoritate Dominorũ, partim nocte ſuperveniẽte mitigata, poſtero diluculo Dictatores Admonitorũ quidẽ notam delevêre verum id ea conditione, ut integrum nihiloſecius triennium, à magiſtratibus gerendis ſibi temperarent, abrogarunt præterea leges eas, quæ à Guelfis in odium civium promulgatæ fuerant.

Lapus præterea Caſtilioneccius, cũ ſuis clientibus, hoſtes Reip. declarati, atq; cũ iis multi alii quos odiũ univerſale premebat: quibus peractis, ad promulgãdos recens creatos Reip. Dominos deventum, quorũ ſignifer, Gonfalonerius dictus, erat Ludovicus Guicciardinus, ex quorum electione, quod nimirũ pacis, quietisq; publicę amantes haberẽtur, multi in ſpẽ erecti fuêre, ſeditionibus non difficulter jã obviã iri poſſe.

Hactenus tamen neq; officinæ aperiebantur, neq; cives ab armis recedebant, atq; excubiæ per univerſã civitatem ubertim diſpoſitæ conſpiciebantur. Eam ob rem Domini dignitatem, non in publico, ſolitisve ceremoniis, ſed intra Palatii fores, omiſſis ſolennibus, adiere Atq; iis quidem, nihil adeo neceſſarium factu viſum, quam urbem mox componere: curarunt ergo, ut arma reconderentur, officinæ iterum paterent, omnesq; qui ex agro juſſu magiſtratus in urbem vocati fuiſſent, ad ſua reverterentur, tandem etiam excubiæ per urbem diſponerentur: adeo, ut ſi Admonitis viſum fuiſſet quietis ſtare, omnia tranſacta erant: verum poſtquam iis integrum non eſſet, triennio à dignitatibus arceri, claſſes eam ob rem in eorum gratiam denuo convenere, magiſtratumq; novũ rogavere, ut tranquillitatis publicæ gratia legẽ promulgarent, ne deinceps quenquam civium, ſive ex Dominorum,

ſive collegiorum,ſive Capitaneorum partis, ſive conſulum, ſive cujuscunque opificii claſſe,ullo unquam tempore liceret,tanquam Ghibellinum notare, deinde,ut ad novam optionem, quoad Guelforum partem,deveniretur,priorque igne cremaretur

Atque hæc quidem placida,tam à Dominis, quam à reliquis conſiliis,mox adprobata fuere, videbatur ergo tumultum jam jam ingraveſcentem, iterum componi.*Cum vero ſic comparatum ſit, ut hominibus ſatis non ſit ſua recuperaſſe, niſi etiam in ea quæ aliorum ſunt vindictæ ſtudio irrumpant*,eam ob rem ii,quibus in ſeditionibus lucrum ſperabatur, opificibus clanculum ſuggeſſere,nunquam ipſis omnia tuta fore, niſi præcipuos adverſariorum urbe expuliſſent, eosque plane evertiſſent: quod quidem Domini edocti, confeſtim opificum primariis, unâ cum ipſorum Sindicis convocatis, eos Ludoico Guicciardino orante hunc in modum allocuti fuere.

Oratio pro ſedandis motibus.

Niſi Domini hujus Reipub. conditionem hujus urbis jam dudum exploratam mecum haberent, qua quidem fit,ut bellis finitimis ad exitum deductis, ad inteſtina mox præcipites ruamus, equidem majori tam admirationi, quam etiam indignationi, ſeditiones jam jam ſopitæ, nobis fuiſſent, poſtquam vero conſueta mala mitius ferantur, nos quidem turbas iſtas patienter hactenus habuimus, præſertim quod citra noſtram culpam emerſerint, ea nimirum ſpe freti, etiam iſtas, inſtar reliquarum, tandem ſuum finem habituras, præſertim quod vobis, in tam arduis petitionibus, morem geſſiſſemus, Verum poſtquam compertum nobis ſit, vos minime hactenus quieſcere, ſed potius novas injurias concivibus veſtris moliri,atque eorum exilia ſpirare, equidem negare nolim, unâ cum dedecore veſtro, etiam indignationem noſtram robur acquirere. Atque ut verum fatear,ſi nobis unquam in animum veniſſet, hanc civitatem, noſtri magiſtratus tempore vel obſiſtendo,vel elargiendo,in diſcrimen vocatam iri, equidem aut fuga,aut exilio,honores hoſce devitaſſemus

mus, verum quod ſpes erat, cum iis nobis rem fore, quos vel ipſa humanitas, vel amor in patriam, officii ſui commonefaceret, eam ob rem non inviti, hoc munus nobis imponi, paſſi ſumus, præſertim quod nobis perſuaſum erat, humanitate noſtra, ambitionem veſtram ſuperari poſſe. Verum experientia ipſa documento eſſe queat, quanto nos æquiores ſumus, quantoq; plura vobis elargimur, tanto ſuperbiores vos ad indigniſſima quæq; expetenda, inſurgere. Neq; ſane ideo hoc ſermonis genere erga vos ferimur quo vos lædere animus nobis ſit, ſed potius, ut vobis oculi aperiantur: ſiquidem alii vobis ut dicant, quæ vobis accepta eſſe queant, permittimus, nos ea, quæ utilia vobis ſunt, diſſerere cupimus. Obſecro veſtram fidem, quid porro usquam ſit, quod honeſte à nobis deinceps poſtulare queatis? Anthoritatem Capitaneis partium imminutam voluiſtis, atque ecce exauctoratos: publica ipſorum teſtimonia igne cremari, atque ad novas optiones deſcendi cupiiſtis atque in eo nos morigeros habuiſtis: Admonitis viam ad dignitates iterum patere petiiſtis, idque ſimiliter elargiti ſumus: precibus veſtris moti, in eos, qui ædes, templaq; ſpoliaverant atq; igne abſumſerant, non animadvertimus: multos præſtantiſſimorum civium, ut voluntati veſtræ ſatisfieret, in exiliū egimus: potentioribus etiam novis legibus, in veſtri gratiam, frænum injecimus. Quis igitur finis, petitionum veſtrarum, expectari tandem debeat? aut quam diu libertate iſta veſtra abutemini? An nondum animadvertitis, æquiore nos animo, quod à vobis victi ſumus, quam vos victoriam ipſam ferre? Quonam tandem, hanc civitatem, diſcordiæ veſtræ præcipitem agent? An non quæſo, vobis in mentem venit eam in ſe diviſam, à Caſtruccio, vili Luccenſium cive pene peſſumdatam? poſtmodum à Duce Athenienſi, ſtipendiario veſtro, ſubjugatam fuiſſe? Unitam vero, atque ſecum convenientem, neq; ab Archiepiſcopo Mediolanēſi, neq; à Pontifice quidē ipſo ſuperari potuiſſe, ſed ad utroſq;, poſt diuturnum bel-

lum, nihil præter ignominiam inde retuliſſe. Cur igitur obſecro pergitis, diſcordiis veſtris, hanc civitatem pacis tempore, in diſcrimen ſervitutis præcipitare, quam tot hoſtes potentiſsimi, belli tempore, inviolatam liberamq; reliquêre? Quid porro ex diſcordiis veſtris aliud, quam ignominioſam ſervitutem, aut ex ſpoliis noſtris quam paupertatē exſpectare debeatis? ſiquidem ex hoc peculio, univerſam civitatem induſtria noſtra aluimus, at eo exuti, unde nam obſecro nobis alimenta ſuppetant? ſiquidem illi, qui bona iſta occuparunt, tanquam male quæſita, iis diutius gaudere nequeant, unde tandem penuriam rerum omnium, famemq; conſequi neceſſe eſt. Vobis ergo ego, Dominiq; iſti, injungimus, atq; ſi honeſtatis ratio id patitur, rogamus, ut pacato animo ſitis, iiſq;, quas modo promulgavimus, conſtitutionibus tandem acquieſcatis, aut ſi adhuc quædam petenda ſuperſint, ea civiliter, ſineq; ſeditionibus armiſq; poſtuletis: ſiquidem parati ſumus, modo ea honeſtati conſentanea ſint, vobis nihiloſecius ſatisfacere, ne forte, magna cū veſtra culpa, perditis hominibus occaſionem ſuppeditetis, qua ſub iſtiusmodi anſa, perq; veſtrum latus, patriam veſtram funditus evertant.

Sedati motus. Atq; hæc quidem oratio, utpote veriſsima, non mediocriter animos civium iſtorum permovit, adeo ut Gonfalonerio, tam quod erga ipſos officio boni rectoris, quam erga patriam boni civis defunctus eſſet, gratias agerent, ſeq; paratos, ad omnia, quæ ipſis injungerentur, offerrent; quo igitur Reipub. proceres proclivi iſta voluntate commodū uterentur, ideo cuiq; ex ſuperiori magiſtratus ordine duos cives adjunxere, qui à Sindicis opificum adjuti, ſi quæ ad publicam tranquillitatem ſtabiliendam, corrigenda ſupereſſent, explorarent, eaq; ipſis referrent. Hæc dum eum ad modum conſtituuntur, iterum novæ turbæ emerſerunt, quæ quidem Rempub. longe gravius, quam priores illæ, perculere.

Maxima rapinarum atq; incendiorum, quæ civitatem modo afflixerant, culpa, penes infimā plebem

hærebat

hærebat, ex qua ii, qui audacia cæteras anteiverant, nòn præter rationem metuebant, rebus pacatis, atq; in priſtinum ſtatum, compoſitis, in ſe animadverſum, ſeq; ab iis ipſis, quorum inſtinctu eo proruperant, ut plerumq; fieri ſolet, deſtitutas fore. Quibus odium quoddam accedebat, quo inferiores ex populo, ditiores civium opificumque primores proſequebantur, quod ipſis nimirum videretur, ſtudia ſua, non pro dignitate habita, aut remunerata fuiſſe. Tempore ſiquidem Caroli primi, cum urbs in opificum claſſes diſtribueretur, cuilibet claſsi, primarius quidam dux caputque, à quo opificii res civiles dijudicarentur, conceſſum fuerat. *Novarum turbarum cauſa.*

Atq; earum quidem claſsium (quod etiam ſupra memoravimus) in ipſo partitionis exordio, ſaltem duodecim numero erant, quæ poſtmodum, ſucceſſu temporis, ad viginti unamq; excreverunt, eoque autoritatis conſcenderunt, ut paucorum annorum intervallo, univerſam Reip. adminiſtrationem occuparent, interq; ſeſe, quod aliæ aliis dignitate anteirent, in majores minoresq; tribuerentur, earumq; ſeptem majorum, quatuordecim verò minorum tribuum nomine appellarentur. Ex hac potiſsimum diviſione, aliiſque præterea, quas ſupra attigimus, cauſis inſolentia illa Capitaneorum, quos partium vocavimus, originem duxit, civium ſiquidem ii, qui antiquitus Guelforum partibus ſtudebant, in quorum nimirum manibus Reſpub. ſemper verſabatur, populum majorum claſsiũ favore proſequebantur, minores verò tribus, earumq; defenſores, exagitabant, atq; ea quidem ratione, tot ſeditiones, motuſq; hactenus narratos, in ſeipſos concitarunt.

Poſtquam verò in conſtitutione iſta claſsiũ, multa opificia, præcipue ea quæ infimam plebem ſibi vendicant, propriis tribubus deſtituta, reliquisq; claſsibus, pro ratione cuiusdam inter eas affinitatis, permixta eſſent, inde ſane emergebat, ſi quando contingeret, quoſdam ex iſta opificum fece, vel mercedis, vel alius injuriæ ab heris illatæ ratione, in jus venire,

ut iis ſententia, ab illis ipſis, exſpectanda eſſet, qui ſuorum dominorum opera uterentur, quod quidem perperam adminiſtratæ juſticiæ, non raro ſuſpicionem & querimoniam parturiebat. Omnium vero tribuum nulla erat, neque hactenus exſtat, quæ majorem iſtius generis turbam aleret, quam ea quæ Lanam exercet, ea ſiquidem omnium numeroſiſſima, authoritateque cæteras prætergreſſa, maximam infimæ plebis, populique minoris partem, ſibi vendicabat, atque etiamnum vendicat.

Plebei itaque, non ſaltem illi, qui lanificio addicti eſſent, ſed etiam reliqui omnes, animo male affecti ſtabant, ſibique præterea ob incendia atque rapinas non mediocriter metuentes, nocturno tempore, in conventiculis eventum, propriaque diſcrimina ſtudioſius examinabant. Tandem eorum quidam, audacia experientiaque non infimus, hunc in modum, reliquorum animos confirmare exorſus eſt.

Oratio ſeditioſ. Si nobis commilitones reliquum eſſet arbitrari, num ad arma convolandum, ædes vicinæ igne vaſtandæ, templaq; ipſa ſpolianda forent, equidem eorum ego ex numero ſtarem, quibus amplius ea de re deliberandum eſſe probaretur, & fortaſſis tranquillam paupertatem, pericoloſo dubioq; lucro, ante ponendā cenſerem. Cum vero arma correpta, malaq; permulta jam perpetrata ſint, nihil nobis amplius ſupereſſe arbitror, quam ut ſtatuamus, qua ratione tam illa in manibus retinere, quam de commiſſis delictis, ſecuros nobis eſſe deinceps liceat. Facile vero crediderim, rationes iſtas, etiamſi aliunde nobis minus ſuppeditentur, tamen ab ipſa neceſſitate, abunde ſatis nobis demonſtrari. Conſpicere ſiquidem vobis licet, omnem civitatem commotam, omnesque cives, in perniciem noſtram, congregatos eſſe. Dominorum etenim, cum reliqua Magiſtratus parte, tam crebri conventus, quid aliud, obſecro, quam laqueos, novasque vires in capita noſtra producant. Eam ob rem, duo potiſſimum nobis ſpectanda, duoq; fines propoſiti eſſe debent.

bent. Unus, ne ob ea, quæ præteritis diebus deliquimus, pœna nobis irrogari queat: alter, ut liberius, magisque ex animo, nobis vitam deinceps ducere liceat. Quo igitur præteritorum delictorum venia impetretur, meo quidem judicio, ad nova deveniendum eaque incendiis, rapinis, iſtiusque generis immanitatibus cumulanda, complicesque quamplurimi, eas ad res, conquirendi fuerint. *Nam ubi quamplurimi peccant, ibi in neminem pœna cadere ſolet. Levia præterea delicta puniuntur, atrociora vero præmium merentur. Et cum in multos damnum proficiſcitur, pauci ad vindictam inclinant, ſiquidem injuriæ quæ univerſos lædunt, æquiore animo quam privatæ ſuſtinentur.* Quod ſi igitur ſcelera ſceleribus cumulemus, eò facilius veniam impetrabimus, viaque ad ea obtinenda nobis pariter aperietur, quæ ad libertatem noſtrã ſtabiliendam, deſiderari queant. Atque adepol, certam victoriam nobis paratam eſſe judico illi ſiquidem, qui nobis obſtaculo eſſe poſſent, tam inter ſe diſſident, quam ditiſſimi ſunt, adeo ut ipſorum diſcordia nobis victoriam, comparare, opesque, ſi eas occupaverimus, eam nobis conſervare atque tueri valeant. Neque vero, antiquam illam originem, quam vobis objicere ſoliti, ſunt, quidquam ponderis apud vos habere velim, omnes ſiquidem eodem patre orti, pari antiquitate gaudẽt, atq; à natura, uno eodemque modo producti ſunt. Quod ſi nudos nos invicẽ conſpici contingat, omnium una eademq; erit facies, at ſi ipſos noſtras, nos vero ipſorum veſtes indui occurrat, nos proculdubio pro nobilibus, ipſi vero pro ignobilibus habeantur, ut tandem nulla alia re, quam paupertate, atq; divitiis, diſcriminemur. Doleo interim conſpici veſtrũ aliquos, quos tam rerum anteactarum conſcientia tangat, quam nova conari abſterreat. Id vero ſi ita certo ſeſe habeat, equidem vos ex eorum genere minime eritis, quo vos eſſe certo mihi perſuaſum habebã: neq; etenim vel cõſcientia vel infamia vos movere debeat: Nam qui victoriam adipiſcuntur, quo tandem ii modo vicerint, nun-

quam ignominiam inde referunt: conſcientiæ porro nulla apud nos ratio eſſe queat, nam ubi à fame & vinculis timetur, quæ alioquin certo nobis exſpectari liquet, ibi metum inferni procul abeſſe par eſt. Quod ſi vero omnes iſtos, qui dignitates vel divitias ſummas adepti ſunt eorumque rationes accuratius excutere volueritis, haud difficulter quidem depræhendetis, eos vel vi vel dolo, eô faſtigii conſcendiſſe, nihilominus ea quæ vel fraude vel vi occupavêre, honeſtiore lucri nomine, ad obliterandam ignominiam inſigniviſſe. Qui vero vel prudentia deſtituti, vel ſtultitia præpediti has rationes averſantur, eos in paupertate atq; ſervitute marceſcere quotidie animadvertimus. Fidi ſiquidem, ſemper ſervitutem ſerviunt, boniq; ut plurimum in paupertate degunt, neq; facile ex ſervitute, niſi infidi & audaces, neq; ex paupertate, niſi rapaces & fraudulenti emergunt, Placuit ſiquidem Deo atq; Naturæ, omnem humanã fortunã in ambiguo conſtituere, quæ quidẽ rapinis potius, quã induſtriæ, maliſq; artibus, quam bonis expoſita ſit. Hinc fit, ut alii alios devorent, atq; quidem ſemper proterantur, qui minus cæteris poſſunt Eam ob rem utendum erit vi, ſi occaſio ſeſe tibi exhibeat, quæ quidem opportunior nunquã ſeſe nobis offerre queat, ſiquidem cives hactenus inter ſe diffideant, Dominũ in ambiguo hæreant, Magiſtratuſq; trepidet, eamq; ob rẽ, nullo molimine, anteq; coeant animoſq; reſumãt, opprimi omnes poſſint. Qua quidẽ via, aut Principatu univerſæ urbis ipſi potiemur, ant ſaltẽ tantam ejus partẽ nobis comparabimus, ut non modo præteritorum delictorum veniam obtinere, ſed etiã graviora ipſis minari, in arbitrio noſtro repoſitum habituri ſimus. Cæterum, negare equidem nolim, cœptum hoc eſſe perquam audax atque temerarium, *verum ubi neceſſitate adigare, ibi audacia pro prudentia habetur*, periculi porro in rebus magnis, cordatis viris nulla unquam habita fuit ratio, Illi ſiquidem conatus, quos non ſine diſcrimine incipias, cum laude atque præmio exitum ſortiuntur, neque periculum uſquam ſine periculo

culo declinatur: licet perſuaſiſſimum mihi ſit, ubi carceres, tormenta, morsque ipſa in procinctu ſunt, plus tibi metuendum eſſe, ne deſes opprimare, quam querendum, qua ratione ea declinare poſſis, ibi enim mala ſunt certiſſima, hic vero hactenus ambigua. Quoties, veſtram fidem obteſtor, querimonias veſtras & lamentationes, ob avaritiam ſuperiorum veſtrorum, atque magiſtratus injuſticiam, hiſce meis auribus haurire mihi contigit? jam vero tempus inſtare arbitremini, quo non ſaltem ab iſtis hominibus liberemini, verum etiam tanto intervallo ipſos poſt relinquatis, ut ipſi plus habeant, quod de vobis doleat, atque metuant, quam vobis ab ipſis exſpectandum deinceps ſit. Opportunitas illa, quæ ab occaſione nobis ſupeditatur, cito elabitur, fruſtraque, cum ſemel evolaverit, revocatur. An non præparationes adverſariorum oculis veſtris obverſantur? præveniemus ergo ipſorum conatus, neque dubitemus victoriam eorum fore, qui primi arma corripuerint, eamque multis ſummo honori, omnibus vero maximæ ſecuritati futuram.

Concitavit hæc oratio non mediocriter animos, jam dudum ſceleribus inquinatos atque inflammatos ut tandem ad arma convolandum eſſe poſtquam majorem ſociorum numerum nacti eſſent, uno ore decernerent ſacramentoque inter ipſos caverent, ut alii aliis auxilio eſſent, ſi qui forte à magiſtratu ad pœnam raperentur. Dum iſtiusmodi conſilia de Repub. occupanda ab his agitarentur, ejus rei indicium ad Dominos Reip. emanavit, à Simone namque quodam, ex conjuratorum numero quæſtioni ſubjecto, totius conjurationis edocti, proximum diem ſeditioni deſtinatum comperere.

Quo igitur domini præſentiſſimũ exitiũ declinarẽt omnia collegia, civesq; præterea ſingulos, qui unà cũ opificiorũ Sindicis, cõpoſitioni turbarũ incũbebant, in unum convocarunt: antequã vero hi omnes convenirent, die jam ad occaſum vergente, illi quidem, qui præſto erant, Dominis ſuaſere, ut conſules opifi-

cum quoque advocarentur, quibus omnibus cum admodum coadunatis placuit, ut omneis cataphracti confeſtim in urbem vocarentur, ſigniferique populi in craſtinum, ſuis militibus ſtipati, forum occuparent.

Moderabatur id temporis quo Simon eculeo ſubjiciebatur civesq; conveniebant, Palatii horologium. Nicolaus quidá de ſancto Friano oriundus, qui quidẽ re omni curioſius explorata, omnem viciniam, domũ reverſus, excitavit, adeo ut confeſtim forũ ad S. ſpitum armati plus mille occuparent: atque hic quidem motus reliquos conjuratos non latuit, eam ob rem etiam illi, forum ad S. Petrum majorem, & ad S. Laurentium (jam antea hanc ad rem deſtinatum) armati inſedere. Neq; tamen interea, licet jam illuxiſſet dies (is erat XXI. Julii) ultra octoginta cataphracti pro Dominis ad Palatium ſtabant, ſignorum vero nullum hactenus comparuerat, ſiquidem omnes ſibi ipſis metuentes, proprias ædes tueri malebant.

Nova ſeditio.

Primi ex plebe illi, qui ad S. Petrum convenerant, ad Palatium perrexere, ad quorum conſpectum cataphracti nihil moverunt: poſt hos omnis reliqua turba ibidem comparuit. Poſtquam ergo hi neminem, qui reſiſteret, obvium haberent mox truci minacique voce, eos, qui in vincula à Domino conjecti erant, repetivere, atq; cum minis nihil ſe efficere animadverterent, ædes Ludoici Guicciardini, igne injecto, cremavêre, quo quidem facinore, Dominis atrociora metuentibus, captivos obtinuere.

Hæc ergo adepti, Signifero juſticiæ, vexillum primarium eripuere, eoq; ſigno inflati multorum civiũ ædes igne abſumpſere, in eos potiſſimũ ſævi, quos vel publicũ vel privatũ odiũ premeret, quin etiá nõ defuere, qui privatarum injuriarum cauſa, hanc efferatá turbam, ad inimicorum ędes devaſtandas provocarẽt, ſiquidem vel ſola vox, in vulgus emiſſa, aut ſignũ, ad hanc vel illam domum converſum, exitio præſentiſſimo erat. Abſumptæ illo incendio, omnes rationes libriq;, etiam illi qui Lanificos ſpectabant. Multis jam malis

malis perpetratis, quo tandem etiam aliquid laude dignum molirentur, Salveſtrum Mediceum, pluriſque civium alios, quorum numerus ad ſexaginta tres usque pertingebat, equeſtri dignitate ornavêre, in quorum etiam ordinem Benedictus Antoniusque Albertorum, Thomas Strozzius, aliique iſtius genii homines notati, licet non pauci eò inviti pertraherentur.

Neque hic ſilentio prætereundum, cenſeo, permultos eorum, quorum ædes devaſtatæ fuerant, eodem die, atque ab iisdem graſſatoribus, torque donatos fuiſſe, adeo propinquum nimirum injuriæ beneficium erat, quod quidem in Ludoico Guicciardino, juſticiæ ſignifero, conſpicuum fuit. Inter hos ergo motus Domini à Cataphractis, tum opificum præfectis, ſigniferisque ipſorum deſtituti perplexi conſternatique hærebant, ex ſignis ſiquidem nullum præter id cui Leoni aureo tum Vajo nomen erat, Giovencio delaſtufa, Joanneque Cambio ducibus hactenus comparuerat. Atque hæc etiam ipſa, in foro exiguum morata, cum nulla ſubſequi animadverterent, pedem paulatim retulere. Interea civium alii furibunda iſta multitudine conſpecta, Palatiumq; ipſum deſertum, intra ædes recluſi, ſalutem anxii operiebantur, alii turbam illam armatam ſequebantur, quo mixti, tam ſuis quam amicorum ædibus, eo felicius proſpicerent, qua quidem ratione, turba illa immenſum augeſcebat, Dominorum verò potentia imminutum ibat. Turbatum eo modo integrum diem, nocte verò increbreſcente, ad Palatium Domini Stephani, poſt fanum S. Bernabi itum. Erant conglobati ſeditioſorum ſex circiter millia, qui eadem nocte minis vexilla ab opificibus extorſere, poſteroque diluculo, cum ſigno juſticiæ, propriisque opificum vexillis, ad Palatium Poteſtatis, quem vocant, profecti, ab eoque excluſi, in id armata manu penetravere. Viſum tandem Dominis, poſtquam vi armata conatibus iſtis obviam ire minus poſſent, compoſitionem quandam tentare.

Popularis inconſtantia.

Vocatis igitur quatuor ex ſuo collegio, eos ad turbam illam, in Palatium Poteſtatis, quo animum ipſorum perciperent, ablegavere, qui quidem omnia à ducib. plebis, tribuumq; ſindicis, atq; civium aliis, jam deliberata atq; concluſa oſtendêre, eaq; placita, aſſumptis ſecum quatuor à plebe eam ad rem deputatis, ad Dominos retulere, ea ſic ſe habebant. Ne opificib. illis, qui lanam tractant, deinceps judex extraneus eſſet, ut tres novæ trib. cõſtituerentur, earumq; una tinctorũ & carminariorũ, altera tonſorũ, ſartorũ, atq; id generis hominũ, tertia extremæ plebis eſſet. Atq; ex his quidẽ recentiorib. tribubus, duo quot annis ad Rẽp. adminiſtrandã; ex reliquis verò quatuordecim minorib. claſsibus, tres peterentur: Ut Domini de ædibus, quo hæ novæ trib. convenire poſſent, mature proſpicerent: ut nemo hiſce opificiis addictus, intra bienniũ, ob æs alienũ, quod non quinquaginta Hũgaricos excederet, in jus vocari poſſet: ut Montes (quos vocant) uſuras omnes remitterent, ſolutione debiti contenti: ut omnes exules atque damnati reſtituerentur; ut omnes Admoniti ad dignitates revocarentur. His inſuper multa addita, quæ privatorũ cõmodum concernebant, viceq; verſa petitum, ut multi adverſariorum, tam in exilium agerentur, quam Admonerentur.

Plebis ſeditioſa poſtulata.

Quæ quidem placita, licet ſummæ ignominiæ Reip. cederent, atq; enormia eſſent, placuit tamen ea à Dominis, Collegis, conſilioq; populi, in deliberationem vocari. Quo autem omnia perfectionẽ ſuam adipiſcerentur, neceſſum erat, eadem in conſilio cõmunitatis adprobari, quod quidem in ſequentem diem (neque etenim duo conſilia eodem die convocari poterant) rejectum fuit: videbatur tamen tam tribubus, quam plebi ſatisfactum, pollicebantur ſiquidem, ſanctionibus iſtis promulgatis, ab omni turba quietum fore.

Poſtero verò mane, dum in conſilio communitatis hac de re ageretur, multitudo illa inconſtans, moræq; impatiens, ſub ſignis iterum in foro comparuit, idq; tam horrendis clamorib. atq; vociferationibus, ut ad eas Domini ipſi non mediocriter conſternarentur,

atque

atq; ex eorũ ordine, Guerriantes Marignuolus, metu potius,quam privatæ alicujus rei cauſa permotus, per gradus,tanquã portã obſeraturus,ſeſe fuga præcipiti domũ reciperet:neq; verò is ſeſe adeo clanculum ſubducere poterat,quin turbæ ipſius fuga innoteſceret;nulla tamẽ in ipſũ injuria profecta, præterquam quod inde conclamatum,omnes Reip.Domini Palatium dererent,niſi liberos ſuos trucidari, ædesque ignec remari mallent.

Has inter turbas, de placitis iſtis deliberatum, Dominiq; in conclavia ſua reverſi,fuerant, Conſiliarii vero in atrium deſcenderant, ibiq; de ſalute urbis ambigui attonitiq; hærebant, tantã nimirum tam turpitudinẽ effrænis multitudinis,quã ſive malitiã ſive metũ eorum animos occupaſſe,qui iſtã libidinẽ aut coercere, aut plane opprimere debebãt. Domini præterea ipſi tam quod ſe ab uno ſui ordinis deſertos quã à nullo civium vel auxilio vel conſilio adiutos experirentur, confuſi perturbatiq; deq; ſalute patriæ dubii conſpiciebantur.Ambigui itaq;,quid ſibi vel agendum vel omittendũ eſſet,dum hærerẽt, interim Thomas Strozzius,Benedictusq; Alberti,ſeu propria ambitione ducti, ea nimirum ratione Palatium occupari à ſe poſſe ſperantes,ſeu quod id ex ſalute Dominorũ arbitrarentur, ipſis authores fuere, ut inſaniæ iſtiusmodi populari cedere,atq, ſeſe in ædes ſuas privati recipere mallent. Quod verò iſtud conſilium ab iis proficiſceretur,qui ſeſe duces ſeditionis exhibuerant, eã ob rẽ Alamannus Acciaivolus, Nicolausq; de Bene, ex Dominorũ ordine,indignati,recuperatoq; paululum animo(licet jam reliqui in iſtud conſiliũ deſcendiſſent)reſponderũt,in ſua quidem poteſtate non eſſe, de reliquorum arbitrio diſponere,ſibi verò decretum, non prius locũ ſuũ deſerere, quã id per tempus liceat, nec alioquin niſi cum vita authoritatẽ neglecturos.

Atqui hæc ſententiarum diverſitas,tam Dominorũ metum, quam plebis iram eo amplius provocavit: adeo ut tandem Gonfalonerius, cui periculũ declinare,quam authoritatẽ turpiter proſtituere, ſatius erat, clietelæ Thomæ Stroz. ſeſe cõmitteret,à quo extra Pa-

Domini omnes magiſtratum deponere coguntur.

latium protractus, domumque conductus fuit. Hunc reliqui ſucceſsivè inſecuti omnes, ad ædes ſuas ſe receperunt. Ne igitur Alamannus Nicolausque audaces magis, quam prudentes haberentur, poſtquam ſe ab omnibus derelictos animadverterent, etiam ipſi ad ſua ſeſe receperunt, Palatiumque plebi, atque Octoviris militiæ præfectis (qui quidem magiſtratu nondum ſeſe abdicaverant) ceſſerunt

Geſtabat eo momento, quo plebs Palatium occuparet, juſtitiæ vexillum, carminator quidam Michael Landonius: Hic nudus pedibus, veſteque pauperrima indutus, per gradus Palatii auditorium Dominorum petiit, ibique ſubſiſtens, turbam, quæ ipſum eousque ſecuta erat, affatus, Cernitis inquit concives mei amantiſsimi, Palatium hoc, omnéque civitatem, in manibus veſtris eſſe, quid ergo deinceps faciendum cenſetis? Ad quæ uno ore acclamatum, velle ſe, ipſum ſigniferi primarii munus in ſe recipere, atque de univerſa Repub. pro ſuo arbitrio diſponere.

Carminator in Principem Reip. Flor.

Neque verò detrectavit id amplitudinis Michaël, ſagaci ſiquidem prudentique erat ingenio, naturæq; potius quam fortunæ obſtrictus. Civitatem itaque componendam, motusque ſedandos ratus, quo populum à ſe commodum amoveret, ſpatiumque rei adminiſtrandæ adipiſceretur, Nutum quendam, à Lapone Caſtilionechio olim lictorem ſcriptum, perveſtigari atque produci juſsit, cui quidem negotio perficiundo, major eorum pars, qui circum ipſum hærebant, digredi cœpit. Poſtmodum, ut imperium iſtud æquitate moderaretur, quod gratia adeptus eſſet, per præconem edici curavit, ne quiſquam deinceps vel incendiis vel rapinis nocumento eſſet, furcas in delinquentes ipſum ad forum conſtituens. Inde ad reformandum publicum ſtatum progreſſus, Sindicos tribuum numero ſuo ſubmovit, novosque in eorum locum ſubſtituit: Dominos omnes collegiaque abrogavit, officiorumque tabellas igne conſumſit. Interea temporis Nutus ille, à plebe deprehenſus,

Rempub. collapſam reſtit.

henſus, atque uno pede ad furcas illas affixus, omnium manibus expoſitus, parvo intervallo nil niſi pedem illum, reliquo corpore fruſtatim dilaniato, conſpiciendum reliquit.

Ex altero verò parte, octoviri illi (quod imperium urbis, ob diſceſſum Dominorum, ad ſe devolutum arbitrarentur) ad novos Dominos legendos jam deſcenderant, quod Michaël exploratum habens, mox eos Palatio excedere imperavit, univerſo orbi ſeſe probaturum inquiens, Florentiam ſua induſtria, absque ipſorum conſilio reſtitui poſſe. Convocatis poſtea tribuum ſindicis, ex plebe minuta quatuor Dominos, ex majoribus tribubus duos, ex minoribus itidem duos, ad Remp. adminiſtrandam lectos conſtituit. Novam præterea partitionem adgreſſus, omnem Remp. in tres partes diſtinxit, unam earum novis tribubus, alteram minoribus, tertiam majoribus tribuendo. In Salveſtrum Mediceum proventus officinarum ad Pontem veterem contulit, ſibi adminiſtrationem Empolianam ſumſit, multaque alia beneficia in eos, qui plebi favebant, congeſsit, tam quo eorum operam remuneraretur, quam ut eſſent, qui ipſum deinceps contra æmulos defenderent.

Videbatur interim plebi, Michaelem, in diſtribuendis muneribus publicis, erga majores ex populo nimium fuiſſe, neque tantam ſibi ſupereſſe partem, quanta ad gradum ſuum conſervandum atq; tuendum ſatis eſſet, eam ob rem priſtina temeritate concitati, iterum in arma ſeſe præcipitarunt, atque ſub ſignis in foro comparuerunt, tumultuariis vocibus flagitantes, ut Domini in coronam deſcenderent, ibique de rebus novis, ſecuritatem ipſorum concernentibus, deliberarent. Animadverſa à Michaële horum arrogantia, ne fortè eorum animos magis accenderet, ipſorum petitionibus neglectis, modum ſaltem, quo petitum progreſsi eſſent, reprehendere atque ut arma deponerent, hortari cœpit, nihil tum ipſis denegatum iri pollicitus, quod hac quidem via Dominis, citra præjudicium, ipſis elargiri integrum non

eſſet.

eſſet. Plebs verò id indignata, ad Palatium S. Mariæ novitiæ ſeſe proripuit, ibiq; imperium in octo primarios, additis aliis præterea officiis atq; miniſtris, contulit, atq; his honorem dignitatemq; magiſtratus exhibere cœpit.

Ergo urbs duos jam magiſtratus habebat, atq; à diverſis Principibus regebatur. Atq; hi quidem primarii conſtituerunt, ut ſemper octo viri, ex eorum, quæ ipſimet tractabant, opificiorũ genere, legerentur, iiq; cum Dominis Reip. Palatiũ inhabitarent, idq; omne, quod à Dominis decretum foret, confirmarent. Salveſtro præterea Mediceo, Michaeliq; Landoni omne id, quod antea in ipſos contulerant, ademerunt: multis ex ſuo ordine, de officiis aliisq; proventibus, quo dignitatem gradumq; ſuum tueri poſſent, proſpexerunt. His ita conſtitutis quo ſingula rata eſſent, per duos internuncios, à Dominis atq; conſiliis confirmari ea petierunt, minis inſuper additis, vi ea extorta fore, niſi ſponte ad ea ratihabenda deſcendiſſent. Atque legati quidem ſumma audacia, arrogantia verò longe indigniore, mandata ſua Dominis propoſuere, Landoniq; dignitatẽ ab ipſis in eum collatã, quamq; ingrate irreverenterq vicisſim ipſos habuerit, exprobravere: tandem etiam ad minas deſcendentes, Michaelem eo indignationis provocarunt, ut potius dignitatis ſuæ, quam priſtinæ conditionis memor, inſolitam iſtam temeritatem, inſueto etiam modo retundendam eſſe ſtatueret, evaginatoque quo cinctus erat gladio, in ipſos irrueret, graviterque ſaucios in vincula abduci imperaret.

Atque hic quidem caſus omnem plebem non mediocriter irritavit, adeo ut armata manu id conſequi ſe poſſe perſuaſa, quod citra arma obtineri non poterat, mox furibunda, ad Dominos opprimendos, proficiſceretur. Neque Michaeli eius rei dubio, deſidi eſſe libuit, ſed potius præveniendum, magisque ex dignitate ſua ratus, ſi ipſemet illos adgrederetur, quã ſi parietibus obſeptus obſideri ſeſe, atque tandem inſtar anteceſſorum ſuorum, cum ignominia Palatio expelli

expelli pateretur, magno coadunato civium eorum numero, qui errorem ſuum jam agnoſcere cœperant, equum inſiliens, multisq; armatis ſtipatus, ad S. Mariæ novellæ fanum iter inſtituit. Plebs quoq; eodem animo, fereq; eodem momento verſus Palatium moverat, ſed utrique diverſa via profecti, alii ab aliis aberrarunt. Michael eam ob rem ſubito regreſſus, jam forum occupatum, Palatiumque oppugnari perſpexit, ergo nihil ultra differendum ratus, turbam illam à tergo invadens, eam vicit & profligavit, partemque urbe ejecit, partem armis exuit, atque in latebras compulit.

Depugnato eum ad modum prælio, ſubito omnis urbs ad priſtinam tranquillitatem, unius Gonfalonerii virtute, rediit, qui quidem ingenio, prudentia, & bonitate, facile omnes id temporis cives anteibat, eamque ob rem dignißimus eſt, qui paucis illis adnumeretur, qui patriam ſuam beneficiis ſibi devinxiſſe memorantur. Quod ſi etenim, vel tantillum perverſi ambitiosive animi ipſum exſtimulaſſet, jã de libertate urbis conclamatum, eaque majori tyrannidi expoſita fuiſſet, quam quæ tempore Ducis Athenienſis eã exercuerat. Verum integritas viri paſſa non eſt ut quidquam à communi bono alienum animum ipſius occuparet, eiusq; prudentia eò rem deduxit, ut partim cives ipſi obſequerentur, partim refractarii armis profligarentur. *Priſtinam tranquillitatem revocat.*

Quæ quidem eum ad modum geſta, non modo plebem perculerunt, ſed etiam melioribus opificum oculos aperuerunt, ut jam non difficulter animadverterent, quam turpiter ab ijs peccaretur, qui poſt profligatam potentiorum ſuperbiã putidißimæ plebi ſeſe ſubmittere non erubeſcerent. Nam eo, quo Michaeli parta fuit victoria tempore, jam novi magiſtratus electi erant, eorumque duo tam abjectæ infamisque conditionis urna exierant, ut vel inde populo deſiderium, tam inſignis turpitudinis procul amovendæ, creſceret.

Cum igitur ad diem Septembris primum, officia ineunte

ineunte novo Magiſtratu, forū armatis plenū conſpiceretur, vix pedē priſtini Domini Palatio extulerant, quin magno conatu inter armatos vox erumperet, nolle ſe quenquá ex infima plebe inter Dominos adſciri, quo quidē factum eſt, ut à Dominis, qui populo ſatisfactū cupiebant, bini illi, quarum alter Trias, Baroccius alter nominabatur, à re gerenda ſubmoverentur, inq; eorū vicem, Georgius Scalius Franciſcusq; de Michaëlis legerentur. Abrogatæ præterea tribus infimæ plebis, eosque qui ex his officia adepti erant, Landone, Ludoico Puccio, atque quibusdam melioris notæ exceptis, iisdem mulctarunt. Munia publica inſuper in duas partes diviſa, earumque pars una majoribus, minoribus tribubus altera conceſſa. Dominorum verò ipſorum, quinque ex minoribus, quatuor vero ex majorib. claſsibus peti voluerunt, Gonfaloneri⁹ tandē modo ex his, modo ex illis legeretur.

Nova Reip. Florentinæ conſtitutio.

Atque hæc quidem eum ad modum conſtituta, id temporis tranquillitatem civitati reſtituerunt: licet verò res ipſa publica, è manibus infimæ plebis erepta eo modo fuiſſet, minorum tamen opificum claſſes, nihilominus potentia populares nobiles anteibant, quam ad rem nobilibus omnino deſcendendum fuit, quo nimirum infimæ plebi tanquam aliunde ipſis ſatisfactum eſſet, claſſes eriperentur, nec illis præterea ipſis hæc res diſplicebat, qui eorum potentiam labefactatam cupiebant, qui nomine Guelfarum partium, hactenus tot injuriis, maximam civium partem oppreſſerant. Quod ergo inter eos, quibus hæc nova Reip. conſtitutio placebat, Georgius Scalius, Benedictus Alberti, Salveſter Mediceus, Thomasq; Strozzius non contemnendam operam navaſſent, ij facile hac ratione vix non Principatum Reip. adepti fuere. hæc ergo has ad rationes compoſita, priſtina illa partium ſtudia, quæ inter populares nobiles, minoresq; opifices, ex ambitione Ricciorum atq; Albertorum, originem ſumpſerant, facile reſuſcitavere, quarum quidem partium alteram, quod maximæ hinc ſæpius mutationes exortæ, eamque ob rem earum crebra mentio

Exitiorum tædisque plena.

Novæ partes, popularis & plebeia.

mentio facienda ſit, popularem, plebeiam alteram deinceps nuncupabimus.

Stetit hæc regiminis ratio integrum triennium; multisque exiliis atque cædibus inſignis fuit, quod nimirum ij, qui Rempub. moderabantur, tam intra quam extra urbem, permultos male animo affectos animadverterent, eamq; ob rem ſuſpicionibus ſumopere paterent perſuaſum ſiquidem ipſis erat eos, qui in urbe malo animo degebant, indies res novas moliri: qui verò urbe arcebantur, quod nullo ii freno cohercerentur, modo Principum, modo Rerumpublicarum exterarum adminiculo, variis rationibus modisque undique moleſti gravesque erant.

Commorabatur id temporis apud Bononienſes, Giannozius Salernitanus, Caroli Durazzii, à Regibus Neapolitanis oriundi, dux belli celebris, ibiq; potiſsimum hærebat, quod à Papa Urbano, utpote Reginæ Neap. Joannæ hoſte, non exiguum momentum ad bellum, quod Reginæ Carolus parabat, inferendum ipſi exſpectaretur: degebant itidem Bononiæ permulti Florentinorũ exulum, qui tam ducem iſtũ quam Carolũ ipſum, ſtudioſiſsime ſectabantur, quod quidem iis, qui Reinpub. Florentinã id temporis administrabant, maximarum ſuſpicionum anſam exhibuit, adeò ut vel inde fides calumniis faciliùs adhiberetur, quibus ii petebantur, quorum animus ergà Rempub. jam antea dubius eſſet.

In tanta ergo animorum ſuſpenſione, ad magiſtratum delatum fuit, Giannozium illum Salernitanum cum copiis, magnoque exulum numero, urbi imminere atque eam opera eorum, qui in urbe ipſum proditorio animo exſpectabant, occupatum ire. Accuſati eius criminis inter primos Petrus Albizius, Carolusque Strozzius atq; poſt hos Cyprianus Mangionius, Iacobus Sacchettus, Donatus Barbadorius, Philippus Strozzius, Joannesq; Anſhelm9, omnesq; in vincula (Carolo Strozzio excepto, qui fuga ſaluti ſuæ conſuluit,) conjecti, Thomas inde Strozzius, Benedictusq; Alberti ad tutelã urbis, ne quis forte in iſtorũ gratiam

Inſontes vi publica ad ſupplicium rapti.

moveret, cum copiis deſignati. Examini ſubjecti nihil eorum, cujus inſimulati rei fuerant, compertum, dum verò Capitaneus in eos ſententiam ferre dubitaret, adverſarii ipſorum, concitato populo, tanta rabie inſiſtere in eorũ necem perrexerunt, ut tandẽ neceſsitate adacti judices, in eorum exitium conſentiret.

Neq; vero Petro Albizio vel antiqua nobilitas, vel priſtinæ dignitates, ſummaq; qua pollebat authoritas, quidquã ibi profuere, quæ quidem in tantum exiſtimationis culmẽ ipſum evexerant, ut nõ adeo multo, ante eam calamitatem, tempore, dum ipſe amicos convivio ſplendidiſsimo excepiſſet, quidam vel veri amici munere defungi, ipſumq; humanitatis commonefieri, vel certe inimicum animum ſuum teſtari, volubilitatemq; fortunæ ipſi obijcere cupiens, obbam hipotrimmatis, quæ clavum occultabant refertã, ipſi obtuli curaverit, qui quidem adapertus, à convivis in eam ſententiam acceptus interpretatusque fuit, monere illum, ut rotam volubilem fortunæ illo configeret, fieri alioquin non poſſe, poſtquam illa ad culmen ſupremum ipſum jam evexiſſet, quin periodo innixa, tandem ad imum ipſum ſit præcipitatura: quod quidem præſagium, primo ab ipſius declinatione, poſtmodum etiam morte comprobatum fuit.

Fortunæ inconſtantia.

Ab his ergo cædibus urbs eò magis angi, tamque à victis quam victoribus, magnum aliquod malum timeri cœpit, metus tamen eorum, qui Rempub. adminiſtrabant, omnium peſsimos produxerat fructus, utpote penes quos vel minimum momentum ad novas injurias, admonitiones, exilia, cædesq; ſatis valebat. Quibus præterea novæ leges accedebant, quas ſubinde, ad conditionem ſuam ſtabiliendam, Domini comminiſcebantur, quæ quidem ſingula ad eorum iniuriã vergebant, qui ipſorũ partibus quoquomodo ſuſpecti erant, in quos inſuper XLVI. viros conſtituerunt, quorum eſſet, Rempub. à ſuſpectis civibus purgare. Atq; illi quidẽ XXXIX. cives admonitione notarunt, multos prӕterea popularium in nobiliũ, nobiliũ vero alios in popularium claſſes tranſcripſerunt. Quo verò ab externis inſidiis munitiores eſſent,

Joannem Agutum Anglum, belli Ducem celeberrimum, quod antea Papæ, aliisq; Italis, egregie operam ſuam navaſſet, ad ſtipendia ſua vocarunt. Quod autem ab externa vi ſibi metuerent, id inde originem traxit, quod undiq; copiæ pro Carolo Durazzio, cui decretum erat Regnum Neapolitanum occupare, colligerentur, quibus, ut fama ferebat, multi Florentinorum exulum adhærebant, cui quidem diſcrimini, præter copias jam collectas, Florentini inſuper magna argenti vi obviam iverunt: atq; à Carolo, Aretiū uſque cum copiis progreſſo, XL millibus Hungaricis pacem compararunt, cum verò is paulo poſt regnum Neapolitanum felici ſucceſſu occupaſſet, Joannamq; Reginam in Hungariam cuſtodiæ mandaſſet, novæ inde ſuſpiciones, Reipub. Florentinæ moderatorū animos exſtimularunt, utpote quibus perſuaderi non poſſet, pecuniam ſuam plus apud animū Regis, quàm antiquam cum Guelphis, tam ignominiosè à ſe oppreſsis, amicitiam valere.

Atq; harum quidem ſuſpicionum augmenta, etiā injurias accreſcebant, quæ tamen non modo eas non extinguebant, ſed potius augebant. Qui præterea ſumma inſolentia Georgii Scalii, Tomæq; Strozzii accedebant, utpote qui authoritate ſua magiſtratum ipſum anteverterent, omnesq; ſibi metuerent, ne ab ipſis plebis auxilio opprimerentur: adeo ut non ſaltē bonis civibus, ſed etiam ſeditioſis, adminiſtratio illa in tyrannidem abire videretur.

Poſtquam verò in fatis eſſet, inſolentiam illam Georgii Scalii, tandem periodum ſuū abſolvere, accidit forte, ut Joannes Cambius, à quodam Scalii familiari, proditionis accuſaretur, cujus tamē innocentia mox abundè patuit: Judici eam ob rem viſum, pœnam talionis in accuſatorē ferre, neque vero Scalio licuit, ſeu precibus ſeu authoritate ſua, illum à ſententia dimovere: aſſumpto igitur ſecum Thoma Strozzio, armata manu eum è vinculis eripuit, Palatium inſuper Capitanei diripuit, ipſumq; Capitaneum latebris ſaluti ſuę proſpicere adegit. Quo quidē facinore, *Facinoroſus vi publicâ ſupplicio ereptus.*

tantum univerſæ urbis odium in ſe concitavit, ut inimicis ipſius commodũ videretur, non modo ea occaſione Rempub. è manibus eius extorqueri, ſed etiam plebi eandem eripi poſſe, à qua nimirũ integrum triennium, ſub huius inſolentia, oppreſſa fuerat. Cui rei Capitaneus nõ parum momenti contulit, utpote qui tumultu jam remittente, ad Dominos confugiens, hunc in modum locutus ſit. Non invitum ſe quidem id muneris, cui præficere ſeſe Dominis placuerit ſubiiſſe, quod nimirum ſibi perſuaſum fuerit, hominibus ſe juſtitię amantibus obſtrictum eſſe, & qui armis ſuis pro tuendis, non evertendis legibus uterentur. Poſtquam verò rationẽ iſtius regiminis, tam videre, quàm experiri ipſi obtigerit, non invitũ ſe dignitatem illam, quam utilitatis atq; honoris cauſa ſuſcepiſſet, ad evitandum diſcrimen atq; detrimentũ in manu ipſorum reponere.

Non deſtitere Domini Capitaneo animum addere, ipſiq; tam reſtitutionem in integrũ, quam defenſionẽ in poſterũ offerre atq; polliceri. Horum itaque pars, convocatis clam iis civibus, quos bonum publicum promotum cupere, minusq; ſuſpectos arbitrabantur, conſtituerunt, opportunius nunquã adminiſtrationẽ Reip. Georgio Scalio, plebiq; eripi poſſe, poſteaquã fere univerſus populus, ob facinus iſtud inſolentiſſimũ, animo jam alieniore ab ipſo cõſpiciatur, occaſione itaq; ea commodũ utendum, antequã odia illa refrigeſcerent. Neq; etenim erant neſcii, *auram illam populareni, minimo quovis momento, ut acquirere, ſic etiam amittere haud difficile eſſe.* Quo verò facilius conatus ſuos effectum darent, è re ſua futurum opinati ſunt, ſi Benedictum Alberti in partes ſuas pertraherent, ſine cuius aſſenſu, rem diſcriminis plenam judicabant.

Erat Benedictus ille locupletiſsimus, humanus pariter ac ſeverus, patriæ, eiusq; libertatis amans, cuiq; Tyrannis maximopere diſplicebat, adeo ut non magna opera ipſum ſuum facerent, utq; in ruinam Scalii conſentiret perſuaderent: ſiquidem nõ aliam ob cauſam, à nobilib⁹ popularibus, partibusq; Guelfis, antea

ſucceſſe-

ſeceſſerat,plebiq; ſeſe conjunxerat,quam quod iſtorū inſolentiam atq; Tyrannidem averſaretur, poſtquam igitur animadvertiſſet, principes plebis iiſdē veſtigiis inſiſtere,jam dudum eoſdem neglexerat, atque in injurias illas, civibus illatas, minime conſenſerat, adeo ut eædem planè rationes,quæ ipſum plebi conciliaverant,eum ab iiſdem tandem alienarent.

Igitur Benedicto,artiumq; præfectis in ſuas partes traductis,armisque comparatis Georgius in vincula conjectus, poſteroq; diluculo capitis mulctatus fuit, idq; tanto cum partium ſuarum terrore,ut nemo in eius gratiam quidquam moverat,ſed potius quilibet, quantum poſſet,ad ipſius exitiū conferret: Strozzius vero fuga ſibi conſuluit. Atque ille quidem, cum ſibi corâm eo populo moriendum cerneret, à quo paulo ante vix non adoratus fuerat,tam de iniqua ſua ſorte, quam civium malitia ſummopere conquerebatur, quibus circumventus, iſtiuſmodi nimirum multitudinem favore ſtudioque proſequi coactus fuiſſet, in qua nec fides,nec gratitudo,repperiri poſſet.Poſtmodum Benedictū Alberti inter armatos conſpiciens dixit: Et tu Benedicte pateris, ut hæc iniuria in me proficiſcatur,quá ego tibi inferri, ſi tuo loco conſiſterem, nullo modo permitterem? Verum hoc tibi dictū eſto, hunc diem extremum malorum meorum, exordium verò tuorum eſſe. Tandem ſecum ipſe expoſtulando, quod in iſtiusmodi populū recubuiſſet, quē quælibet vox, quævis actio, quævis ſuſpicio movere, atq; corrumpere ſolita ſit, inter medios inimicos, mortemq; ipſius hilari vultu ſpectantes,vitam depoſuit. Ab eius nece permulti alii, quorum ipſe ſtudiis creverat, extincti, atque à populo dilaniati fuere. *Georgij Scalij mors.*

Atq; hic quidem caſus univerſam civitatē turbavit, ſiquidem ad eius necem,permulti armis ſeſe munlverant,quo tam Dominis, quam Capitaneo ſubſidio eſſent, alii vel ex ambitione, vel ſuſpicionibus indulgentes, idem egerant, atq; pro variis humoribus, qui civitatem agitabant, quilibet diverſos fines ſibi propoſitos habebant, eosq; conſecuturos ſeſe, priusquā

arma deponeretur, ſinguli ſperabant. Siquidem illi, qui ex antiqua nobilitate ſupererant, quos Magnos & potentiores vocavimus, dignitatibus ſe arceri, ferre non poterant, iisq; recuperandis, omni ſtudio conatuq; invigilabant, eamque ob rem, ut Capitaneis partium ſua authoritas recuperaretur, ſummopere deſiderabant. Nobilibus vero popularibus, majoribusq; tribubus dolebat, minoribus claſsibus plebique ad Rempub. viam patere: contra verò artes minores, potentiam ſuã non modo minime imminutã, ſed potius auctam cupiebant, plebs verò infima, collegiis ſuis excidere metuebat: quæ quidem ſtudiorum diverſitas, intra anni terminum, multis motibus anſam ſuppeditavit, dum modo antiqui nobiles, modo majores, modo minores tribus, quibus plebs ſeſe conjungebat, armati turbarent, adeo ut ſæpius uno eodemq; tempore, quævis harũ partiũ, atque univerſa urbs armata conſpiceretur, ſępiusq; illæ, tã inter ſeſe, quã cũ Palatii excubitoribus pugnarent, ſiquidẽ Domini, aliquando cedendo, aliquando pugnando, pro ut res ferebat, quo melius poterant modo, diſcrimini obvi: m ibant.

Nova Reip. conſtitutio, exulumq́. reſtitutio. Tandem poſt duos univerſorum civium conventus, parlamenta vocant, multasque Dictaturas, quas Balias ſupra appellavimus, ad quæ pro reſtituenda Repub. deſcenderãt, poſtq; infinitos labores, damna, clades atq; diſcrimina, iſtiusmodi Reipub. conſtitutio adinventa fuit, qua omnes illi, qui poſt Salveſtri Medicei moderatum juſtitiæ vexillum, in exilium miſsi erant, patriæ reſtituerentur. Stipendia, præmiaq; iis omnibus adempta, qui à Dictatura anni LXXVIII in illum uſq; diem ea obtinuerant, Guelfis partibus dignitates reſtitutæ, tribus duæ recentiores antiquatæ, eæq; priſtinis claſsibus permixtæ: opificibus minoribus vexillum juſtitiæ excuſſum, iisq; tertia pars dignitatum conceſſa, cũ antea dimidiam occuparent, atque etiam inter has, amplioribus ipſis interdictum: qua quidem ratione, partes populariter nobilium & Guelforũ, ad adminiſtrandã Rempub. deturbata inde plebe, denuo conſcendebant. Poſtquã plebs illã ab anno LXXVIII ad annũ uſq; LXXX I occupaviſſet,

Neq; interim hæc recens, Reip. conſtitutio, minus gravis atq; injuria, ſub exordium, civib. fuit, quam illi plebem experti eſſent. Multi ſiquidem nobiliũ populariũ, qui ejus regiminis duces exſtiterãt, magno cum numero plebeiorũ ducũ, in exilium acti: Inter quos etiam Michaël Lãdonius pulſus, quẽ ſumma in patriam collata beneficia, cum plebs urbem furibunda depopularetur, ab injuria iſta vendicare, apud partẽ adverſã, non poterat. Ingratã igitur patriã, pro ſuis meritis, etiam ipſum experiri contigit. *Qua quidem in re poſtquã permulti Principũ Rerumq́ pub. peccare ſoleãt, inde evenire liquet, ut homines, tot eventib. edocti atq; perterrefacti, antequã Principũ injuriã experiãtur, eosdẽ potius offendant.* *Ingrata patria.*

Diſplicebat vero iſtiusmodi adminiſtratio, non minus quã hactenus ſemper, Benedicto Alberti, inq; eã tam publice quam privatim invehebatur: qua quidẽ in re Principes Reip. ipſum metuebant, quod nimirũ ipſum plebi amiciſsimũ inde arbitrarentur, ſibiq; perſuasũ haberent, ipſum, non quod vita Georgii Scalii ſibi diſplicuiſſet, ſed potius quo ipſe ſólus adminiſtratione potiretur, in ejus necem conſenſiſſe, cui quidẽ ſuſpicioni, exprobrationes ipſius, non parum faces ſubminiſtrabant, adeo ut omnium eorum, qui potiores partes tenebant, oculi in ipſum converſi eſſent, quanam nimirum ratione tandem everti poſſet.

In urbe, dũ eum ad modũ degeretur, quæ extra ſucceſſerunt, non adeo magni momenti fuerunt, ſiquidẽ earum una plus ad metum, quam ad nocumentum valuit Venerat nimirum eo tempore in Italiam, cum exercitu, Ludoicus Andegavenſis, quo Reginam Joannam in regnum reſtitueret, Carolumq; Durazziũ eo exturbaret. Ea profectio non mediocriter Florentinos perculit, ſiquidem tam Carolus, ex priſtinæ amicitiæ neceſsitudine, auxilia ab ipſis flagitabat, quã Ludoicus, pro more eorum, qui nova fœdera ambiunt, ut neutram partem foverent, ſollicite querebat. Florentini ergo, quo Ludoico, tanquam gratificaturi, ucũ facerent, eademq; via Carolo auxilia ſuppedarent, Joannẽ Agutum à ſtipendiis ſuis removerant, *Ludoicus Andius in Italiam trajicit.*

eumque Papa Urbanus, Caroli amicus, conduxerat, quod quidem conſilium, facile à Ludoico depræhenſum, injuriæ ſummæ loco apud ipſum habitum fuit.

Poſtquam verò bello, inter Carolum & Ludovicū, in longius, apud Apulos, protracto, novæ copiæ ex Gallia Ludovico adventarent, fuêre illæ, ab exulibus Aretinis Aretium cōductæ, eoq; occupato, pars, quæ Carolum ibi ſequebatur, inde exacta. Jam ergo de Florentinorum Rep. idē molientibus, ſucceſſit mors Ludoici, resq; in Apulia atq; Tuſcia, ea cum fortuna, pariter ſtatū ſuum immutarunt, Carolusq; Regno jam penè exutus, id non ægrè ſibi obtinuit: Florentini etiam ipſi qui de defendenda urbe ambigui fuerant, Aretium ſibi vendicavere. Ab iis ſiquidem, qui pro Ludoico iſtud occupaverant, pretio numerato id compararunt.

In ipſa victoria moritur.

Carolus igitur, de Regno jam ſecurior, Hungariā petiit, eam, hæreditario jure ad ipſum delatam, occupaturus, relicta interim in Apulia cōjuge, & Ladiſlao, Joánaq; liberis tenellis, ut ſuo loco copioſius diſſeruimus. Obtinuit Carolus Hungariā, ſed paulo poſt ibi occubuit. victoria illa à Florentinis, maximo cū apparatu, ſplendore, atq; lætitia, tam publicè quā privatim celebrata fuit, qua quidē in re, magnificentiā urbis animadvertere licuit, quod permultæ familiarum, publicum ſplendore atq; apparatu æmularentur, earum tamen una Albertorū, reliquas omnes pompa faſtuque anteiret: ſiquidē armati aliiq; ludi, ab ipſis exhibiti, non privatorū, ſed Principe viro digni erant. Quod quidem invidiæ in ipſos priſtinæ, non parū momenti contulit, quibus ſuſpicio illa, quæ publici ratione, Benedictum Albertum premebat, inſuper acceſsit, ipſiusq; exitium tandē provocavit. Illi enim, qui Remp. moderabantur, æquis animis illum ferre non ſuſtinebant, utpote qui ſibi perſuaſum haberent, quodvis vel leviſſimum momentum, ipſum priſtinæ authoritati, partium ſuarum opera, reſtituere poſſe, quod ipſis præſentiſsimo exitio futurum erat.

Carolus Durazzius Hungariam occupat.

Lætitia eam ob rem Flor. publica & privata.

Magno, invidia.

Dum itaque hunc ad modum ambigui hærerent,

ipſeque

Ipſeque vexillum claſſium id temporis gereret, accidit forte, ut Philippus Magallotius, ejus gener ſorte in ſigniferū juſtitiæ vocaretur, quod quidē Principibus Reip. metum non mediocriter augebat, utpote quib. videretur, ea ratione potentiā Benedicti, in cū diſcrimine Reip. non cōtemnendo, nimiū excreviſſe. Quo igitur huic periculo, citra ſeditionem, obviam irent, eam ob rem Beſo Magallotio, ipſius rivali, atq; etiam hoſti, authores fuerunt, ut temporis ratione Philippum, ad eam dignitatem adminiſtrandam inhabilem eſſe aſſereret. *Præcipuo authori exitioſo.*

Examinato accuratius à Dominis iſto negotio, decretum fuit, partim odio, partim ut diſcrimen averterent, Philippum ad id munus inhabilem eſſe, lectusq; in ejus locum Bardus Mancinius, vir plebeis partibus plane infenſus, atq; Benedicto inprimis infeſtiſſimus. Qui quidem, mox adepto Magiſtratu, ad Dictaturam progreſſus, ejus opera, dum de Rep. conſtituenda ageretur, Benedictum Alberti in exilium egit, omnemq; reliquā familiā, uno Antonio præterito, admonitione notavit. *Exilii causa.*

Convocavit ante abitum Benedictus omnes, quotquot habuerat, amicos, eosq; mœſtos atq; lachrymis madidos ſic affat⁹ eſt. Videtis patres, amiciq; mei, qua ratione fatum tam me oppreſſerit, quam vobis minari cœperit, quod quidem neq; ego miror, nec etiam vos ipſos mirari velim, ſiquidem iſtiusmodi fortuna, ut plurimū eos conſectari ſolet, qui inter plurimos ſceleſtos, boni eſſe, tum eos ſuſtinere cupiunt, quos major pars oppreſſos velit. Amor meus erga patriā, Salveſtri Medicæi amicitiā me expetere, poſtea etiam Georgii Scalii amicitiā deſerere fecit: idem me cōpulit, ut mores eorū, qui nunc Remp. moderātur, averſarer, qui quidē, cum neminem habeant, qui ipſos caſtiget, etiam eum, qui ipſos repræhendat, ferre nequeunt. Neque ædepol exilio meo, ipſos metu iſto liberare abnuo, quem non ſaltem de me uno, ſed etiam de reliquis omnibus conceperunt, quos vitam ipſorum, Tyrannidis plenam ſceleſtamque, exploratam habe- *Benedicti Alberti oratio ad amicos.*

re animadvertunt, atque meo exilio, idem ipſis eſſe dictum cupiunt. Meæ quidem fortunæ, quod me pœniteat, nihil reperio, ſiquidem eas dignitates, quas patria in libertate conſtituta, in me contulit, ea, quæ ſervitute opprimitur, mihi eripere nequit, animumque meum, memoria anteactæ vitæ, potius recreabit, quã infelicitas exilii mei, iſtum labefactare unquã queat. Hoc verò potius doleo, quod patriam meam prædæ avaritiæ, & ſuperbiæ, paucorũ expoſitam deſeram: Doleo præterea veſtram vicem, metuo ſiquidem, ne mala illa, quæ hodie in me deſinunt, atque in vobis initium ſumunt, majore conatu atque calamitate deinceps vos, quam meipſum, perſequantur. Hortor itaque vos, ut animos veſtros, ad omnes fortunæ caſus, mature præmuniatis, ſicque vos moderemini, ut ſi quando adverſa vobis obtigerint (neque etenim pauca vos manent) facile quisque arbitrari queat, ea nulla veſtra culpa vobis accidiſſe.

His ita conſtitutis, ne minorem integritatis famam extra, quam intra urbem, poſt ſe relinqueret, ad ſepulchrum Chriſti profectionem inſtituit, unde reverſus, apud Rhodios vitam depoſuit, ejusque reliquiæ Florentiam reportatæ, ſummoq; cum honore ab iis reconditæ fuerunt, qui vivum, omnis generis calumniis atq; injuriis, oppreſſerant.

Neque iſta calamitas familiam modo Albertorum perculit, ſed præter hos, permulti civium, alii exilio mulctati fuere, in quibus recenſentur Petrus Beninius, Mattheus Alderotius, Joannes Franciſcusque de Bene, Joannes Bencius, Andreas Adimarius, unaque cum his, ingens minorum opificum numerus. Inter admonitione notatos fuere, Conones, Beninii, Rinuccii, Formicones, Corbizii, Maneglii, & Alderotii.

Moris erat, Dictaturam ad tempus præſtitutum conferre, interim tamen ij, qui eam ad rem lecti fuerant, poſtquam id, cujus nomine vocati eſſent, peregiſſent, honeſtatis gratia, licet tempus nondum

nondum exſpiraſſet, Dictaturam deponebant. Igitur etiam hoc tempore ij, ad quos Balia pervenerat, cum ſe officio ſatisfeciſſe arbitrarentur, eam deponere cupiebant: id à multis intellectum, in cauſa fuit, ut magna armatorum copia ad Palatiū confluerent, multosq; admonitione exilioq; priusquā officio abſcederent, mulctari, peteret. Diſplicuit ea res ſummopere Reip. Principibus, ne tamen rectâ obviā irent tantisper ſpe atq; pollicitationib. turbam iſtam lactarunt, donec armatis & ipſi ſtipati, ductore metu id remitti impetrarent, quod furore petitum fuerat. Quo vero aliqua ex parte, humore iſto noxio, urbem repurgarent, opificumq; plebeiorum authoritatem amplius labefactarent, cōſtituerunt, ut his quarta demum pars dignitatū pateret, cum antea tertiā obtinuiſsēt: porro, quo ſemper duo, ad minimū, ex Principibus eſſent, in quos Resp. eum ad modum conſtituta, ſecure recūberet, eam ad rem Gonfalonerio juſticiæ, quatuorq; præterea civibus, poteſtatem dedere, ut Electorum Catalogum conſcriberent, ex quibus bini quotannis deinceps ad Remp. ſorte optarentur.

Alia Reip. Florentinæ diſpoſitio.

Re ergo publica, poſt ſexennium, hunc ad modum cōpoſita, urbs ab anno LXXXI. ad XC. usq; tertium intus ſatis tranquille habuit. Quo quidem tempore, Joānes Galeazius Viſcontius, alioquin Comes virtutū nuncupatus, patruū ſuū Bernabū in vincula conjecit, eaq; ratione univerſa Longobardia potitus eſt, ſibiq; perſuaſum inde habuit, poſſe ſe aperto Marte, Imperium univerſæ Italiæ, ſibi pari facilitate comparare, ut fraude Ducatum Mediolanenſem occupaverat. Eam ob rem, anno XC. Florentinis graviſsimum bellum intulit, quod quidem adeo variis ſucceſsibus adminiſtratum utrinque fuit, ut Dux non minus aliquando de ſumma, ac ipſi Florentini, periclitaretur, quos tamen manifeſtū exitium, niſi Dux morte præventus fuiſſet, manebat: nihiloſecius magnis animis, atque ultra Rei alicuius publicæ vires, ſeſe defendebant, adeo, ut belli exitus minus gravis eſſet, quam ejus initium terrori exſtitiſſet: Siquidem eo,

Jo. Galeazius Viſcontius Longobardiæ Princeps bellicoſus.

quo

quo Dux Bononiam, Piſas, Peruſium, Senasque occupaverat tempore, atque diadema Florentiæ ſibi ſumere propediem ſperaret ipſe vitam cum morte commutavit, adeo ut nec ipſi licuerit, fructum præteritarum victoriarum degustare, nec Florentinis, magnitudinem cladis ſuæ, ſatis pro re æſtimare. Interea, quo hoc bellum gerebatur, tempore Gonfalonerii munus Maſo Albizius obtinuit, quem ab Albertis mors Petri abalienaverat, neque dum eousque partium ſtudia penitus refrixerant. Eam ob rem, licet Benedictus in exilio diem jam ſupremum egiſſet, hic conſilia iniit, qua ratione, antequam munere ſuo defungeretur, etiam in reliquos Albertorum vindictam exercere poſſet.

In fata concedit.

Nactus ergo quendam, qui cum exulibus in Remp. conſpiraſſe ferebatur, queſtioni eum ſubjecit, atque Albertum Andreamque Albertos, ab eo indicatos, mox in vincula conjici curavit, quod quidem omnem civitatem turbavit, adeo ut Principes, coadunato milite atque ad concionem convocato populo, Dictaturam repeterent, quarum opera multi civium in exilium pulſi, novæque ſortitiones officiorum factæ. Inter exules fuere, omnes propemodum Albertorum, multi præterea opificum tam notati, quam vita ſpoliati. Ob tot, tamque atroces ergo injurias, à claſſibus opificum atque plebe tumultuari tandem cœptum, ut pote quibus videbatur, non modo ſe dignitatibus, ſed vita perinde ipſa privari. Pars horum ad Palatii forum ſubſtitit, pars vero ad ædes Veri Medicei deflexit, qui quidem, ab obitu Salveſtri Medicei, ejus familiæ primus habebatur. Illos ergo, qui ad Palatium ſubſtiterant, ut Reip. Principes commodum diſtinerent, ipſis Rinaldum Gianfiliazium Donatumque Acciaivolum, tanquam omnium plebi acceptiſſimos, una cum ſignis Guelfarum populique partium præfecere. Hi vero qui ad Verum confluxerant, eam obnixe rogarunt, ut Rempub. moderandam in ſe recipere, Tyrannidemque eorum civium, qui bonum, bonosque ipſos, ſubverterent, à cervicibus ipſorum amoliri dignaretur. Conve-

Nova Florētiæ ſeditio.

Veri Medicei continentia & conſtantia.

Conveniunt omnes, quot quot eorum temporum memoriam poſt ſe reliquere. Verum, ſi plus ambitioni, quam integritati tribuere voluiſſet, facile Principatum totius Reipub. in ſe transferre, ea occaſione, potuiſſe: Atrociſſimæ ſiquidem injuriæ, quæ per fas nefasque claſſibus, earumque fautoribus, illatæ fuerant, adeo omnium animos ad vindictam exſtimulaverant, ut nil niſi dux, ad amoliendã tyrãnidẽ iſtã, ipſis deeſſet. Neq; defuere, qui Vero, quidnã poſſet, exponerẽt, Antonius ſiquidẽ Medicus, qui diu inimicitias cum ipſo exercuerat, ut Rempub. ſubiret, ipſum multis exhortatus eſt, ad quæ Verus ſic reſpondiſſe fertur. Minæ tuæ, dum mihi adhuc adverſareris, nunquam me exterruerunt, neque adeo modo, dum mihi amicus es, conſilia tua, quidquam mihi damni parturient. Inde ad populum converſus, bono eos animo eſſe juſſit, patrocinium ſe ipſorum ſuſcepturum, modo ſeſe moderari paterentur,

Profectus ergo cum ipſis ad Palatium, hoc modo Principes alloqui cœpit. Non ſibi vel minimũ dolendum eſſe, quod eã quidem ratione hactenus vitam egerit, qua à Populo Florentino ſe armari promeritus ſit, id potius ſe dolere, iſtiusmodi inde judicium de ſe natum, quod in ipſum convenire minime queat: nam poſtquam ſuſpicionem, vel irrequieti vel ambitioſi, de ſe exhibuerit, nunquam, neſcire plane ſeſe, qua ratione factum ſit, ut vel patronus irrequietorum, vel Reipub. cupidus ambitioſusve, haberi potuerit. Rogare ergo ſeſe Dominos, ne inſcitia plebis, ſibi nocumento ſit, nam quoad ipſum, quamprimum id per occaſionẽ licuerit, ſe in ipſorũ manus ultro ſeſe conſtituiſſe. Monitos tamen ſe cupere, ut potius mediocri victoria, civitate ſalva, contenti eſſe, quam ſi integrã perſequantur, eam in diſcrimen præcipitare malint. *Eius oratio pro civibus oppreſſis.*

Fuit hæc integritas Veri, ſummopere à Dominis laudata, rogatusque, ut populo ab armis diſcedere ſuaderet, non defuturos poſtmodum ſeſe iis quæ ab ipſo, aliisve civibus ſalutaria ipſis ſuppeditari poſſent. Verſus inde cum ſua turba ad eos, qui à Rinaldo Do-

natoque

natoque ducebantur, hos illis immiſcuit, dixitque, ſe Dominos optime affectos offendiſſe, multaq; pro ipſorum cōmodo in deliberationem vocata, verum ob temporis anguſtiam, nondum determinata fuiſſe. Rogare interim, ab armis diſcederēt, Dominisq; morem gererent, fidem ſuam ſtipulatus, dimiſſione plus quam ſuperbia, precibusq; quā minis obtineri poſſe neq; ipſis ſecuritatem defuturā, modo dicto ſuo audientes eſſe velint: quibus quidē verbis perſuaſi, omnes ad ſua, fidem ſecuti, remearunt.

Perſuadet ſeditioſos deceptus.

Quo etiam ipſi decepti.

Poſtquam ab armis diſceſſum eſſet, Domini forum Palatii armatis occuparunt, quibus poſtea duo civiū eorū millia, quos ſibi addictos noverant, conjunxere; usq; in ſingula vexilla diſtinctis, injunxere, ut quoties opus foret in procinctu eſſent, reliquis, qui non ſcripti eſſet, uſu armorū interdixere. His ita conſtitutis, multos opificum tum necavere quam proſcripſere, atque eos præſertim, qui ferociores ſeſe in tumultibus exhibuiſſent. Quo autē porro Gonfalonerio juſticiæ plus authoritatis eſſet, decrevēre, ne quisquā ad id munus, minor XLV. annis, legeretur. Multa præterea ad gubernationem ſuā ſtabiliendum ſānxerunt; non modo iis, contra quos introducta erant, minime ferenda, ſed etiā civibus ipſis ſuarū partium exoſa. Neq; etenim reginminis ille ſtatus bonus tutusve ipſis videbatur, quē tanta acerbitate atq; violentia tueri neceſſe eſſet, immanitas ſiquidem iſta, non modo Albertis illis, qui in urbe reſidui erant, atq; Mediceis, quib⁹ videbatur populū à ſe circumventū, verū etiā permultis aliis diſplicebat: primus vero, qui contra ire auderet, Donatus, Jacobi Acciaivoli, fuit. Is ſiquidē, licet magna in urbe authoritate polleret, Maſoniq; Albiziorū, (apud quē ob res, munere vexillarii geſtas, ſumma Reipub. reſederat) potius ſuperior q̄ par eſſet, non poterat tamen, inter tot animo male affectos, ipſe deſes agere vel publicam calamitatem, (quod pleriq; ſolent) in commodum ſuum convertere.

Tyrannis ſtabilita.

Eam ob rem de exulibus patriæ reſtituendis vel ſaltē de admonitis ad dignitates revocandis, conſilia ſecum agitare, tandēq; idq; ſibi animi eſſe modo hinc,

modo illinc,apud cives teſtari cœpit, non alia nimirũ rationepopulo ſatisfieri,humoresq; partium corrigi poſſe inquiens,neq; ſe aliud expectare, quo id effectũ daret,quã ut inter Dominos reciperetur. *Verum cũ actiones noſtræ ita cõparatæ ſint,ut mora nobis tædiũ,celeritas vero periculũ parturire ſoleat.* eam ob rẽ quo tædiũ levaret, fortunæ aleam, ſibi experiundam eſſe conſtituit. *Contra & Donatus Acciaivolus nititur.*

Erant id temporis ex Dominorũ numero Michael Acciaivolus ipſius ſocius, Nicolausq; Ricoverius amicus.Occaſionem itaq; ſe adeptum ratus, quæ non prætermittenda eſſet,conſilia ſua apud hos depoſuit, petiitq;,ut in conſiliis legem rogarent, qua reſtitutio civiũ contineretur.Atq; illi quidẽ perſuaſi, collegarũ animos ea de re tentarunt,verum reſponſum,*res novas minime tentandas, quarũ commodum in ambiguo, periculũ vero certiſſimum eſſet.* Eam ob rẽ Donatus,poſtquã etiã alia via,idẽ ſæpius fruſtra tẽtaſſet,ira cõmotus,eõ prorupit,ut diceret,poſtquam ipſis integrum non eſſet, Reip.pub.iis,quas in manibus haberet,rationibus, reſtituere,fore ut armis eam corrigi,propediem ſint experturi.Quæ quidem vox,tantopere animos offendit, ut re cũ Dominis deliberata,Donat⁹ vocaretur,atq; cõvictus,in exiliũ Barletiũ relegaretur. poſt hunc Alamãnus Antoniusq; Mediceus, præterea omnes iſtius familiæ, qui ab Alamãno originẽ ducebãt,multi inſuper opifices plebei,qui authoritate apud plebẽ valebant,in exilium pulſi,quæ quidẽ ſingula iſtius biennii ſpatio,quo Maſo Remp.adminiſtrabat,ſucceſſere. *In exilium pelliūtur.*

Dũ ergo urbs permultos,male affectos, intra mœnia,multosq; exules extra haberet,factũ eſt,dũ Pichi⁹ Cavicciullus,Thomas Riccius,Antonius Mediceus, Benedictus de Spinis,Antoni⁹ Girolamus,Chriſtofanus Carlonius,duoq; præterea alii infimæ cõditionis, verũ quotquot eorũ erãt,adoleſcẽtes,audaces, atq; ꝓ patria recuperãda,ad quævis ſubeũda parati,Bononiæ verſarentur,ut occultis rationibus, à Piggiello, Baroccioque Cavicciullis, qui Admonitione notati Florẽtiæ agebãt,his ſignificaretur, cupere ſe ipſos clã in ædes ſuas recipere,ſi ipſis eõ occulte penetrare integrũ eſſet, unde poſtmodũ Maſũ Albiziũ,in publicum *Exulum Florentinorum occ..ā conatus.*

prodeuntem, interficere, plebemque ad arma excitare facile poſſent, quam quidem movere eo proclivius eſſet, quod plerique, conditionem illam urbis; averſarentur, præterea à Ricciis, Adimariis, Mediceis, Manelliis, multisque aliis familiis, auxilia ipſis certo expectanda eſſent.

Hac ergo ſpe adoleſcentes iſti excitati, quarto Auguſti die, anni MCCCXCVII. Florentiam perrexerunt, ibique in ædibus conſtitutis occultati, Maſum, à cujus cæde motum cupiebant, obſervarunt; Atque Maſus quidem in publicum prodiit, inque Pharmacopolio, ad S. Petrum majorem, ſubſtitit, quod etiam ab eo, qui ipſum obſervatum miſſus erat, conjuratis ſubito renunciatum fuit. Ii ergo confeſtim armis correptis eum ad locum feſtinarunt, ſed Maſus jam inde diſceſſerat: nec tamen illi animo remiſſiores, quod prima via non ceſſiſſet, ad forum vetus perrexerunt, eoque loci quendam adverſarum partium obtruncarūt, inde voce elatiore, populū, arma, libertatē, Tyrannorumq; necē, crebro ingeminando ad forū novum converſi, alium iſtarum partium neci tradiderunt, eaque ratione per urbem diſcurrentes, poſtquam neminem arma corripere animadverterent, ad Nighittoſam ſubſtiterunt, ibique altius conſcendentes, populum, qui frequens, ſpectandi licet potius, quam auxilii ſubminiſtrandi gratia, eò confluxerat, ad arma vocare, hortarique cœperunt, ut ex ſervitute illa, tantopere ipſis exoſa, exire mallent, non privatis injuriis, ſed potius querimoniis & lamentationibus civium, ſe commotos, ipſos in libertatem vendicare cupere, audiviſſe ſe aliquoties ipſos divinam opem implorantes, atque occaſionem expetentes, qua jugum iſtud excutere poſſent, neque aliud quam ducem eam ad rem opperientes: jam vero, cum tam occaſio illa, quam duces commodum ſeſe exhibeant, ſtare ipſos ſtupidos atque attonitos, exſpectareque, quousque ij, qui libertatem ipſorum promotam cuperent, opprimantur, ipſique ſervitutem longe acerbiorem deinceps experiantur. Mirari ſane

In ipſam urbem penetrantium.

ſane ſeſe, eos ipſos, quos minima alioquin injuria, ad arma corripienda excitaſſet, tot modo cladibus oppreſſos, nihil movere, ſed otioſos pati, tam ingentem civium ſuorum numerum exiliis atque notis peſſum ire, licet tam exules patriæ, quam notatos dignitatibus reſtituere, in ipſorum arbitrio repoſitum ſit. Quæ porro exhortationes, (veriſſimæ quamvis) turbam illam necquiquam moverunt, ſeu quod metu præpediti, ſeu quòd animi ipſorum, ob binas illas cædes, ab homicidis iſtis alieniores eſſent.

Cum ergo conjurati illi animadverterent, neque verbis neque rebus ſe quidquam promovere, ſero tandem agnoſcere cœperunt, quam periculoſum ſit, iſtos in libertatem aſſerere, quib. ſervire omnino conſtitutū ſit; igitur de negocio perficiundo deſperantes ad templū S. Reparatæ ſeſe receperunt, idq; non tam vitæ tuendæ, quā mortis differēdæ cauſa, obſerarunt.

Interea Domini, ad primos motus aliquomodo turbati, Palatiū armaverāt: verū poſtq̄ rē ipſā, authoresq; tumultus, quē porro in locū ii ſeſe recepiſſēt, accuratius exploraſſent, paulatim animū rei inſerunt, Capitaneumq;, armatorum turba ſtipatum, ad eos compræhēdēdos ablegarunt, qui quidē, nō magno labore, tēpli fores effregerunt, atq; miſeros partim pugnādo ſeſe defēdētes, interfecerunt, partim cōpræhenderūt. Exanimati, neminē, præter binos Cavicciullos inter cōplices detulere, qui quidem unà cum ipſis periere. *Calamitoſus conatus exulum.*

Hunc caſum, alius longe majoris momenti, conſecutus eſt. Bellum id tēporis cum Duce Mediolanenſi, (cujus ſupra quoq; mentionem fecimus) Florentini gerebant. Atq; Dux quidem, manifeſto Marte Florētinos expugnari poſſe diffiſus, ad clandeſtinas artes animum advorterat, Florentiniſq; exulib. intermediis, quorum nimirum omnis Longobardia referta erat, cum quibusdam in urbe tractare cœperat, eoq; tandē convenire, ut ad diem conſtitutum, omnes exules ad arma tractāda idonei, ex locis Florentiæ propinquioribus, ſecundo Arni fluvio, urbem illaberentur, operáque amicorum, qui in urbe agebant Principum æ- *Alij exulū conatus.*

des invaderent,iisq; obtruncatis,Rempub. ad arbitrium ipſorum reſtituerent.

Erat inter conjuratos,intra urbem,Ricciorum quidam, cui Sâminiato nomen, qui dum complices ſtudioſius ſibi compararet, quod nimirum *in conjurationibus crebro occurrere ſolet,ut pauci ad perpetrandum non ſufficiant,plures verò negotium prodant*,in delatorẽ ſuum forte incidit. Contulit ſiquidem ipſe rem, cum Salveſtro Cavicciullo,cujus ſane fidem injuriæ,tã propriæ, quam in propinquos profectæ,promereri debuerant, verum is,timoris potius,quam propinquæ ſpei habita ratione,omnem rem ſubito ad Dominos detulit, qui quidem Samminiato comprehenſo, ſeriem totius negotii quęſtionibus extorſerunt. Conſciorum vero nemo,præter Thomã Davizium deprçhenſus fuit,quod is eorũ,quæ Florentiæ agebantur,plane ignarus, Bononiã eo proficiſceretur, atq; in ipſa via circũveniretur,reliqui vero omnes, Samminiato in vincula conjecto,fuga ſibi cõſuluere. Samminiato Thomaq; pro criminis magnitudine,è medio ſublatis, Domini Dictaturam in plures civium contulerunt, quorum nimirum eſſet ſontes perveſtigare, inq; publicum conſulere. Hi porro inter rebelles ſcripſerunt ſex Albertorum,ſex præterea Ricciorum, duos Mediceorum, tres Scaliorum,duos Strozziorum,Bindios pręterea, Altovitios,Bernhardũ Adimarium,multosq; inferioris notæ alios. Admonitione porro notatæ univerſæ Ricciorum,Mediceorum,& Albertorum familiæ, ad decennium, pauciſſimis ipſorũ exceptis. Inter Albertos quidem admonitionem evaſit Antonius, quod quietus paciſque amans haberetur.

Detecti.

Infauſto pariter fine.

Unde novæ proſcriptiones.

Accidit paulo poſt ſuſpicionibus illis nondum plane conſopitis,ut Monachus quidam, quod conjuratorum tempore,ſæpius Bononia Florentiam commigrare viſus eſſet,comprehenderetur. Indicavit,ille, ſe ſæpius ad Antonium cum literis commeaſſe:mox igitur Antonius in vincula conjectus, licet primo rem inficiaretur,à Monacho tamen convictus, eamq; ob rem ære mulctatus,atque ad trecenteſimum ab urbe lapidem relegatus fuit. Porro, ne indies, ab Alberto-

rum familia, Reipub. diſcrimen expectandum eſſet, omnes præterea ejus familiæ, qui XV. ætatis annum exceſſiſſent, proſcripti fuere.

Ioan. Galeazij Viſcontij obitus.

Atq; hæc in annum MCCCC. inciderunt, biennio nimirũ, antequam Dux Jo. Galeazius vita fungeretur atq; ſuo obitu bello, ad duodecim annos cũ Florẽtinis geſto, finem imponeret. Quo quidẽ tempore, Reipub. potẽtia nõ mediocriter aucta, quod nimirũ ea hoſtes, tam intra quã extra muros oppreſſerat, Piſanis bellũ illatum, iiq; feliciter, magnaq; cum Reip. Florentinæ gloria, ſubjugati fuere. Inde, ad annũ uſq; MCCCCXXII, in urbe quietum, præterquã quod cõtra Albertos, anno MCCCCXII. fines ẽgreſſos, Dictatura conſtituta, illiq; novis legibus & exactionibꝰ repreſſi fuerint. Inter quæ Florentini bellum cum Rege Ladislao Neapolitano geſſere, quod ex morte Regis anno MCCCCXII. finem ſumſit, poſtquã is viribus primo inferior, Florentinis Cortona ceſſiſſet. Verum reſtauratis poſtmodum viribus, redintegratoq; bello, tanta virtute id adminiſtraverat, ut Florentinis id non minus exitioſum futurum fuerit, quam quod cum Duce Mediolanenſi geſtum erat, niſi id pariter cum morte Regis exſpiraſſet: neq; Florentini, ob iſtiusmodi belli exitũ, fortunæ minus, q̃ in bello Mediolanẽſi, obſtricti fuerunt. poſtq̃ etenim Rex Romã, Senas, Picenũ Flaminiãq; jã occupaſſet, neq; ipſi preter Florẽtinos, ſubjugãdũ quicq̃ ſupereſſet, diem ipſe extremum clauſit.

Piſani à Florentinis ſubacti.

Bellum cũ Rege Ladiſlao periculoſum.

Eius mors.

Ab obitu Regis quievit urbs octennium ſub cujus anni (qui præterea bello cum Philippo Mediolanenſium Duce finem impoſuit) exitum, partium ſtudia in urbe reviviſcere cœperũt, neq; publicũ agitare deſierunt, priusq̃ illa Reip. adminiſtratio, quæ ab anno MCCCLXXXI, ad annum uſq; MCCCCLXXXIIII. ſteterat, penitus opprimeretur, cujus quidem adminiſtrationis tempore, Arẽtium, Piſæ, Cortona, Liburnum, monsq; Pulcianus, Florẽtinorum imperio, ceſſere, longeq; majora proculdubio ab ipſis geſta fuiſſent, niſi urbs in ſe diviſa, cum priſtinis ſtudiis, miſere conflictata fuiſſet, quod in ſequenti quidem libro uberius explicabimus.

LIBER QUARTUS NICOLAI MACHIAVELLI, CIVIS ET SEcretarii Florentini, Hiſtoriam Florentinam complectens.

VRbes plæræq;, præcipue vero, hæ quæ minus bene conſtitutæ ſunt atq; nomine Rerũpub. gubernatur, ſæpius rationem adminiſtrationis ſtatusque mutare conſueverunt, idque potiſſimum, non reſpectu libertatis & ſervitutis, quod plerique arbitrantur, ſed ratione ſervitutis atque nimiæ licentiæ. Libertatis ſiquidem nomen, à miniſtris licentiæ, popularibus nimirum, ſaltem prætexitur, ſervitutis vero nobilibus in ore geritur, cui utrisque horum pariter propoſitum ſit, neque legibus, neque ulli hominum ſubeſſe. Enimvero, ſi quando occurrat, (accidere quidem id raro ſolet) ut felici urbis genio, bonus, prudens, potensque civis emergat, cujus induſtria atque conſtitutionibus, humores iſti noxii, qui nobiles populumque agitare ſolent, vel ſiſtantur, vel eousque repurgentur, ne facile in noxam evadere poſſint, ea ſane civitas optimo jure libera, ejusque publica adminiſtratio, firma ac ſtabilis dici mereatur. Poſtquam etenim, bonis legibus & conſtitutionibus ſuperſtructa ſit, eam virtute humana, quod reliquis uſu venire cernimus, conſervari minus neceſſe eſt.

Atque iſtiusmodi quidem legibus & conſtitutionibus, permultæ priſcarum Rerumpub. (quarum diuturnum manſit imperium) dotatæ fuere: viciſſim iſtiusmodi legibus deſtituebantur, atque etiam hodiernum deſtituuntur omnes, quæ adminiſtrationem tyrannicam cũ ea, quę licentia ducitur, hancq; iterum

cum illa crebro commutarunt, atque commutare ſolent, ſiquidem illæ ob potentes, utrarumque partium, adverſarios, nunquã diutius ſubſiſtere poſſunt, quod nimirum alterum genus, hominibus bonis, prudentibus alterum nunquam probetur: unum nocere facile poteſt, alterum bene facere difficulter queat: in illo inſolentes, in hoc ſtulti nimium poſſunt, utrumq; tamen eorum opus habet, ut vel virtute, vel fortuna humana regatur atque conſervetur, quæ quidem, ſive homine iſto exſtincto, ſive nimiis laboribus exhauſto, pariter deficere poſſunt.

Ut ergo ad rem veniamus, ex iis, quæ hactenus memoravimus, ſatis abunde liquet, publicam illam rei gubernationem, quæ à Georgii Scalii nece, ſub annũ MCCCLXXXI. initium ſumſit, primo virtute Maſonis Albizii, poſtmodum Nicolai Uzani incolumem ſtetiſſe. Quievit igitur urbs ab anno XIIII. ad XXII. usque, poſtquam nimirum tam Ladislao mortuo, quam Longobardia in multas partes diſtracta, neq; in urbe ipſa, neq; extra eã, quicquã timeſcendum ſupereſſet. Nicolaum Uzanũ comitabantur viri, authoritate inſignes, Bartholomeus Valorius, Nero Nigius, Rinaldus Albizius, Nerius Lighinus, Lapusq; Nicolinus. Studia porro illa partiũm, ex Albiziorũ Ricciorumq; diſcordiis nata, tantaq; cũ clade, à Salveſtro Mediceo revocata, nunquam penitus ſopita fuere, ac licet earũ illã, quæ multitudini probabatur, triennium ſaltẽ imperio potiretur, annoq; mox MCCCLXXXI. extingueretur. nihilominꝰ, quod humor ille maximã urbis partẽ occupaſſet, nũq̃ ea funditus exſtirpari potuit: licet inficiari nolim, crebras Dictaturas, indeq; exortas harũ partiũ pſecutiones, quæ ab anno LXXXI. ad annum usq; CCCC, in earũ duces graſſatæ eſſent, eas propemodũ ad nihilũ reduxiſſe. Atq; præcipuæ, iſtis perſecutionibus oppreſſæ familiæ memorãtur, Albertorum, Ricciorũ, & Mediceorum, ut pote quæ ſæpius tam viris, quam opibus, exuerentur, illiq;, qui eorum in urbe ſuperſtites manſerant, honoribus arcerentur: quæ quidem clades, partes illas ſummopere depreſſerant.

rant,& vix non penitus conſumſerant. Nihiloſecius, penes mulorũ animos, injuriæ illæ atrociſſimæ, earũ que vindicandarum ſtudiũ, vigebat, quod quidẽ nullo alio adminiculo ſuffultum, pectoribus reconditum delitoſcebat.

Errores eorum qui Rempub. Flor. adminiſtrabant.

Nobiles interim illi populares, qui Rempub. id tẽporis quieti adminiſtrabãt, in duos errores abierũt, iiſque rationẽ illã adminiſtrationis, ruinæ expoſuerunt: unus quod ex perpetuo imperio inſolẽtia creſcerent, alter, quod ob mutuã æmulationẽ atq; invidiã qua alii alios premebãt, atq; ob continuã Reipub adminiſtrationẽ, non eo, quo par erat ſtudio, ab aliorũ inſidiis ſibi caverẽt. Poſtquã hi igitur ſiniſtris ſuis rationibus, ferè omniũ odium incurriſſẽt, neq; quod eas minus timerent, ſeu potius ea in aliorum invidiã tolerarent, obviã ire cuperent: ea tandẽ via factũ eſt, ut Mediceorũ familia, paulatim authoritatẽ priſtinã recuperaret. Atq; primus quidẽ, qui ex hac emergere denuo cœpit, Joannes Biccii nuncupatus fuit: Siquidem locupletiſſimus ipsâq; naturâ mitiſſimus pariter ac humanus, eorum connivẽtia, qui Rempub. regebant, ad ſummum magiſtratus culmen cõſcenderat, quæ quidẽ res, univerſim tãta cum læticia excepta celebrataq; fuit, quod nimirum plerisque videretur, ſibi ea ratione defenſorem paratum, ut id prudentioribus, non abs re magnę ſuſpicioni fuerit: ſiquidem antiqua ſtudia omnia reviviſcere videbãtur. Neque defuit Nicolaus Uzanus, quin cives ea de rę moneret, ipſisque demonſtraret, *quam periculoſe iſtiusmodi hominem foveri, in quem omnium animi concurrerent*, facile quidem principiis obſiſti, verum dilata in moras invaleſcere, tandemque difficulter reprimi poſſe; agnoſcere interim ſeſe in Joanne multas conditiones, quæ Salveſtrum Mediceum longe ſuperarent. Nulla tamen iſtarum monitionum, apud collegas Uzani, ut potę cujus exiſtimationem æmularentur, eumque conjunctis ſociorum viribus everſum cuperent, habita fuit ratio.

Iis, quæ nocumento aliquando eſſe poſſent.

Mediceorũ primus qui emergeret.

Dum igitur hunc ad modum, Florentinorum animi

mi comparati eſſent, humoresque illi paulatim reviviſcerent, Philippus interea Viſcontius, ſecundus Joannis Galeazii filius, ex obitu fratris, univerſæ Lôgobardiæ imperium adeptus, eamq; ob rem, magnis conatib. ſe nô imparê arbitratus, ſûmopere ardebat, Genuenſes ſibi denuo ſubjicere, qui quidê id têporis, Duce Thoma Campofregoſio, liberi agebant: Verùm vel iſtû, vel aliû conatum requirere, ut Florentinos, novo fœdere, ſibi conjunctos haberet, cujus rei, vel ſolam famam, ad adimplenda ſua deſideria ſatis fore judicabat. Eam ob rem legatis ad Florentinos miſsis, ſtudioſe amicitiâ eorum ambivit. Fuere civium non pauci, qui novum fœdus diſuaderent, perſiſtendum tamen ea in pace, quâ multis jam annis cum ipſo coluiſſent, agnoſcebant ſiquidem cômodum, quod inde in Ducem eſſet redundaturum, cum interim parum utilitatis urbem hinc maneret. Aliis fœdus iciendum videbatur, verum id tam anguſtis terminis circumſcriptum, quo Ducis, terminos egredientis, animus ſubdolus manifeſto deprændi, pacemque violanti bellum æquiore titulo inferri poſſet: re ergo in utramque partem putata, tandem pax firmata fuit, qua à Duce cautum, nihil ſibi juris in ea fore, quæ fluvio Magra atque Panaro, Florentiam verſus, diſcriminarentur.

Hac transactione impetrata, Philippus Breſciam, inde Genuam, præter eorum opinionem, qui Florentiæ ejus pacis authores fuerant, occupavit, utpote quibus perſuaſum eſſet, Breſcianos à Venetis defenſos, Genuenſes vero tutelæ ſuiipſius ſatis fore. Cum igitur in transactione, inter Philippum Ducemque Genuenſem, Philippus Serazanam, multaque alia oppida, citra fluvium Magram, Campofregoſio ea cautione conceſsiſſet, ut ea alienare cupienti, Genuenſibus cederent, ea quidem via Philippus pacem, cum Florentinis, violaſſe judicabatur. Præterea fœdus, cum legato Bononienſi, pactus erat, quæ ſanè ſingula animos Florentinorum abalienarunt, noviſq; remediis malis

Philippus Viſcontius Breſciam Genuamq; occupat.

iſtiusmodi (quæ longe majore exſpectabantur) contra eundum eſſe decreverunt.

Quæ quidem animorum alterationes, Philippum non latuere; ne igitur ſibi deeſſet, miſſis oratoribus, ſeu ut ſeſe purgaret, ſeu ut Florent. animos pertẽtaret, ſeu etiã ut eos vanis cõjecturis ſopiret, mirari ſeſe iſtas ſuſpiciones ſimulabat, omnib. iis ſe renunciaturũ pollicitus, quæ ſuſpicionib. anſam præbere poſſent. Nihil tamẽ oratores iſti egere aliud, quã ut civiũ animos in partes diſtraherẽt, videbatur ſiquidẽ iis, qui plus apud Rempub. valebant, arma capienda, conſiliaque Ducis turbanda eſſe, quod ſi etenim copiis conſcriptis, Philippus nihilominus quieſceret, non modo ea ratione bellum non inferri, ſed potius paci viam ſubminiſtrari. Permulti alii, ſeu invidia in eos moti, qui Rempub. adminiſtrabant, ſeu quod à bello ſibi metuerent arbitrabantur, *non temere ſuſpicionibus contra amicum indulgendum*, neque porro res, à Duce geſtas, tanti momenti eſſe. Hoc interim conſtare, ſi ad Decemviros creandos, militemque ſcribendum deveniretur, nihil id aliud, quam bellum velle, quo quidem, ſi tam potens Princeps petatur, certo id exitio civitati fore, licet nihil è contra commodi inde ſperare liceat, ſiquidem, ſi quæ forte bello obtineantur ea commode defendi nequeant, quod Flaminiam interpoſitam habeant, de qua occupanda, propter Pont. vicinitatem, ne cogitare quidem liceat. Nihiloſecius eorum ſententia obtinuit, qui præparationem ad bellum ſuadebant, repudiata illa, quæ pacem cupiebat.

Decemviri ad bellum contra Philippum Florentiæ creati.

Creati eam ob rem Decemviri, copiæ conſcriptæ, novæq; exactiones impoſitæ, quæ quidem omnem urbem, quod iis minores cives plus, quam potentiores, premerentur, querimoniis replevit, invecti potiſſimum in potentiorum ambitionem atq; authoritatem, quibus commodum videretur, ad exercendam animi libidinem, opprimendumq; populum, bellum minime neceſſarium ſuſcitare.

Hactenus tamen ad arma nondum deventum erat, interim omnia ſuſpicionibus patebant, ſiquidem

dem Dux, à Legato Bononienſi rogatus, (metuebat is ſibi ab Antonio Bentivoglio ; qui exul ad caſtellum Bononiæ morabatnr) copias in Bononienſem agrum trajecerat, quæ quidem agro Florentino adeo vicinæ, non mediocriter eos ſollicitos tenebant. Omnium verò maximo terrori fuere, Duciſque animum non ambiguis indiciis patefecere ea, quæ de ForoJulio ſucceſſere. Poſsidebat id temporis ForumJulium Georgius Ordelaffus, qui decedens, filium ſuum Theobaldum, Philippi tutelæ commiſerat. At pueri mater, de tutoris fide ambigua, eum ad avum Ludoicum Alidoſsium, Imolenſium Dominum, ablegaverat, quem tamen à populo Forojulienſi compulſa, Philippo tandem reſtituere neceſſe habuerat. Quò igitur Philippus ſuſpicionem de ſe averteret, animumq; ſuum profundius occultaret, cum Marchione Ferrarienſi clam pepigit, ut per Guidonem Torellum, procuratorio nomine, Forojulienſem adminiſtrationem occuparet, quo facto, ipſe Forojulio potitus eſt. *Philippus aſtu Forojulio potitur.*

Atque hæc quidem, cum Florentinis innotuiſſent, mox illi cunctatione valere juſſa ad bellum ruere cœpere, licet permulti contrarium ſentirent, Joannesque præcipue Mediceus publice bellum diſſuaderet, atque prolixe demonſtraret, etiamſi de animo Ducis certo conſtaret, ſatius tamen eſſe, ab illo peti, quam ipſi bellum inferre, ſiquidem hac via, Dux non minus cauſam belli, quam Florentini, reliquis Italiæ Principibus probare poſſit, neque ipſis liceat, tam confidenter auxilia aliunde petere, quam ſi exſpectent, quouſque Ducis ambitio omnibus innoteſcat, majore præterea ipſos animo propria, quam aliena defenſuros. Reliquis videbatur, hoſtem minimè intra ſepta excipiendum, ſed potius obviam eundum, *fortunam nimirum iis magis amicam, qui bellum inferant, quam qui id propulſent*, minoreque cum periculo, in alieno dominio, licet id fortaſſis majores ſumptus requirat, quam in ſuo, bellum trahi. Prævaluit igitur hæc opinio, decre-

tumque, ut omne ſtudium Decemviri impenderent quo Forum Julium Duci eriperetur.

Cum ergo Philippus animadverteret, Florentinos ad ea occupanda conari, quæ ipſe defendenda ſuſcepiſſet, reliquis conſiliis poſthabitis, Agnolum Pergolenſem, ſatis valida cum manu, verſus Imolā ire voluit quo nimirum Imolenſium Dominus, ſua ditione defendenda occupatus, nepotis curam negligeret. Cum ergo Agnolus, antequam Florentinorum exercitus Modigliano moveret, ſub Imolam copias ſuas deduxiſſet, atque ob frigus inſolitum, foſſas urbis glacie obductas comperiſſet, nocte quadam concubia, furtim muros occupavit, atque Ludoicum in vincula Mediolanum transmiſit. Eam ob rem Florentini, cum exercitu Forum Julium perrexerunt urbemque obſidione cinxerunt: ne porro Duci integrum eſſet, obſeſsis opem ferre, ideo Comitem Albericum ad ſtipendia ſua receperunt, qui quidem ex Zagonara Imolenſes indies infeſtabat. Animadvertebat Agnolus Pergolenſis, ſe Forojulienſibus opem ferre tuto vix poſſe, quod nimirum copiæ noſtræ, ſitu muniţiore, defenderentur, eam ob rem Zagonaram ſibi expugnandam eſſe conſtituit, haud dubia ſpe fretus Florentinis aut eum locum negligendum, aut ſi defendendum judicarent, Forojulium ipſis omittendum, præliumque omnino committendum fore. Coegit igitur propediem Albericum, ut pacem peteret, quam quidem ea conditione obtinuit, ut oppido excederet, niſi intra quintum decimum diem auxilia Florentinorum ipſi præſto eſſent.

Inde Imolā noctu furtim occupat.

Zagonarum deditione obtinet.

Non latuère iſthæc incommoda, tam exercitum, quam cives Florentinos, dumque omnes victoriam iſtam hoſti præreptam cuperent, longe uberiorem ipſi ſuppeditarunt: quippe Forum Julium omittentes, quo Zagonaræ ſubvenirent, in prælio victi profligatique fuere, idque non tam virtute hoſtium, quam temporis injuria: noſtri ſiquidem, tam imbribus madidi, quam cum cœno profundiſsimo aliquot horas luctati, in hoſtem recentem impegerunt,

Florentinorum exercitum in fugam agit.

runt, eaque ratione haud difficilem victoriam ipſi exhibuerunt: Licet ea clade, per univerſam Italiam decantata, nemo præter Ludoicum Obizium, duoque præterea ex ipſius comitatu, deſiderati fuerint, atq; equis excuſsi, cœno profundiſsimo immerſi perierint.

Conſternavit ſane clades illa non mediocriter univerſos cives, potiſsimum verò magnos: quos belli authores fuiſſe, ſupra attigimus, agnoſcebant ſiquidem hoſte cum acerrimo rem eſſe, interim ſe tam armis quam amicis deſtitui, populum præterea adverſum habere, à quo per vicos undique dicteriis ſe proſcindi, & exactiones illas, bellumque, nulla neceſsitate urgente ſuſceptum, ſibi exprobrari audirent. Inquiebant etenim, En Decemviros creatos hoſtiq; metum incuſſum! En Forum Julium Duci è manibus ereptum! En conſilia eorum, quæque in animo occultabant, detecta! non quidem, quod libertas ipſis cordi fuerit, quam omni ſtudio averſantur, ſed quo potentiam ſuam augeſcerent, quam tamen Deus, juſtus judex, imminutam voluit. Neque ſane hoc ſolo facinore, ſed multis præterea conatibus, præcipue non abſimili, cum Rege Ladislao, bello, ubi pernicioſi fuere. Undenà vero deinceps auxilia erunt petituri! A Papa forte Martino? At eum ob unius Braccii libidinem, proterve côculcarunt: à Regina porrò Joanna? at eam, ope ſua deſtitutam, arbitrio Regis Arragonum ſeſe committere coegerunt. Quibus præterea multa addebant alia, quæ à populo ira turbato effundi ſolent.

Viſum eam ob rem Dominis, magnam civium potiorum manum convocare, iiſq; internunciis, populi cômotam bilem corrigere. Atq; inter hos quidẽ, Reinaldus Albizius, Maſi Albizii natu major filius, tamq; propria virtute, quam patris memoria clarus, adque ſûma tendens, longo ſermone populû demulcere adgreſſus eſt, *non eſſe prudentis*, inquiens, *res ex eventu metiri, ſiquidem ſæpius occurrere ſoleat, ut res mature deliberatæ ſiniſtrum exitum, peſſime vero conſultæ,* *Oratio ſedandis motibus.*

bonum

bonum finem ſortiantur, neque aliud agant ij, quibus mala conſilia, ex felici eventu probantur, quam ut ad male cenſendum homines invitare videntur, quod quidem ſummo Rerump. exitio fiat, ſiquidem mala conſilia, non ſemper felici ſucceſſu cohoneſtentur. Iisdem porro ex cauſis eos peccare, qui prudens conſilium, ex eventu minus læto, dijudicare cupiant, ſiquidem ea ratione civibus animi decreſcant, ne in publicum ſententiam ſuam libere depromere auſint. Inde ad neceſsitatem ejus belli digreſſus, opportunis rationibus demonſtravit, niſi in Flaminia cœptum eſſet, neceſsario in Tuſcia id excipiendum fuiſſe. Cum verò Deo viſum ſit, militem ſuum primo congreſſu profligari, damnum ſane iſtud eo gravius fore, quanto abjectiores animo ipſimet ſeſe ſint exhibituri. At ſi fortunam ingenti animo excipere, iiſque mediis, quæ in manibus ſint, audacter contra ire conentur, tum neque ipſis cladem, neque Duci victoriam magno momento futuram. Neque vero ſumptibus atque exactionibus futuris, ipſos moveri debere, ſiquidem ea tam cito deſinere, quam etiam longe tolerabiliora, ac antea eſſe queant, poſtquam nimirùm minore ſumptu defenſionem paremus, quam aliis bellum inferamus. Tandem avorum exempla ipſis imitanda propoſuit, qui quidem cōſtanti animo, adverſa quævis ferendo contra omnē, omniū Principū vim, immoti hactenus ſubſtitiſsent.

His ergo rationibus cives erecti, Comitem Odonem, Braccii filium, ad ſtipendia ſua vocarunt, ipſiq; moderatoris loco, Nicolaum Piccininum Braccii alumnum, atq; omnium reliquorum, qui ſub Braccio meruerant, celeberrimum ducem, cōjunxerunt, multos pærterea ductores conſtituerunt, iisq;, qui profligati equos amiſerant, de equis proſpexerunt. Viginti prætèrea cives, ad novas exactiones tribuendas legerunt. Atq; illi quidem, quod potentiores, ex clade illa, dejectiores animadverterent, nulla ipſorum habita ratione, iis potiſsimum exigendo moleſti fuere.

Potentiores igitur, eam ob rem, male ſibi conſultū animad-

animadvertentes, primo quidem honeſtatis gratia, non tanquam ſuam ob cauſam, de acerbitate exactionis conquerebantur, ſed ut injuſtam, univerſim eam proſcindebant, mitigariq; eam ſuadebant: verũ id à multis deprænhenſum, inq; conſiliis impeditum, ſucceſſu caruit. Alia igitur via, idem perfici poſſe perſuaſi, ſi nimirũ facto ipſo, acerbitas exactionis, omnib. innoteſceret, indeq; odiũ mereretur, authores fuere, ut exactores, omni ſeveritatis genere, pecuniã extorquerent, authoritate in eos collata, ut omnẽ contra lictores ſeſe defendentẽ, impune occidere ipſis liceret, quæ quidẽ conſilia, multas civium cædes peperere: adeo, ut jam partium ſtudia ſanguinẽ redolere viderẽtur, prudentioresq; infauſtum rei exitum ominarentur, quod nimirũ tam præſtantiores, quib. honor alioquin deferri conſueverat, manuũ injectionẽ, æquo animo ferre non poſsẽt, quã altera pars, æqualitati exactionis inſiſteret. Eam ob rem, multi præſtantiorum civium conventus agebant, tandemq; concludebant, omni modo adminiſtrationẽ Reip. ipſis recuperandã eſſe, poſtquam nimirum ipſorum ſocordia civibus, ad exagitandas actiones publicas, animũ addidiſſet, & eorum audaciam provocaſſet, qui alioquin turbarum duces ſeſe exhibuerant. Hæc ubi aliquoties inter ipſos diſputata eſſent, conſtituêre omnes in unum convenire, deq; negotio tandem certo ſtatuere.

Exactionis Florentiæ acerbitas.

Conventiculorum cauſa.

Convenêre ergo, venia prius à Laurẽtio Ridolfio, Franciſcoq; Gianfigliazio (qui tum ad gubernacula ſedebant) impetrata, ultra ſeptuaginta cives, ad fanũ S. Stephani, aberat tamen Joãnes Mediceus, ſeu quod non vocatus eſſet, ſeu quod, opinioni iſti contrarius, intereſſe nollet. Peroravit ibi Reinaldus Albizius, urbiſq; conditionem omnib. expoſuit, quod nimirum ex ipſorum ſocordia, adminiſtratio Reip. iterum ad plebem deveniſſet, è quorum manibus, ſub annum MCCCLXXXI. ea erepta, ab ipſorum patribus, fuiſſet: in memoriam porro, acerbitatem iſtius adminiſtrationis quæ triennium duraverat, ipſis revocavit, qua quidẽ ſinguli eorum, qui præſto erant, hi patre illi avo orbati fuiſſent, eò ſane iterum rediri, urbemque

iiſdem plane periculis expoſitam ire, plebem ſiquidem, ſuo jam arbitratu, actiones moderari, neq; aliud ſupereſſe, quam ut eadem, (niſi majore vi, aut legum ſalubriorum imperio coherceatur) magiſtratum ex arbitrio legat, qua quidem ratione dignitates ipſis ereptas, adminiſtratioque illam peſſum itura ſit, quæ, tanta cum urbis laude atque gloria, ultra quadrageſimum jam annum, Rempub. conſervaſſet, tandemq; Florentiam, aut ex libidine multitudinis gubernandam, quod quidem alteræ parti ſummæ licentiæ, alteræ ſummo diſcrimini futurum ſit, aut ſub Imperiũ unius qui eam occupet, redigendam ruere. Certo itaq; ſibi perſuaſum habeant omnibus, quibus patria, propriaque exiſtimatio cordi ſit, incumbere, ut indignitatem eam à ſe amoveant, virtutiſq; Bardi Manzinii recordentur, qui urbem eo diſcrimine, in quo hærebat, exterminatione Albertorum liberaſſet: duxiſſe originem iſtam plebis audaciam, ex nimio eorum, qui ad Rempub. cooptandi eſſent, numero, quẽ ipſi quidem reſtringere debuerant, ne Palatium, hominibus iſtiusmodi novis atq; abjectis, repleretur.

Quibus eum ad modum diſputatis, tandem eò deſiit, nullum aliud, ſuo quidem judicio, remedium ſupereſſe, quam ſi Reſpub. potentioribus reſtitueretur, artesq; minores authoritate ſua minuerentur, eamq; ob rem, ex quatuordecim, ad ſeptem tribus revocarentur, qua quidem ratione, tribuum authoritas, in conſiliis labefactari poſsit, tam quod numerus earum ſic reſtringeretur, quam quod potentiores ea vi prævalerent, qui procul dubio, ob inveterata erga plebẽ odia, ab ea ſemper ſint diſſenſuri: *prudentis eſſe, pro temporum ratione, hominum ingenia, ad commoditates ſuas adplicare*, nam ſi patribus ipſorum non infeliciter ceſſerit, ad exſtinguendam nobiliũ ambitionem, in plebis partes concedere, cur nõ iiſdem rationibus liceat, poſtquam nobiles oppreſsi ſint, plebiſque inſolentia contra excreverit, horum libidinem, iſtorum opera cohercere? Duas præterea vias, perficiendis hiſce conatibus patere, aliam fraudis, violentiæ alteram, ad

quam

quam recurrere eo proclivius ſit, quod quidam ex ſuo ordine, inter Decemviros recepti ſint, quorum quidem opera, miles furtim in urbem recipi poſsit.

Summis hoc conſilium gratulationibus exceptum, inq; hanc ſententiam deſcenſum fuit: Nicolao Uzano præterea affirmante, omnia, quæ hactenus à Rainaldo diſputata ſint, veriſsima eſſe, mediaq; bona ac certa, ſiquidem ad ea, abſq; manifeſta civium diviſione, pervenire liceat, hanc verò certiſsime exſpectandam eſſe, niſi Joannes Mediceus in has partes pertrahatur, eo enim in has partes deſcendente, plebem duce deſtitutam, minimè metuendam fore, at ipſo diſſentiente, rem citra pugnam perfici non poſſe, ad quā porro deſcendere, periculoſum ipſi videatur, ſiquidem aut victoria nō potiri, aut ea adepta minus tranquille frui poſſe, pariter in ambiguo ſit. Inde ad ea digreſſus, quæ antehac, optimo animo, hoc de ſucceſſu præmonuiſſet, in memoriam modeſte ipſis revocavit, non integrum id temporis ipſis fuiſſe, malis hiſce, dum facile poſſent, obviam ire, nunc verò opportunitatem illam deeſſe, niſi majore cum diſcrimine confligtari velint: eam verò ad rem, nihil aliud remediiupereſſe, quam Mediceum lucrari.

Provincia igitur iſta Rinaldo demandata, ut ille, quibus melius poſſet rationibus, Joannem perſuaderet, eumq; in has partes perduceret. Suſcepit eam Rinaldus non invitus, Joannemq; multis rationibus adgreſſus eſt, quo perſuaderet virum, nec populi partes amplecti, eaque ratione temeritatem plebis provocare, univerſamq; Rempub. diſcrimini exponere vellet. Reſponſum à Joanne, *officium boni prudentisq;* " *civis,* ſuo quidem judicio eſſe, *conſuetudinem invetera-* " *tam Rerumpub. haud facilè mutare, cum nimirum, nulla* " *alia re, homines tantopere offendi ſoleant, ſiquidem neceſſè* " *ſit, multorum id cum damno conjunctum eſſe, at ubi ma-* " *gna pars offenditur, ibi indies malos effectus enaſci, con-* *Joannis Medicei ingenium pacis ſtudioſum.* *ſentaneum eſſe:* Sibi porro videri, ipſos, dum hæc eum ad modum conſtituerint, in duos graviſsimos errores impegiſſe, unum, quod dignitates in eos conferre

ferre cupiant, qui eas nunquam habuerunt, eamque ob rem eas non magni æſtimaturi ſint, at iis carendo, nihil cauſæ habeant, quod doleant, alterum, quod eas his eripere velint, qui honoribus innutriti, nunquam, niſi eas recuperaverint, quieturi, atque adeo injuria alteri partium illata beneficium in alteram, longe intervallo ſit ſuperaturus. Eam ob rem, harum alterationum authorem, paucos amicos, permultos verò adverſarios ſibi comparaturum, atq; horum quidem ferociam, in vindicanda injuria, iſtorum opê, in ipſo
" defendendo, longe anteceſſuram, cum *naturale ſit, ho-*
" *mines proniores ad vindicandas injurias, quam ad rependen-*
" *da beneficia eſſe, quod nimirum iſthinc commodum quoddam,*
" *hinc verò damnum ſentire ſibi videantur.*

Inde ad Rinaldum oratione converſa, ſic ipſum affari cœpit. Et tu quidem, ſi ea, quæ hactenus in hac urbe ſucceſſere, tum quot fraudibus hic vivatur, memoria repetere velles, proculdubio, minore cum vehementia, hoſce conatus amplecteretis, ſiquidem videre tibi liceret, cum ipſum, qui huius conſilii caput eſt, poſtquam veſtro auxilio populum exauctoraſſet, viciſsim populi, tanquam ob injurias iſtas jam à vobis alieni, auxilio, authoritatem vobis ipſis erepturum, idemq; planè vobis eventurum, quod Benedicto Alberti obtigiſſe meminiſtis, qui quidem ex conſilio atque perſuaſione eorum, qui ipſum minus amabant, in ruinam Georgii Scalii, Thomæq; Strozzii, conſenſit, parvo vero interpoſito intervallo, ab iiſdem, à quibus ea perſuaſus erat, in exilium ipſemet actus fuit. Tandem ipſum monuit, ut maturius hanc rem ponderare, patremque potius imitari mallet, qui plebis devinciendæ ſtudio, ſalis vectigal mitigaverit: inde auctor fuerit, ut in eorum arbitrio eſſet, quorum in publicum ærarium ſubſidia annua dimidium florenum non excederent, ea exſolvere: tandem etiam ſanciverit, ne quiſquam civium, eo quo conſilia haberentur die, ob æs alienum in jus vocaretur: concludendo, ſibi conſtitutum eſſe, quantum quidem in ſe ſitum ſit, civitatem ſuis rationibus relinquere.

Hæc

Hæc eum ad modum deliberata, publicum non latuerunt, iſtisque civibus odium non mediocre ſuſcitarunt: Joanni verò ad exiſtimationem ſummoperè contulerunt, à qua tamē ipſe ſibi ſummo ſtudio temperabat, nè forte illis animum adderet, qui ſub ipſius auſpiciis, res novas moliri conarentur, notumque omnibus eſſe volebat, non ſe partibus alendis, ſed iis potius exſtinguendis invigilare, neque aliud quidquam ab ipſo exſpectandum, quam concordiam civium ſibi eſſe: Quodquidem non paucis, qui partes ſuas ſequebantur permoleſtū erat, utpote qui ipſum in negotiis vehementiorem maluiſſent, inter quos Everardus Mediceus, natura ferocior, non deſtitit indies ipſum exſtimulare, ut inimicos perſequi, amicis vero adeſſe vellet, potiſsimum in ipſius animum remiſsiorem & frigeſcentem invectus, quo quidem inimicis explorato, eo audacter magis indies inſidias necterent, unde univerſæ familiæ tandem exitiū exſpectandum eſſet. Eadem à Coſmo filio ipſi crebro inculcata fuere. Verum quidquid tandem Joanni vel referretur, vel prædiceretur, nunquam tamen ab ingenio ſuo dimoveri potuit, nihilominus omnia in vulgus jam emanaverant, urbsq; manifeſto in partes ſcindebatur. *Joannis Medicei animus immotus.*

Erant id temporis in Palatio, Dominis Reip. duo à ſecretis, quorum uni Martino, Paulo alteri nomen erat, atq; hic quidem partibus Uzani, Medicei alter favebat, viſum igitur Rinaldo (poſtquam Joannem in ſuas partes flectere nequiviſſet) Martinum exauctorandum eſſe, quo nimirum Palatium plus ex ipſorum partibus deinceps ſtaret: Verum id ab adverſariis exploratum, non ſolum Martino, qui eum defenderent amicos comparavit, ſed etiam in Paulum iſtam fabam cudi fecit, qui quidem officio, non mediocri ſuarum partium cum injuria, motus, peſsimis conatibus confeſtim anſam præbuiſſet, niſi ob cladem, ad Zagonaram recens acceptam, omnes perculſo animo fuiſſent.

Nam dum hæc Florentiæ eum ad modum trahe-

rentur, interim Agnolus Pergolenſis, Ducis cum copiis, univerſam Flaminiam, quantum quidem ejus Florentinis parebat, Caſtracaro & Modigliano exceptis, in poteſtatem ſuam redegerat, tam quod loca illa minus munita eſſent, alia minus ſtrenue defenderentur. Quibus quidem in locis dum pugnaretur, duo acciderunt memoranda, unde cognoſcere licuit cum quanto virtus, etiam in hoſte in pretio ſit, tum quantopere vilitas diſplicere ſoleat.

Infracti militis exemplum. Defendebat arcem Montis Petroſi, Blaſius Melanenſis; hic ergo undiq; ab hoſte circumcluſus, neq; arcem ultra defendi poſſe animadvertens, ex illa caſtri parte, quam ignis nondum depaſcebat paleas, lodices aliaq; id genus dejecit, quæ filioloſq; duos itidẽ dejectos exciperent, accipite vos, ad hoſtes inquiens, ea, quæ à fortuna mihi obtigere bona, quæq; mihi auferri à vobis queant, ea vero, quæ in animo meo repoſita ſunt, inq; quibus gloria atq; decus conſiſtit, ea ego nec vobis dare, nec vos mihi eripere poſsitis. Vicit ea cõſtantia hoſtiũ animos, ut tam infantulis opitulatũ accurrerent, quam viro funes ſcalaſque ſuggererent, quarum adminiculo vitæ proſpiceret, maluit is tamẽ igni ſeſe devorandum ſiſtere, quam patriæ ſuæ hoſtibus vitam debere: exemplum ſane nulla parte iis, quæ tantopere ab antiquis ſcriptoribus prædicantur, inferius, atque quo rarum, eo magis admirandum. Excepti fuerunt ab hoſte infantuli, ipſiſque omnia ſalva, quæ ſalva ab igne, magnaque cum ſollicitudine propinquis reſtituti, quos deinceps Reſpub. Florentina, non minore benevolentia, profecuta eſt, exque publico, quoad vixerunt, ipſos ali curavit.

Proditorii contra animi aliud exemplum. Contrarium plane Galeatæ accidit, quo loci Zanobius Pinius imperaverat, caſtrumq; hoſti, citra ullam defenſionẽ, tradiderat, Agnoloq; præterea ſuaſor fuerat, ut neglectis Flaminiæ Alpibus, ad colles in Tuſciã deſcenderet, ibiq; minore cum diſcrimine, majore vero cum lucro, rem ageret. Non potuit Agnolus, abjectum malignumq; hominis animũ ferre, expoſuit eũ ob rem ipſum ſervorũ ſuorum arbitrio, qui poſtquam ipſum

ipſum ludibrio frequenter habuiſſent, chartis, quib. teſtudines impreſſæ erant, ipſi cibi loco admotis, ea ratione ipſum ex Guelfo in Ghibellinum transmutatum iri aſſerebant, unde paucos intra dies fame contabuit.

Oddo interim Comes, Nicolao Piccinino comite, in vallem Miſeniorum deſcenderat, quo nimirũ, vel Faventiæ Dominum ad Florentinorũ amicitiã revocaret, vel ſaltem Agnoli excurſiones per Flaminiam prohiberet, poſtquam verò vallis ea, tam ſitu ipſo munita, quam hominibus bellicoſis habitata ſit, idcirco ab iis Comes Oddo oppreſſus, Piccininusq; Faventiam in vincula deductus fuit. Placuit tamen fortunæ, ut Florentini hac ex clade, ea re potirentur, quam fortaſsis ex victoria adipiſci minus potuiſſent. Picininus ſiquidem, tanta ſollicitudine cum Faventiæ Domino ejusque matre rem egit, ut eos in Florentinorum amicitiam pertraheret. Libertati porrò reſtitutus Nicolaus, conſilio, quod aliis dederat, ipſemet non inſtitit, ſed poſtquam de ſtipendiis aliquandiu cum Florentinis tractaſſet, vel quod conditiones iſtas, ſe non ſatis dignas, arbitraretur, vel quod alibi ãpliores ſperaret, quaſi furtim Aretio ſe ſubduxit, atq; ſub Ducis ſtipẽdiis deinceps meruit.

Florentini ergo eo caſu non mediocriter conſternati, ſumptibus præterea exhauſti, ſolos ſe tantæ moli deinceps impares eſſe judicavere, miſsis eã ob rem ad Venetorũ Remp. legatis, obnixe rogarunt, ut unius potentiæ (quod hactenus quidẽ factu non difficile ſit) obviam ire vellent, quæ ſi alioquin in majus excreviſſet, etiam ipſis, non minus quam Florentinis, extimeſcenda foret. Eandem ad rem ipſos inſtigabat dux id temporis belli omnium celeberrimus, Franciſcus Carmignuolus, utpote qui à Duce, ſub quo aliquandiu meruerat, defeciſſet. *Florentini Venetis auxilio biuntur.*

Dubio erant animo Veneti, quod Carmignuoli fides ipſis intuta videretur, hærerentque, num vera, fictitiave eſſet Ducis ipſiusq; inimicitia: verũ dum ita in ambiguo cõſtituti eſſent, accidit, ut Carmignuolæ,

Ducis inſtinctu, à ſervo quodam proprio venenum propinaretur, quod quidem eum non abſumſit, ſed tamen in ipſo mortis limine conſtituerat. His igitur perſpectis, Veneti ſuſpicione liberati, cum Florentinis fœdus pepigerunt, quo cautum, ut communi ſumptu bellum gereretur, Longobardiaq; occupata Venetis, Flaminia vero & Tuſcia Florentinis cederet: Carmignuola ad id Dux conſtitutus. Sedes igitur belli iſtius in Longobardiam translata, magnoque id animo à Carmignuola adminiſtratum fuit, adeo, ut exigui temporis intervallo, Ducem multis oppidis, Breſcia etiam ipſa, exueret, cujus quidem urbis expugnatio, id temporis, pro ratione belligerandi tum recepta, propemodum miraculo fuit.

Et fœdere impetrant.

Tractum fuerat bellum iſtud, ab anno XXII. ad annum XXVII. usque; cives igitur tam diuturnæ exactionis pertæſi, in id convenerunt, ut ea ad æqualitatem reducerentur, atq; ex cujusque fortunarum ratione deinceps peterentur, ſingulaq; centena dimidium florenū penderent. Cum igitur, hac ratione, exactionis norma à lege, non ab hominum libidine, penderet, ea ratione factum eſt, ut ea potentiores potiſsimum premeret, eamq; ob cauſam, etiam nondū promulgata, ipſis improbaretur, ſolus Joannes Mediceus eā publice laudabat, adeo, ut ea tandē perficeretur vocatumq; à Florent. id genus exactionis, peculiari vocabulo, Cataſto fuit, quod nimirum omnium fortunæ, æquali ratione, ea notarentur, quod ipſi accataſtare appellabant.

Atq; hic quidem modus, potentiorum tyrannidē aliquomodo cohercuit, ſiquidē his non amplius integrū erat, inferiores pro arbitrio premere, minisve eorū ſententias in cōſiliis avertere. Gratiſsima igitur fuit univerſim exactio, licet ea nobilib. ſummopere diſpliceret. Verùm *poſtquam ita comparatū ſit, ut mens humana nunquā ſibi ſatisfactū putet, ſed potius una re adepta, ad aliā mox deſideriū applicare conſueverit*, ideo populus, non contentus æqualitate ea, quā recens lex requirebat, ejus vim, etiā ad tempora præterita extendi, atq; ſtudioſe pveſtigari cupiebat, quid nā ratione iſtius Cata-

ſti(utamur ſane peregrino vocabulo in re peregrina) hactenus à nobilib. non ſolutũ eſſet, quo nimirũ illi ad ea reſarcienda cõpellerentur, eaq; ratione ad æqualitatẽ, à lege conſtitutã, revocarentur, pareſq; eſſent iis, qui hactenus ob ſoluta ea, quæ minus debebant, fundos ſuos venum exponere coacti fuiſſent.

Atq; hæc quidẽ poſtulata, longè gravius ditiorum animos, ipſo Cataſto, feriebant, eam ob rem, quo iſtos conatus everterent, non deſtiterunt Cataſtum ipſum proſcindere, ejuſq; iniquitatẽ inde probare, quod ob bona etiã mobilia venirent, quæ tamẽ indies dominos mutarent. multos præterea exiſtere, quib. theſauri reconditi adeo ſint, ne eos exactoribus perveſtigare unquam liceat, quibus addebant, non abſentaneum eſſe, ut ij, qui Reip. adminiſtrandæ gratia, proprias res negligebant, mitius Cataſto exciperentur, ſatisq; eſſe, eos animo & corpore Reipub. inſervire, neque ſane æquum, Rempub. horum tam animis quam fortunis, reliquorum vero ſaltem fortunis uti.

Illi verò, quib. Cataſtum placebat, reſpondebãt, ſi bona mobilia mutare dominos contingat, cõtingere etiam poſſe, exactiones mutari, crebriſq; exactionũ variationibus, huic incõmodo obviam iri: earum verò fortunarũ, quæ in occulto lateant, non eſſe habendã rationem, ſiquidem earum opum, quarum uſus nullus ſit, iniquam etiam exactionẽ fore, ſi vero in uſum prodeant, clam haberi non poſſet, quod ſi porro Reip. vacare, ipſis minus integrum eſſet, in eorum arbitrio relinqui, iſtiusmodi curis ſeipſos exolvere, atq; quieti ſtare, non defuturos patriæ cives gratos atq; amantes, quibus non grave ſit, tam ingenio quam opibus Reip. adeſſe. Eſſe præterea dignitates atq; cõmoda, quæ Remp. adminiſtrantes maneant, tanti momenti, ut ea ipſis ſufficere, ipſiq; laborum iſtorum mentionẽ negligere merito debeant. Verùm id ipſis dolere potiſſimum, quod tamen interim ſilentio prætereant, non poſſe nimirum ipſos deinceps bellum, citra proprium damnum, movere, poſtquam id æquali jam omnibus ſumptu adminiſtretur: quæ quidem ratio,

ſi prius adinventa fuiſſet, neque bellum cum Rege Ladiſlao olim ſuſceptum, neque hodiernum, cum Duce Philippo, gerendum eſſet, quæ quidem non ex neceſsitate, ſed ad explendos quosdam cives, adinventa fuerint.

Verùm hi motus, à Joanne Mediceo moderati repreſsiq; fuere, monebat ſiquidem, perperàm præteritos eventus odioſe exagitari, ſatius enim eſſe, ut futuris mature proſpiciatur, quod ſi tamē exactiones præteritæ iniquæ fuerint, Deo gratias potius agendas, qui viam earum, ad æquitatis regulam revocandarum, commonſtraverit, eâq; potius ad conciliandam, non ad diſtrahendam civitatem, utendum, quod quidem poſterius eventurum eſſet, ſi neglectis exactionibus reſarciendis, inſiſtere vellent. *Semper eum qui media victoria contentus ſit, melius habere, eos ſiquidem utplurimum perdere, qui ad unum omnia expugnata cupiant:* quibus quidem perſuaſionibus effecit, ut mentio redhibendarum exactionum obſoletarū evaneſceret.

Pax inter Ducem & Florentinos. Inter hæc geſta, de pace, inter Ducem & fœderatos, per Legatum Pontificis Ferrariæ transactum, quorum quidem pactis Dux ab initio non ſtetit, adeo ut fœderati copias repetentes, ipſius exercitum ad Maclovium profligarent, à qua demum clade Dux novæ pacis mentionem fecit, eaque à fœderatis amplexa fuit, atque à Florentinis quidem, quod Veneti ſuſpecti eſſent, neq; ipſis commodum videretur, magnos aliorum potentia augenda ſumptus facere, Venetis vero, quod animadverterent, Carmignuolá, poſt cladem Duci illatam, remiſsius agere, eamq; ob rem ipſius fidem deinceps ambiguam haberent.

Ad pacem igitur deventum anno MCCCCXXVIII. qua Florentini ea recuperarunt, quæ in Flaminia amiſerant, penes Venetos Brecia manſit, quib. inſuper Dux Bergomatibus, univerſoq; iſto agro, ceſſit. Impendêre in iſtud bellum Florentini tres milliones, quingentaq; præterea Hungaricorū millia, quib. quidem ſumptibus, Venetis ditionē atq; potentiam, ſibi ipſis vero egeſtatem atque diſcordiam peperêre.

Pace exterius parta, ad bella inteſtina reditum, quod nimirum potentiores Cataſtum ferre non poſſent, neq; tamen viam, ad eum extirpandũ, repperirẽt, licet ſperarent, quo plures in hunc concitaturi hoſtes eſſent, eo facilius eum everti poſſe. Monuere eã ob rẽ eos, qui exactionibus præerant, legem ipſam requirere, ut eorum etiam bona, qui circum habitabant (quos nomine diſtrettualiũ appellabant) examinarentur, indeq; cognoſceretur, num fortean bona Florentinorũ inter illa laterent: Evocati igitur omnes ſubditi, ut intra conſtitutum diem, omnium ſuarum fortunarum, fidem facerẽt, quod Volaterranis alienum viſum, anſam dedit, ut ea de re conqueſtum ad Florentinos mitterent, unde exactores indignati, eorum XVIII. cuſtodiæ mandarunt. *Inteſtina Florentiæ bella reſuſcitata.*

Diſplicuit ea res non mediocriter Volaterranis, verum ob illos, qui in vinculis erant, nihil motum. Joannes, id temporis, Mediceus in morbum incidit, eumq; lethalem animadvertens, vocatis ad ſe Coſmo Laurẽtioq; filiis hunc ad modũ ipſos alloqui cœpit. Sentio me id vitæ exegiſſe, quod naſcenti mihi à Deo naturaq́ue cõſtitutum fuit. Cæterum animo quieto digredior, quod vos ſanos, divites; præterea ita conſtitutos poſt me relinquam, ut, ſi modo meis veſtigiis inſiſtere volueritis, tam honoratis vobis, quam omnibus acceptis Florentiæ vivere liceat: nihil enim tam trãquillo animo, hanc vitam ut deſeram, facit, quam quod meminerim, me neminem unquam offendiſſe, ſed potius, quantũ in me quidem fuit, omnib. benefeciſse, quod ut pariter etiã vos faciatis ego vos paterno animo exhortor. Ad Rẽp. porro quod attinet, modo tuti vivere velitis, tantum ex illius adminiſtratione vobis ſumite, quantum leges hominesq́; vobis tribuere voluerint, qua quidem ratione, nec invidiæ, ne periculis expoſiti eritis, *ea enim quæ homines ſibi rapiunt, non ea quæ ipſis dantur odia provocare ſolent*, eaque pariter ratione, longe majorem ejus partem obtinebitis, quam illi, qui aliorum dum partibus inhiant etiam de ſuis periclitantur, & antequam eas amittant, *Jo. Medicei obitus. Eius exhortatio ad filios.*

in continuis anguſtiis vivunt. His ego artibus inter tot hoſtes, tamque varia ingenia atque ſententias, authoritatem meam, non modo conſervavi in hac urbe, ſed etiam eam auctiorem reddidi. Eadem & vos ratione, ſi me ſequi velitis, veſtram tuebimini & augebitis; quod ſi verò alia via inſiſtere vobis libeat, certò vobis perſuaſum eſſe velim, exitum non minus calamitoſum vos manere, quam eorum fuerit, qui noſtro hoc ſæculo, tam ſemetipſos, quam univerſam familiam peſſumdederunt. Inde non diu ſuperſtes, diem extremum clauſit, ſuique univerſim ſummum deſiderium poſt ſe reliquit, quod etiam vitæ ipſius anteactæ, optimo jure, debebatur.

Joannis Medicei vitæ inſtitutum. Fuerat Joannes benignus & miſericors, eleemoſynam dabat, non ſaltem qui eam peterent, ſed ſæpius ea indigos præveniebat, amabat omnes, bonos laudabat, malitioſorum miſerabatur, honores nunquam petebat, eos tamen omnes adeptus fuerat, Palatium nunquam, niſi vocatus, accedebat, pacem amabat, bellum averſabatur, calamitatibus hominum ſubveniebat, proſperis adjumento erat, rapinis à publicis alienus erat, publicum locupletabat, in magiſtratibus erat humanus, non magnæ eloquentiæ, ſed ſummæ prudentiæ, melancholicum aſpectu dixiſſes, verum in converſando erat urbanus atque facetus. Obiit ditiſſimus, ſed magis fama optima atq; benevolentia, quæ quidem hæreditas, tam quoad fortunæ quam animi bona, à Coſmo ipſius filio, non ſolum conſervata, ſed longe amplificata fuit.

Ut ergo ad publica redeamus, erant Volaterrani jam carceris pertæſi, atque quo libertatem recuperarent, ſe mandatis obtemperaturos pollicebantur. Dimiſſi ergo, adque ſuos reverſi, ſucceſſit paulo poſt tempus, quo Priores (quos vocant) ipſorum, novum imperiū adirent, inter quos urnam exiit, quidam plebeius, cui Juſto nomen, magnæ apud plebē exiſtimationis, etiā Florentiæ in vinculis habitus fuerat. Atq; hic quidem, tam ob publicam quam privatā injuriam

injuriam, Florentinis infenſus, non mediocriter por-r) à Joanne viro nobili, qui unà cum ipſo Rempub. adminiſtrabat exſtimulatus fuit, ut nimirum authoritate Priorum, eaque qua pollebat ipſe apud plebem gratia, populum concitare, urbemque poteſtati Florentinorum ſubducere, ſibique ipſi eam vendicare vellet. Hujus inſtinctu juſtus arma corripuit, atque Capitaneo Florentinorum in vincula conjecto, populo conſentiente, Principatum urbis in ſe tranſtulit.

Diſplicebat non mediocriter defectio iſta Florentinis, verum quod pax ipſis cum Duce, fœdusquæ recentiſſimum eſſet, non difficulter Volaterranos reduci poſſe exiſtimabant, atque ne porro occaſioni deeſſent, ſubito Rinaldo Albizio, Pallæque Strozio procuratorio nomine, eam provinciam demandarunt. Interim Juſtus Senenſium & Luccenſium auxilia petierat; Atque Senenſes quidem ea recuſarant, quod fœdus ipſis cum Florentinis eſſet; Paulus vero Guinigius, Luccenſium Dominus, ultra progreſſus, quo Florentinos ſibi reconciliaret, quos nimirum ex bello cum Duce geſto, cui ſe amicum demonſtraverat, offendiſſet, non modo auxilia Juſto negavit, ſed etjam illum qui ad ea impetranda ipſum convenerat, compræhenſum Florentiam miſit. *Volaterra à Florentinis deficit.*

Interea temporis procuratores Florentini, quo Volaterranos imparatos opprimerent, univerſum ſuum exercitum Cataphractariorum coegerant, exque valle Miſena inferiore, Piſanorumque agro ſatis copioſum peditem ſcripſerant, iiſque Volaterram verſus pergebant. Neque Juſto, quod ſe à vicinis deſtitui, atque oppugnatum iri animadverteret, animus deerat, ſed potius munitionibus ſuis, tum etiam profundiori circa urbem cœno confiſus, defenſionem parabat. Erat apud Volaterranos Arcolanus quidam, Joannis illius frater, qui Juſto ad occupandam tyrannidem author fuerat, multaque authoritate apud nobiles pollebat. Hic convocatis iis, quorum fidei ſeſe committere tuto poſſe arbitrabatur à Deo hæc *Obſidetur.*

ideo immiſſa aſſerebat,quo neceſſitati urbis ea ratione ſubveniretur,nam ſi ipſis integrum videretur, unà cum ipſo armata manu Juſtum opprimere, urbemq; Florentinis reſtituere, non modo adminiſtrationem urbis in ipſorum manibus,verum etiam antiqua ipſis privilegia ſalva futurà.

Re itaque deliberata atque concluſa,mox ad Palatium,in quo Juſtus morabatur,itum, pars eorum infra gradus ſubſtitit. Arcolanus vero, tribus aliis ſtipatus,eos conſcendit,Juſtumque cum civibus quibusdam colloquentem nactus,eum, tanquam neceſſaria renunciaturus,ab iſtis primo ſevocatum, tandē poſt multas ambages in conclave pellexit, eoque loci unà cum conjuratis ſolum invadens, licet ſtrenue ſeſe defenderet conjuratorumq; duos gravibus vulneribus feriret,eum tandem,viribus inferiorem,oppreſſit,deque Palatio præcipitem dedit,atque correptis armis, unà cum iis, qui partes ipſius ſequebantur, urbem procuratoribus Florent.qui cum copiis propinqui erant,reſtituit:atq; hi nulla re alia prius ſtipulata illam mox occupavere:quo quidem ex ſucceſſu,Volaterranorum conditio in pejus ceſſit, Florentini ſiquidem præter alia,eos maxima provinciæ parte mulctarunt, atque urbem, titulo Vicariatus, deinceps rexerunt.

Recuperatur. Volaterra igitur,eodem ferè momento, tam amiſſa quam recuperata,nulla ad bellum jam ſupereſſe cauſa videbatur, niſi eam hominum ambitio in medium provocaſſet.

Nicolaus Fortebraccius belli dux eligitur. Militaverat in bello, contra Ducem Mediolanenſem,Florentinis aliquandiu Nicolaus Fortebraccius, ex ſorore Braccii Peruſini ortus.Hic,pace cum Duce conſtituta,exauctoratus,eo,quo Volaterrani defecerant,tempore,hactenus apud Fucecchium morabatur,quam quidem opportunitatem nacti procuratores Florentinorum,ipſo unàq; ipſius milite,in bello iſto commodum uſi ſunt.Credebatur illum à Rinaldo, qui iidem bello tum præerat, clanculum inſtigatum fuiſſe,ut eo quo poteſt,prætextu, Lucenſium ditionem invaderet,pollicitumq;,ſi id conaretur, ſua opera bellum Lucenſibus indictum,ipſumq; Fortibrac-

cium, ejus Ducem ſupremum conſtitutum fore.

Volaterra igitur jam recuperata, eoq; Fucecchium reverſo. Nicolaus, ſeu perſuaſionibus Reinaldi, ſeu propria libidine ductus, menſe Novembri, Anni MCCCCXXIX, triginta equitibus totidẽq; peditibus .... atq; compitum, Luccenſiũ caſtra, occupavit poſtmodum in planiciem deſcendens, ingentem inde prædã egit. Hæc apud Florentinos, poſteaquã evulgata eſſẽt per univerſam urbẽ cives concurrere, atq; hinc inde coacervati de hoc negotio conferre, majorẽ vero partem, bellum contra Luccenſes velle videbantur. Majorum civium, qui eã cuperent, ii erant qui Mediceas partes ſequebantur, quibus Reinaldus ſeſe conjunxerat, ſeu propria ambitione motus, quod nimirum ſibi exercitũ commiſſũ iri arbitraretur, ſeu quod id ex cõmodo Reip. eſſe judicaret. Qui vero eã diſſuaderẽt, Nicolaus Uzanus, ſuarumq; partium ſtudioſi erant.

Atq; mirum quidem videri debeat, in una eademq; civitate, quoad bellum decernendum, tam varia judicia repperiri potuiſſe, Eam ſiquidẽ Civium populiq; partem, quę poſt decennii pacem, tantopere in bellum (ad libertatem defendendam) contra Philippum motum, invecta fuerat, modo poſt tã ingentes ſumptus, tantaq; in urbis anguſtia, omni ſtudio atq; conatu bellum contra Luccenſes, ad occupandam nimirum alterius libertatem, urgere, conſpicere liceat: Contra eos, qui iſtud ſuaſerant, hoc averſari, *adeo nimirum opiniones, cum tempore mutari conſueverunt, multoq; proclivior turba ad occupanda aliena, quam ad ſua defendenda eſſe ſolet quod ea nimirum longe plus ſpe lucri, quam metu amittendi feratur, atq; hoc quidem niſi jam præſens exiſtat non credatur, iſtud vero, licet remotiſſimum, ſpe apprehendatur.*

Populus igitur Florentinus, maximam in ſpem, ob res à Fortebraccio geſtas, jã erectus fuerat, quibus accedebãt literæ eorũ, qui res Florẽtinorũ, ea in Vicinia, Rectorũ titulo moderabãtur. Peſcian⁹ ſiqdẽ, atq; Vici vicari⁹, ſignificaverãt, omnẽ Luccẽſiũ ditionẽ faciliime occupari poſſe, ſi ſibi poteſtas tribueretur, caſtra illa Luccenſib. erepta, quæ à Fortebraccio ipſis offerrentur

rentur, in clientelam ſuam recipere. Hiſce inſuper legatus, Tyranno Luccenſium ad Florentinos, de Fortebraccii invaſione conqueſtum, miſſus, utque rogaret, ne Reſpub. urbem vicinam, ſemperque amicam, bello petere vellet, non parum contulit. Is quidem, paulò ante, in vincula à Paulo conjectus, & non extra culpam, quod in ipſum conſpiraſſet, depræhenſus, pœna tamen remiſſa condonataque ipſi fuerat: quod igitur Paulus eam injuriam remiſiſſet, in Jacobum Venetianum (id legato nomen) eo ſecurius incumbebat. Verum Jacobus, extremi periculi potius, quam beneficii memor, Florentinos clanculum ad expeditionem contra Luccenſes inſtigabat, quas quidem ob res Reipub. Principes conſilium majus indixerunt, convocatiſque CCCCXCVIII. civibus, rem dijudicandam ipſis præpoſuerunt.

Legati Lucenſis Tyrāni perfidia.

Inter primos vero, qui bellum ſuadebant (quod etiam ſupra diximus) Reinaldus erat. De utilitate ſiquidem ejus belli multa diſputabat, facilitatemque expeditionis demonſtrabat, quod nimirum tam à Venetis, quam à Duce, Luccenſes prædæ expoſiti, præterea nec à Pontifice (ob regni Neapolitani res implicato) auxilia exſpectare poſſent. Facilem porro expugnationem fore, quod nimirum civi ſuo modo ſerviant, adeoque naturalis ille vigor, ſtudiumque propugnandæ libertatis, antiquitus celebratum, ipſis deperierit, quā quidē ob rem, vel ipſi in odium Tyranni, vel Tyrannus ob metum populi, facile ad ipſos ſint conceſſuri. Injurias præterea à Tyranno Reipub. illatas malignumque ipſius in hanc animum , altius repetebat, quam periculoſum porro eſſet, ſi Luccenſes vel à Pontifice, vel à Duce occuparentur, tandemque nullam expeditionem à po. Florentino, nec facilem, nec utilem, nec etiam honeſtam magis, unquam ſuſceptam fuiſſe.

Contra hanc ſententiam Nicolaus Uzanus diſputavit, Remp. Florentinā nullam unquam expeditionem, injuſtam magis ac periculoſam, & à qua majora damna expectanda ſint, ſuſcepiſſe. Primo ſiquidem

urbem.

urbem peri Guelfam, Florentinis ſemper amicam quæque proprio cum diſcrimine, ſæpius Guelfos patria pulſos, in gremium receperit, neque in annalibus reperiri, Florentinos unquam à Luccenſibus offenſos fuiſſe: quod ſi etenim quidquam injuriarum, olim à Caſtruccio, atque hodie ab eo, qui eam occupaſſet, inde profectum ſit, eam tyrannorum, non urbis culpam eſſe, eamque ob rem Tyrannum, ſi id commode fieri poſſit, quod nec ipſe ſummopere improbare velit, petendum eſſe: poſtquam vero hoc fieri nequeat, eam ob rem ferre ſe minime poſſe, ut urbs antea ſēper amica, fortunis ſuis mulčtetur. *Verū cū hodie ſic comparati ſimus, ut vel juſti vel injuſti exigua habeatur ratio*, eā ob rem, hanc quæſtionis partem, omittere ſeſe atque de commodo ejus expeditionis diſſerere velle. Ergo eas res utiles merito vocandas ſibi videri, quæ non facile damnum parturire poſſint: ignorare vero ſe, quanam ratione hæc expeditio cuiquam utilis haberi quaat, cujus damna certiſſima, commoda vero hactenus in ambiguo ſint. In certo damno reponendos eſſe ſumptus, qui bellum neceſſario comitentur, quos quidem adeo ingentes oculis expoſitos habeat, ut ii Rempub. locupletiſſimam, ne ipſi dicendum ſit eam, quæ tam diuturno bello exhauſta ſit, non immerito terrere debeat. Utilitatem porro, quam ſolam ſperare liceat, eſſe occupationem civitatis Luccenſis, quam ingentem quidem negare ipſemet nolit, verum non minus ſiniſtra, quæ hanc expeditionem comitentur, perpendenda eſſe, quæ quidem tanti ipſi videantur, ut eam occupari poſſe plane deſperet: neque vero ſibi perſuaderi patiantur, ſive Venetos, ſive Philippum, eam expugnari paſſuros, iſtos ſiquidem ſimulare ſaltem, ne ingrati Florentinis habeantur, quorum nimirum opibus adeo recenti Imperio creverint, hunc vero omnino gratum habiturum, ut Florentini novo bello implicentur, quo ſumptibus viribusque undique exhauſtos, eo faciliore opera poſtmodum invadere queat, neque huic rationes defuturas, in ipſo victoriæ, ſi quæ ſperetur, articulo, quibus

Luccenſibus,ſive clanculum pecunia,ſive exauctoratone copiarum,ſive ſubmittendo milite gregario,opē ferat.Eam ob rē monere,ut ab inceptis deſiſtant,ſuasque rationes cum Tyráno ita ineant,ut ipſum, quātum quidē ejus fieri poſſit,quamplurimi hoſtiū intra mœnia concitentur,nulla enim via Luccenſes facilius obtineri poſſe, quam ſi Tyranni imperio devorandi relinquantur.Quod ſi etenim huic viæ prudenter inſiſtatur,facile urbem eo deventurá, ut necà Tyranno conſervari,neq; ipſa ſeſe regere queat,adeoq; tandem ad Florentinos ſponte conceſſura ſit. Animadvertere quidem ſeſe,ob animos jam præoccupatos,verborum ſuorum rationem nullam haberi, hoc tamen nihilominus ſe ipſis prædictum velle, in expeditionem iſtiusmodi ipſos ruere,qua maximis ſumptibus, periculisq; ſeſe expoſituri, atq; occupandorum Luccenſiū vice eos à Tyranno liberaturi,eaq; ratione ex civitate alioquin amica,nunc vero ſerva atq; ſubjugata, liberam ac inimicam,quæque aliquando potentiam hujus Reipub.æmuletur, effecturi ſint.

Bellum cōtra Luccenſes decretū. Re ergo,hinc inde,inq; utramq; partem deliberata tandem ad ſententias,ſorte inveſtigandas, deſcenſum fuit,quarum quidem ſaltem XCVIII,à bello diſſentiente compertæ ſunt.Ergo Decemviri confeſtim creati, copiæq; tam pedeſtres quam equeſtres conſcriptæ: legatorum ad exercitum partes tributæ Aſtorrio Joanni,Rinaldoq; Albizio,actumq; porro cum Nicolao Fortibraccio,ut caſtris à ſe occupatis Florentinis cederet,ipſisq; ea expeditione militaret.Legati poſtquá in agrum Luccenſium deveniſſent, copias dividere cœperunt,atq; Aſtorrius quidem planiciē verſus Ca majores Petrāq; ſanctá occupavit,Rinaldus vero mōtes petiit,arbitrati,poſtquá omnē Luccenſium ditionem cœpiſſent,eo minore cum diſcrimine urbem expugnari poſſe.Caruit vero horū expeditio felici ſucceſſu,non quod nō ſatis ſtrenue pugnaſſent, ſed quod utriſque adminiſtrationis ratione, multa imponerentur, licet Aſtorrius ſeſe manifeſtis rationibus purgaret.

Eſt

Eſt vallis juxta Petram Sanctam, Seraveza nuncupata, dives, habitatoribusque referta, qui Legato adventanti obviam profecti, ſeſe in clientelam Reip. Florentinæ recipi, obnixe rogarunt. Recipere ſe ipſos Aſtorrius dixit, verũ occupato mox omni aditu ſituque munitiore, omnibusq; incolis in quoddam templum convocatis, ad unum omnes corripi. atq; in vinculis ſervari juſſit, inde crudeli avaroque exemplo, omnem regionem diripiendam vaſtandamq; expoſuit, nec virginibus nec matrimonio junctis, quin etiam neque ipſis locis ſacris parcens.

Crudelitatis in deditities exemplum.

Res eum ad modum adminiſtratæ, poſtquam Florentinis innotuiſſent, non modo magiſtratui, verum univerſis civibus ſummopere diſplicuere. Atq; Seravezenſium quidem alii, qui Legati manus effugerant, Florentiam delapſi, omnes vicos atq; compita querelis ſuis implebant, calamitatemq; ſuam omnibus aperiebant, tandemq; ab aliis, qui vel Legatum tanquam virum nequam, punitum cuperent, vel alioquin partes illas averſarentur, inſtigati, coram Decemviros delati, hunc ad modum rem ſuam agere cœperunt.

Minime dubitamus, Clariſſimi Principes, verba noſtra tam fidem, quam commiſerationem penes vos habitura, ſi modo vobis expoſuerimus, qua ratione à Legato veſtro, regio noſtra occupata, qua porro ab ipſo habiti acceptiq; fuerimus. Vallem noſtrã (quod annales veſtri copioſe teſtari queant) conſtat ſemper Guelfarum partium, atque multotiens ſecurum aſylum civibus veſtris, ſi qui à Ghibellinis pellerentur, extitiſſe, ſemperq; nomen hujus Reip. tam avis quam nobis ipſis, venerandum fuiſſe, quod ea nimirum caput harum partium, non immerito, audiret. Atque Luccenſibus quidem quam diu hi ab iis partibus ſteterunt, lubenti animo paruimus, poſtquam vero ipſi, Tyrannide oppreſſi, antiquas amicitias negligere, atq; Ghibellinos ſectari cœperunt. ab eo nimirũ tempore, non niſi inviti coactiq;, imperium ipſorum tulimus. Notum vero Deo perquam ſatis eſt, quoties votis occaſioné ab ipſo expetiverimus, qua animum noſtrum

erga.

ergò antiquas partes, nobis teſtari liceret. Verùm quam cæcæ ſunt humanæ mentes atque deſideria, id ſiquidem, quod ſaluti noſtræ expetebamus, extremo exitio nobis ceſſit. Vix ſiquidem ſigna veſtra ad nos converti intellexeramus, quin mox ad Legatum veſtrum, non tanquam hoſtem, ſed potius antiquum Dominũ noſtrum properaremus, noſtramq; patriam, fortunas, nosque ipſos, ipſius tutelæ concrederemus, in ipſo nos animum Florentinum, vel ſaltem humanum offenſuros confiſi. Pax ſit verbis noſtris, Clariſſimi viri, nam cum nihil ſuperſit, quod in nos deinceps atrocius conſtitui queat, quam ea modo perpeſſi ſumus, eo confidentius coram vobis animum noſtrum exprimimus. Nihil in Legato veſtro hominis, præter aſpectum, nec Florentini, præter nomen deprǽhendi poſſit. Peſtis eſt potius mortifera, fera, ſæva & immanis, monſtrumque adeo horrendum, quò truculentiús nullo à ſcriptore unquam expreſſum fuit. Convocatos ſiquidem nos, tanquam concionabundus, in ipſo templo in vincula conjecit, vallemque omnem incendiis vaſtavit, colonos, eorumque fortunas, rapinis, direptionibus, cædibusque exhauſit, ſtupra maritatis intulit, raptasque è ſinu matrum virgines libidini militum ſuorum expoſuit. Quod ſi vero nos, vel in Remp. Florentinam, vel in ipſum aliqua ratione injurii, mala iſta provocaſſemus, vel armati atque pugnantes depræhenſi eſſemus, equidem non modo nihil conqueremur, ſed potius nos ipſos accuſaremus, quod nimirum ea, vel ob injurias, vel ob arrogantiam noſtram, obveniſſent: verum poſtquam inermes, liberique in clientelam ipſius conceſſimus, atque poſtmodum tot calamitatibus oppreſſi fuimus, id vero optimo jure nobis dolendum venit. Licet autem universam Longobardiam, quærimoniis noſtris replere, omniq;. Italiæ, injurias noſtras atrociſſimas, non præter hujus Reip. labem, exponere, in arbitrio noſtro ſitum fuerit, eo tamen deſcendere hactenus nobis integrum non fuit, ne ſcilicet tam præſtantis piæque Reipub. memoriam, crudeliſſimi atque infamis

mis civis ſui labe contaminaremus, cujus quidem avaritiam, ſi ante cladem noſtram perſpicere licuiſſet, conati ſane fuiſſemus, inexpletũ ipſius animum (licet menſura fundoq; careat) aliquo modo ſatiare, parteq; fortunarũ noſtrarũ, reſiduũ redimere. Cum verò id nobis jam non liceat, eam ob rem ſupplices ad vos cõfugimus, atq; obnixis precib. rogamus, ut ſubditorũ veſtrorũ miſereri dignemini, ne alii, calamitatib. noſtris edocti, imperio veſtro ſeſe ſubmittere, deinceps dubitent atq; abſterreantur. Quod ſi verò, adeò ingentes noſtræ calamitates, vos movere nequeant, at moveat vos iræ divinæ terror, qui oculis ſuis ædes ſuas diripi, veſtrosq; in gremio ſuo, proditorie jugulari conſpexit.

Quibus cùm ad modum peroratis, ad genua Decemvirorũ provoluti, res ſuas, patriamq;, tum uxores maritis, filiasq; matribus, poſtquã de honore actum eſſet, reſtitui, in lachrymas effuſi, magno conatu obſecravere. Atrocitate igitur iſtius facinoris primum fama, poſtmodũ eorũ voce, qui mala iſta perpeſsi erant, exaggerata, cõmotus fuit magiſtratus non mediocriter, adeo ut cõfeſtim Aſtorrius revocaretur, req; cognita, cõdẽnaretur, & admonitione notaretur: Seravezẽſiũ præterea facultates ſtudioſe cõquiſitæ, quæq; earum nomine multis nominibus, temporis ſucceſſu, ipſis à Rep. ſatisfactum fuit. *Eiusq; pæna.*

Reinaldus porro ex altera parte inſimulabatur, etiam non Reipub. ſed proprio commodo bellum gerere, cupiditatemq; Lucenſium ſubjugandorum, poſtquam Legatus ad id bellum miſſus eſſet, apud ipſum evanuiſſe, quin potius in id incumbere, ut regionẽ deprædata, tam prædia ſua armentis, quam ædes ſuas ſpoliis exornaret, ſiquidẽ non contentũ prædis, quas ſatellites ipſius agerent, etiam militum ſuorum rapinas in ſe transferre, adeò, ut ex Legato, jam in mercatorem abierit. Atq; id generis quidem caluminæ ad ipſem delatæ, animum ipſius, alioquin tumidum atq; elatum, eòusq; fodicarunt, ut præter honeſtatem perturbatus, inq; Magiſtratum civesq; ira percitus, nec

rogata nec exſpectata venia, Florentiam repedaret, coramq; Decemviris hunc ad modum expoſtularet.

Equidem minime ipſum latere, quam difficile atq; periculoſum ſit,civitati effræni,atq; in ſeipſam diviſæ inſervire, ſiquidem alteram partem quævis fama excitare, altera malas adminiſtrationes perſequi, bonas præmiis non afficere,ambiguas tandē culpare ſoleat: adeo ut ſi vincas, à nemine lauderis,ſi pecces,ab omnib⁹ cōdemneris,ſi ſuccūbas,ab omnib. calumnieris, atq; tandē à parte amica invidiis,ab adverſa odiis,exagitere.Nihilominus, nunquā ſe vanis impoſitionibus atq; culpationib. tantum tribuiſſe, ut quidquā, quód ex uſu Reip arbitraretur,prætermitteret.Inficiari interim non poſſe,calumniarum iſtarum,quibus modo petatur,turpitudinem,patientiā ſuam viciſſe,omnēq; ipſius naturam immutaſſe. Rogare eam ob rem Magiſtratum, ut deinceps promptiores in tuendis civib. eſſe velint,quo etiam hi paratiores pro patria conſervanda eſſent,adeoq;, poſtquam triumphum agere, ea in urbe,non conſueverit, ſaltem falſæ calumniæ inde arceantur,ipſiq; meminerint,etiam ſeipſos ex civium eorum numero eſſe, quorum humeris indies iſtiusmodi provinciæ imponi poſſent,qua quidē via experturi ſint, quantopere perverſæ iſtiusmodi calumniæ, integros candidósq; viros fodicare ſoleant.

Decemviri, tempori inſervientes, animum ipſius mitigare adgreſsi ſunt, provincias vero iſtas Nerio Ginio,atq; Alamāno Salviati demandarunt,qui quidem,omiſſa regionis depopulatione,ad urbem ipſam ſucceſſerunt,quod vero frigore impedirentur,ad Capannolam ſubſiſtere, neq; militem, ob temporis iniquitatem,compellere unquam potuerunt, ut obſidionem proprius urgere vellent,licet Decemviri, poſthabitis omnib. excuſationibus,eā ſollicite imperarēt.

Agebat id tēporis Florentiæ,Architectus longe celeberrimus,Philip. Brunelleſcus, cujus opera multa in hac urbe hactenus cōſpiciuntur præſtantiſsima, quib. quidē meruit,ut ipſi,ab obitu,ſtatua marmorea in ſūmo templo poneretur,cui ipſius laudes inſculptæ,te-

ſtimoni-

ſtimoniũ virtutis,hodiernum legentib.exhibent. Demonſtrabat ille evidenti ratione,tam ex ſitu urbis quā fluvii Serchii altitudine petita,poſſe Luccenſes aquis mergi,idq; toties inculcare non deſiit,quouſq; Decēviri,experimentũ ejus rei capiendũ,deſcēderēt,quod quidē nil aliud,quā exercitui noſtro ſtragē, Luccēſib. vero ſecuritatē attulit. Illi ſiquidē, ducto adverſo aggere,qua Serchius fluvius in ipſos derivaretur, nocte quadam aggerē alterum, per quē Serchius ,in ipſorũ perniciē,derivabatur ruperunt,eaq; aſtutia effecerũt, dum fluvius aggere ſuo effracto erumperet, inq; aggerē alterum adverſum,quē modo diximus delatus, illum penetrare minus poſſet,ut aqua repercuſſa,per omnē planiciē diffunderetur, qua quidē ratione caſtra,noſtra nō modo ad urbē propius ſuccedere neq; bāt, verùm etiā longius abſcedere neceſſe habuerunt Conatu ergo iſto irrito, Decemviri recens conſtituti, expeditionis iſtius curam, Joanni Guicciardino demandarunt. Atque hic quidem, quamprimum ipſi licuit, ad ipſa mœnia ſucceſsit.

Tyrannus itaq;, jam de ſucceſſu ambiguus, Antonii Roſſii Senenſis,qui publico Senenſium nomine apud ipſum morabatur, ſuaſu , Salveſtrum Trentam Ludoicumq; Bonviſium,ad Ducem Mediolanenſem oratores ablegavit, qui quidē Tyranni nomine auxilia rogarunt : poſtquā vero eum inde alienīorē experirentur,ſecreto apud ipſum egerunt, ut ſuppeditato milite,populo oppreſſo ſubvenire vellet, Tyrannũ ſiquidē cōpræhenſum,unà cum urbe ſe in ipſius manus depoſituros,alioquin tyrannũ eam Florentinis ceſſurum,qui ingenti ſpe inflatũ ejus perſuadere niterētur. Cum ergo Dux ne Tyrannus cum Florentinis conveniret, ſūmopere metueret, eam ob rē mora omni valere juſſa cōſtituit,ut Comes Franciſcus Sforzia, qui ipſi id tēporis militabat,ab eo,miſſionē tāq̃ Neapolim cũ turmis ſuis profecturus, publice peteret, qua quidē ille ex pacto impetrata,mox cum milite ſuo Luccā petiit,licet Florentini ejus rei non neſcii Comitem ab incepto per Boccaccinum Alamannũ ipſius amicum, divertere, conārentur.

Luccenſes à Florentinis obſeſsi.

Quibus à Duce Med. clam auxilia ſubminiſtrata.

Confeſtim igitur atq; Comes Luccam perveniſſet, Florentini exercitũ ſuum ad Libraſactã receperunt. Comes verò Peſciam obſidione cinxit, quam id temporis Paulus Diaccetus regebat, qui quidẽ metu potius, quam alio conſilio percitus, ad Piſtorienſes fuga ſe recepit, urbemq; ipſam, niſi ea à Joãne Malavoltio ſtrenue defenſa fuiſſet, prædæ hoſtium expoſitam reliquiſſet. Cum ergo Comes primo impetu Peſciã non cæpiſſet, inde ad vicũ Buggianũ deflexit, eumq; occupavit, Stilianumq; caſtrũ vicinum incendio abſũpſit.

Florentini ea ſtrage perculſi, ad ea confugêre media, quarum operam ſæpius ſalutarẽ experti fuerant, utpote non ignari, ubi apud Ducem inimicum vis minus poſſet, non raro corruptionem feliciter ceſſiſſe. Oblata igitur Comiti magna auri vi perfecerunt, ut inde cum milite ſuo diſcedere, urbemq; ipſis proſtituere mallet. Atque Comiti quidẽ videbatur, nihil ſibi ſpei apud Luccenſes exhauſtos, deinceps ſupereſſe, eam ob rem facile eam ad partẽ deflexit, unde plus exſpectandũ eſſet. Convenit itaq; cum Florentinis, non quidẽ, iut ipſis Luccenſes traderet, honeſtatis ſiquidẽ habita ratione, id facere recuſaverat, ſed ut eos, quinquaginta Hungaricorum millibus exolutis, deſereret: quo porro Luccenſes ipſum Duci purgarent, cum illis, ut Tyrannũ expellerent, deinceps agere cœpit.

Diximus ſupra, Senenſium nomine, Antoniũ Roſſium Luccenſibus, ea in obſidione, adfuiſſe, ille igitur una cum Comite, in ruinam Pauli, cum civib. cõvenire cœpit, Cõjuratorũ principes erant, Pet. Cennamius & Joãnes ChiVizanus: Comes verò extra mœnia, ad Serchium, caſtra ſua, filiumq; Pauli Ladislaũ ſecum habebat. Nocte ergo concubia, conjuratorum circiter quadraginta, armati in Palatium irruerunt, ad quorũ ſtrepitum experrefactus Paulus, ipſisq; obvius de adventu ipſorum rogare cœpit, cui à Petro Cennamio reſponſum, fuiſſe ipſos hactenus ſub ipſius imperio, eoq; jam deductos, ut hoſtibus circũquaq; obſeptis, ferro fameq; ipſis tandem pereundum ſit, decreviſſe eã ob rẽ, ſibi ipſis deinceps regendis ſatis eſſe, repetere ergo

A quibus Tyrannus proditur.

ergo ab eo claves, unâq; theſauros urbis. Ad quæ Paulus, theſaurum quidem conſumptũ, ſe verò unâ cum clavibus in ipſorum poteſtate eſſe, id ſolum depræcari, poſtquam imperium citra ſanguinem nactus parique ratione eo hactenus uſus eſſet, ut idẽ præter ſanguinem finem haberet. Deductus ergo, unâ cum filio, à Comite ad Ducẽ, âbo poſtmodũ in carcere periere.

Mediolani in carcere periit.

A Comitis diſceſſu, Luccenſes jam à Tyranno, Florentini vero à metu, quo ad copias ejus liberi agebãt. illi eam ob rem, qua ratione ſeſe porro defenderent, hi verò, qua via illos expugnarẽt utrinq; intenti: conduxerant ſiquidem Florentini Comitem Urbinatem, ejusq; dexteritate urbem in eas anguſtias compulerant, ut ipſis denuo ad Ducem recurrendum fuerit, à quo pari via, qua ante Comitem ad ipſos ablegaverat, Nicol. Piccininus ipſis ſubſidio miſſus fuit. Huic dum Luccã ſeſe recipere cuperet, noſtri ad Serchiũ occurrẽre, dumq; in flumen trajicientẽ irruerent, profligati ab ipſo fuere, Legato cũ paucis fuga Piſas elapſo.

Florentinorum exercitus à Piccinino profligatus.

Conſternavit clades iſta nõ mediocriter civitatem noſtram, neq; populus habebat, in quos potiſsimum, eã ob rẽ inveheretur, poſtquã expeditio nimirũ communib. votis ſuſcepta fuiſſet, proſcindebant ergo eos, qui illã adminiſtraverant, cum hos accuſare non poſſent, qui ejus authores fuerant, eaq; revocarunt, quæ Reinaldo imputabãtur, inprimis verò Jo. Guicciardinus, omniũ ore, miſere lacerabatur, in cujus nimirum poteſtate fuerit, poſt Sforziæ diſceſsũ, bello finẽ imponere, verum pecunia, cujus ingentẽ ſummã domũ miſiſſet (nominabant porro illos tam qui numeraſſe, quã qui recepiſſe perhibebantur) corruptũ, id neglexiſſe. Atq; ea quidẽ fama eousq; percrebuit, ut tandẽ Capitaneus, tam publicis iſtis vocibus, quam adverſa à parte inſtigatus, illum in jus vocaret. Et comparuit quidem Joannes, irato perquam animo, verum ipſius parentes, proprii honoris cauſa, cum Capitaneo egerunt, ut accuſationem negligeret.

Recuperavẽre Luccenſes, ab ea victoria, omnem ditionem ſuam, præterea univerſum agrum Piſanũ,

Inſidiæ in Piſanos detectæ.

Piſanum, (Bientino, Alcinajo, Liburno ac Librafactæ exceptis) Florentinis eripuere, atq; adeo, niſi conjuratio contra Piſanos facta, evulgata ante rem eſſet, etiam de ipſis Piſis actum fuiſſet. Reſtituere eam ob rē, Florentini ordines ſuos cœpere, iisq; Michellettum, Sfortiæ alumnū, præfecere. Altera ex parte Dux victoriā, non minore animo, proſequebatur, atque quo Florentinos undiq; felicius opprimeret, effecerat, ut Genuenſes, Senēſes, atq; Pombini Dominus, de Luccenſib. protegendis paciſcerentur, atq; Nico. Piccininū ad ſtipendia ſua vocarent, qua quidem re, de ipſius animo jam palam conſtare cœpit.

Pax inter Florentinos, Lucenſes & Senenſes firmata.

Eam ob rem Florent. denuo cum Venetis in fœdus cōvenere, bellumq; jam manifeſto in Lōgobardia atq; Tuſcia agi ceptū, diverſoq; tēpore, multis in locis, vario Marte pugnatū, donec tandē omnes defeſsi, Anno MCCCCXXXIIII, menſe Majo pacem firmarēt, qua quidē cautū fuit, ut Florentini, Luccenſes, atq; Senenſes, quod alii aliorum ditionis occupaſſent, utrinque cederent, atq; ad antiquos limites reverterentur.

Coſmi Medicei vita.

Hæc dum extra urbem agerentur, in ipſa urbe maligni iſti humores, quorū toties mentionē fecimus, altius radices defixerant, atq; Coſmus quidē Mediceus ab obitu patris ſui, majore animo atq; ſtudio, in rebus publicū cōcernentibus, verſabatur, liberalitate porro erga amicos, patrem longe anteibat, adeo ut illi, quib. Joannes obitus gratus fuerat, jam ipſum, ob Coſmi præſtantiam, lugerent. Erat Coſmus vir prudentiſsimus, gravis, acceptus, plane liberalis, humaniſsimus, qui nihil unquam contra partem adverſam, aut Reip. adminiſtrationem moliretur, ſed potius beneficiis ſuis, omnibus prodeſſe, ac liberalitate quamplurimos civium ſibi devincire niteretur, adeo ut ipſius rationes iis, qui Rempub. adminiſtrabant, invidiam parturirent, ſibi vero perſuaſum erat, aut ea via ſibi ſecuro atque potenti, in urbe vivere licere, aut ſi id per ambitionem adverſariorum minus liceat, ſe favore partium, atq; armis, facile ſuperiorem eſſe poſſe. Atque equidē, ad ſtabiliēdā ipſius potentiā, Everardus

Mediceus

Mediceus,atq; Puccius Pucci,non mediocriter contulerunt, quorum quidem ille audacia, hic verò prudentia,ſagacitate,fautoribus,atq; majeſtate, ipſum evexerant. Pucci ſiquidem conſilia atq; judicium,tanti apud omnes æſtimabantur, ut partes Mediceæ, non à Coſimo,ſed à Puccio denominarentur.

Atq; iſtiusmodi quidē diviſionibus,ſuperſtructa fuerat Luccenſis expeditio, qua ſane animorum iſtorū pravá cōſtitutio,nō modo nihil remiſit, ſed potius incrementum ſumſit. Licet verò pars, quæ Coſimo adhærebat, illam expeditionē promoviſſet,nihilominus ad ejus adminiſtrationē, multi adverſarum partium pervenerant, utpote,qui potiores in Rep. erant, cui quidem rei, poſtquam Everardus Mediceus atq; cæteri obſiſtere non poſſent,ideo calumniis eos inſectari omni ſtudio nitebantur, atq; ſi forte aliquam cladem accipere contingeret(quæ quidem creberrimæ fuere) ea non adverſæ fortunæ,vel potētiæ hoſtium, ſed imprudentiæ Legatorum tribuebatur. Hinc delicta Aſtorrii Joannis in majus exaggerata fuere, hinc Reinaldi Albizii indignatio,qua exercitum absque venia deſtituerat, originem ſumere, hinc Capitaneus Joannem Guicciardinum in jus vocare, hinc omnia, quæ vel magiſtratui vel Legatis imponerentur, naſcere ſolebant, ſiquidem tam vera exaggerabantur, quam non vera confingebantur, porro, ſive vera, ſive falſa, à populo illo, qui pleroſque odio habebat, credebantur.

Atq; eæ quidem inſolitæ rationes, Nicolaum Uzanum, atq; reliquos partium adverſarū patronos, minime latebant, multotiesq; deliberatum inter ipſos fuerat, ſi quomodo obviam iri poſſet, verum eam viam hactenus perveſtigare minus potuerant, ſiquidē, tam ad eorum malorum incrementa connivere, periculoſum,quam ad ea evertenda conari, pariter difficile videbatur. Nicolaus Uzanus inter primos erat, cui extra ordinem obviam ire minime probaretur: veruntamen, poſtea quam tam extra in acie, quam intra urbem, in iſtiusmodi anguſtiis ageretur, eam *Inſidiæ in ipſum.*

ob rem adverſarum partiũ non poſtremus Nicolaus Barbadorius, Nicolaũ à ſententia dimovere ſibi ſumſit, atq; ut in Coſmi ruinam conſentiret, multis ipſum perſuadere adgreſſus eſt, ad quæ Uzanum ſic reſpondiſſe compertum eſt.

Nicolai Uzani pro patria tranquillitate conſilium.

Optandum equidem, tam tuo, quam familiæ tuæ, quin etiam ipſius Reipub. bono, ut tibi, iiſque omnibus, qui partes tuas ſequuntur, barba nõ aurea (quod nomen tuum ſonat) ſed potius argentea eſſet, nam ſi conſilia veſtra è capite cano, atq; longo rerum uſu edocto promanarent, equidem ea proculdubio magis matura eõq; omnibus utiliora forent. Mihi quidẽ videtur, qui de Coſmo pellendo deliberant, iis ante omnia vires, tam ſuas, quã Coſmi, ſedulo examinandas eſſe. Appellatis quidẽ haſce partes noſtras, partes nobilium, cõtrarii nomen plebis tribuitis: ſit porro, pro rei veritate partes indigetatas eſſe, nihilominus tamẽ victoria nobis plane in ambiguo ſita foret, ſiquidem plura ſint, quæ nos metuere, quã quæ ſperare jubeãt, præſertim, ſi exẽpla antiquæ nobilitatis ſpectare velimus, quã à plebe extinctam noviſtis: verum longe graviora nobis metuenda ſunt, quod nimirũ partes noſtræ disjunctæ, adverſariorũ verò integræ ſint. Primo equidẽ cõſtat, Nerium Ginium, Neronemq; Nigium primos urbis noſtræ cives, nunquã eousq; progreſſos, ut certo inde conſtitui poſsit, an noſtris potius quam iſtis partib. adhæreant, multæ præterea familiæ, imo ipſæ domus noſtrarum partium inter ſe diviſæ ſunt, adeo ut non pauci, ob invidiam, qua erga fratres aut parentes feruntur, nos deſtituant, illosq; contra ſectẽtur, cujus quidẽ unicũ tibi exemplũ ob oculos conſtituam, ut de reliquis ipſemet judicium ſumere poſsis. Ex filiis Maſonis Albizii, cernis Lucã, in odiũ fratris Reinaldi, in adverſas partes cõceſsiſſe. Filiorũ Joãnis Guicciardini, Perrũ ob inimicitias cũ fratre Joanne, idẽ facere noſti, Thomas præterea atq; Nicolaus Soderini, ob odiũ patrui Franciſci, manifeſto partes iſtas amplectuntur: adeo, ut ſi accurate omnia perpendere libeat, quinã illi, qui etiã nos ſimus, equidẽ ego minus

animadvertere queam, quamobrem partes noſtræ nobilitatis titulo, iſtis præſtare merito dici queant? Nam ſi id inde proficiſci velis, quod ipſi plebem ſuam habeant, ſane eo ipſo, nos longo intervallo poſt ipſos relinquimur, cum eam ob rem, ſi ad arma deveniendum ſit, nobis reſiſtendi plane locum nullum ſupereſſe liqueat. Nec porro magni momenti fuerit, nobis hactenus dignitates noſtras ſalvas eſſe, id etenim non potentia partis, verum inde potius fit, quod antiqua iſta exiſtimatio, qua quinquageſimum jam annum moderamine Reip. præſenti, Reſpub. ſalva ſtetit, nobis hactenus opituletur, quod ſi vero experimentum ipſis hujus rei capere liberet, quo nimirum imbecillitas noſtra detegeretur, actum de nobis omni proculdubio eſſet. Quod ſi vero juſticiá cauſæ, quam fovemus, nobis opitulaturam, illisq; obfuturam arbitrere, ad id ſic tibi reſpóſum velim, requiri inprimis, eá juſticiam, tam aliis, quam nobis ipſis perſuaſam prius eſſe, quod tamen contra ſe habet, ſiquidem ratio, quæ nos ad iſthæc deliberanda movet, uni huic ſuſpicioni innititur, Coſmum Tyrannidem occupare cupere: hæc vero ſuſpicio, ipſos non pariter ac nos ambiguos habet, imò potius nos ipſos illius rei, qua ipſos premimus, in ſimulant. Atq; actiones quidem, quæ Coſmum nobis ſuſpectum reddant, hæ potiſſimum ſunt, quod facultatib9 ſuis omnibus ſubventum cupiat, atq; non ſolum privatis, verum etiam Reipub. nec modo Florentinis, ſed etiam militiæ Ducibus iisdem inſerviat, hisque favore ſuo adſit, qui Reipub. munia ambiunt, ſiquidem modo hunc, modo amicorum illum, ea qua pollet apud plerosque gratia, ad altiora evehere ſoleat. Ergo neceſſe tandem foret, rationibus iſtis, quibus exilium viri omnibus perſuaſum cupimus, inſerere, eſſe nimirum miſericordem, eſſe officioſum, liberalem, atque ab omnibus amatum. Cognoſcere interim ex te lubens velim, quænam lex miſericordiam, liberalitatem, amorem prohibeat, vituperet, aut condemnet? nam licet iisdem rationibus etiam illi, qui ad ad Tyrannidem conantur, inſiſtere ſoleant, nihilomi-

nus ea ſic ſe habere non creduntur, nec nos ad ea omnibus perſuadenda ſufficimus: actiones ſiquidem noſtræ, noſtram fidem in dubium conſtituerunt, neq; hæc civitas, utpote partibus dedita, peſſimisq; humoribus innutrita, aures iſtiusmodi accuſationibus præbere poſſit. Sit vero, fortunam vos habere adeo propitiam, ut illum pellendum vobis deſtituat, quod quidẽ, modo magiſtratum habeatis propitium, non omnino difficile factu ſit, qua porro obſecro via inter tot ipſi⁹ amicos, quos hic ſubſiſtere atq; ipſius deſiderio ardere par eſt, ipſius reditum unquã evertere queatis? Impediri ſane iſtud nullo modo poſſet, nam cum eorum tam ingens numerus, benevolentiaq; omnium erga ipſum propenſa ſit, nunquã ab iis ſecuri eritis: atq; quo plures primorum ipſius amicorũ expuleritis, eo majorẽ inimicorum copiã vobis conciliaveritis, ut tandẽ non magno poſt intervallo, ipſum reverſum, idq; vobis inde partum, ut bonum expuliſſe, mallum vero reverſum eſſe, conſpicere cogamini. Ingenium ſiquidẽ ejus, ab iis corrumpi conſequeretur, qui de ipſo revocando authores fuiſſent, quorum quidẽ conatibus, ob beneficia in ipſum ea ratione profecta, ſeſe opponere ipſi integrũ non foret: quod ſi vero eũ penitus extinguere cupitis, id porro auxilio magiſtratus nunquã obtinebitis, divitiæ ſiquidem ejus, ingeniaque veſtra corruptionibus obnoxia, eũ facile diſcrimini eripient. Sit vero ipſum vel extingui, vel etiã nunq̃ redire, nihil tamen video, quid inde lucri Reipub. noſtræ accedere queat, nã ſi ea à Coſmo liberetur, à Reinaldo proculdubio propediẽ occupabitur. Atq; ego quidẽ, ex eorum numero me eſſe profiteor, quibus optimũ videtur, neminẽ civium potentia aliũ excedere, quod ſi tamen alterutrũ horum eò conſcendere fatale ſit, equidem nihil video, quod me in Reinaldum potius, quã in Coſmum ferre debeat: verum his plura addere nolo hoc unum à Deo precibus contendo, ne hanc urbem à proprio cive ſuo occupari; aut ſi tandem peccata noſtra id promeruere, ne ſaltem hunc cervicibus noſtris imponi patiatur. Noli igitur ad ea amplectanda hortari

tari,quæ omni ex parte damnoſa ſunt,neq; etiam credere,te paucis ſtipatum, voluntati plurimorū devincendæ parem eſſe,ſiquidem omnes, quotquot nobis cives ſunt,partim ignorantia, partim malitia, Remp.noſtram venalem,tum fortunam eousq; propitiam habent,ut emptorem jam nacti eſſe videantur.Sequere ergo meum conſilium, teque intra cancellos modeſtiæ contineto,porroq; tam eos,qui partium noſtrarum,quam qui adverſarum ſunt, ſuſpectos habeto,atq; ea quidem ratione,cum neutræ parti te addixeris,ſi forte turbari contingat,omnibus acceptus,atque tam tibi ipſi, quam patriæ emolumento eris.

Florentini venales.

Atque hæ quidem rationes, animum Barbadorii non mediocriter cohercuerunt,adeo ut inde,quandiu bellum cum Luccenſibus eſſet,quieſceret:verum pace cum iis cōſtituta,quam mors Uzani conſecuta fuit,equidem urbs tam bello, quam fræno pariter deſtitui cœpit, unde maligni iſti humores in immenſum excrevêre. Reinaldusq; jam ſolum partium iſtarum ſe caput eſſe,ſibi perſuaſus,non deſiit,omnes iſtos cives,quos Gonfalonerii officio pares eſſe conjiceret, rogare atq; obteſtari, quo patriam ab iſto homine liberatum properarent,qui neceſſaria via eam ob malitiam paucorum,ignorantiam vero multorum, occupatum iret.

At hæc quidem acta,tum etiam ea,quæ à parte adverſa gerebantur,omnem civitatem ſuſpenſam tenebant,omniq; vice, cum ad legendos novos magiſtratus conveniretur,publice decantabatur,quotnam harum vel illarum partium lecti eſſent, omnisque urbs, cum ad ſortem deſcenderetur, commota conſpiciebatur, omnia negotia,quantumvis minima,inter eos qui Rempub. adminiſtrabant, in contentiones abibant, ſecreto tractata evulgabantur, tam recte, quam male acta,patronis pariter abundabât, atq; carebant,boni malique æqualiter mordebantur, neque quisquam ex magiſtratu officio ſuo ſatis faciebat.

Diſſenſio in Republica.

Rebus ergo Florentinorū eum ad modū confuſis, poſtquam Reinaldo omnino decretū eſſet, potentiā

Coſmi evertere, eumque non lateret, poſſe Bernhardum Guadagnium, Gonfalonerii dignitatem conſcendere, niſi ob debita publica inde arceretur, ideo ea exſolvenda in ſe tranſtulit. Placuit inde fortunæ, utpote diſcordiis noſtris amicæ, ut Bernhardus ſorte id officii adipiſceretur, adminiſtrandumque menſe Septẽbri & Octobri gereret. Subito ergo Reinaldus ad ipſum concedens, maximopere tam nobiles quam reliquos præterea omnes, quibus recta vivendi ratio probaretur, de dignitate adepta ipſi gratulari dixit, jã ſuarum partium eſſe, ne fruſtra eam ob rẽ gaviſi fuerint; inde ad pericula digreſſus, quæ ex diviſionibus iſtis penderent, nõ alia eas via, niſi unã cũ Coſino extingui poſſe aiebat, utpote quæ ab immoderatis Coſmi divitiis, quarum ope tantã benevolentiã adeptus eſſet, nutrirentur, eoq; hominẽ iis rationibus iã conſcẽdiſſe ut niſi mature obviã eatur jam Tyrannidẽ mox occupaturus ſit, quod ſi ergo bonus civis audire velit, ſuas jam partes ipſi agendas, populum ad arma vocandum, atque Repub. in melius diſpoſita, libertatem patriæ reſtituendam eſſe. In memoriam porro ipſi revocavit, potuiſſe Salveſtrum Mediceum, nulla juſticia fretum, Guelforum potentiam dẽprimere, licet adminiſtratio Reipub. ob partam, ipſorum ſanguine, patriæ tranquillitatem, partibus iſtis merito obveniſſet, cur ergo minus ipſi liceat, contra hunc ſolum idem jure conari, quod iſti, nullo jure, contra quamplurimos fœliciter ceſſerit? Tandem hortatus, ſe virum præſtaret, non defutura ipſi amicorum opportuna auxilia: neque plebem, quæ Cosmum adoraret, ſummopere metuendam, cum Coſmo nihil plus opis inde ſperare liceat, quam olim Georgius Scalius ab eadem expertus fuerit, nec etiam divitiarum ejus rationem habendam, nam ipſo in manus Magiſtratus delapſo, pariter etiam facultates ipſius, in horum arbitrio fore, tandem conatus iſtos, tam Reipub uſui atq; concordiæ, quam ipſi ſummæ gloriæ ceſſuros.

Coſmus inſidiis petitur.

In vincula conjectus.

Ad quæ paucis Bernhardus, Neceſſaria omnino ſibi videri ea, quæ ipſe jam deſeruiſſet, cum ergo

tempus

tempus perficiendæ rei debeatur, ſtet modo Reinaldus cum ſuis in procinctu, ſibi jam collegas adgrediendos ſupereſſe.

Quamprimum ergo Bernardus munus ſuum adminiſtrare cœpiſſet, collegarum præterea animos ſibi paraſſet, atque cum Reinaldo reliqua conſtituiſſet, mox Coſinum in jus vocavit, atque is quidem, licet à pleriſque dehortaretur, comparuit, non tam clementia Dominorum, quam ſua innocentia confiſus. Dum Coſmus in Palatio eſſet, ibique detineretur, Reinaldus multis armatis ſtipatus ex ædibus prodiit, unaque cum omnibus iis, qui partes ejus ſequebantur, aream ad Palatium occupavit: Inde Domini Reipub convocato populo, creataque ducentorum civium Balia, (Dictaturæ ſpeciem eſſe ſupra diximus) adminiſtrationem publicam his corrigendam commiſerunt. Atque illi quidem, quamprimum licuit, de vita neceque Coſmi agere cœperunt. Multis placebat eum in exilium pelli, multis ad necem poſtulari, multi porro, vel dolore vel metu perculſi, ſilebant: quæ quidem opinionum diverſitas ſententiam ſuſpendebat.

De vita ambiguus.

Eſt in ipſa Palatii turre ſpatium quoddam, pari cum turri amplitudine, cui loco Alberghettino nomen, in quem Coſmus, ſub cuſtodiam Friderici Malavotii conjectus, tam crebros populi conventus, quam armatorum ſtrepitum, tum campanam, qua Dictatores ſæpius convocabantur, percipere poterat, eamque ob rem vitæ ambiguus hærebat, non modo quod à publico decreto, ſed etiam privata vi atque inſidiis ſibi potiſſimum metueret, eaque de cauſa à cibo integrum quatriduum abſtineret, pauxillo pane vitæ ſubveniens. Id Fridericus animadvertens, caves tibi, inquit, Coſme, à veneno, interim tam te ipſum fame enecas, quam me exiguo honore afficis, qui iſtiuſmodi ſceleris me affinem arbitrere. Equidem credere non poſſum, te de vita ipſa periclitari, cum tot amicos, tam in Palatio, quam extra tibi adeſſe animadvertam, quod ſi vero omnino ea tibi deponenda ſit, id tibi

bi perſuaſum habeas velim, alio, quã me miniſtro, ad eã tibi eripiendã, adverſarios, uſuros nolim ſiquidem manus meas cujusquam ſanguine, ne dicam tuo, qui me nunquam offenderis, inquinare. Sis igitur bono animo, reficito te aliquãtulo cibo, atque amicis patriæque te incolumem ſervato: quo vero confidentius id agas, eccum me omnium ciborum tuorum fidum præguſtatorem.

Atque hæc quidem Friderici verba, Coſino animum non mediocriter reſtituerunt, adeo ut profuſis uberrime lachrymis, in collum ipſius rueret, ipſoque exoſculato, tam pii atque inſignis officii nomine, verbis ampliſſimis gratias ageret, gratiſſimumque ſe fore polliceretur, ſi quando fortunam magis propitiam expetiri daretur.

Dum igitur Coſmo jam melius ſperante, de cauſa ipſius inter cives diſquireretur, accidit, ut Fridericus ipſius exhilarãdi gratia, Farganacciũ quendã, hominẽ feſtivũ atq; facetũ, porro Gonfalonerio familiariſſimum, ad cænam vocaret. Hac igitur Coſmus cõmodũ occaſione ſibi utendũ ratus, poſtquã cœnatũ propemodum eſſet, Fridericum, ut paulatim ſecederet, nutu monuit, qui quidẽ cauſa optime animadverſa, tanquam ea, quæ cœnæ deeſſent, paraturus, ſe non invitus ſubduxit, familiari ergo Coſmus cum Farganaccio alioquin ſibi optime cognito, ſermone aliquãtiſper protracto, tandem, cum animum ipſius ſatis exploraſſe ſibi videretur, teſſera ipſi data, apud xenodochiolum S. Mariæ novitiæ, mille atq; centum Hungaricos repetendos concredidit, quorum quidem centum ſibi ſervaret, mille vero ad Gonfalonerium ferret ipſumq; rogaret, ut occaſionem honeſtam nactus, ipſum accedere non dedignaretur. Suſcepit Farganaccius provinciam, pecunia impetrata, eam ex præſcripto diſtribuit, quo quidem factum eſt, ut Bernardus paulatim manſueſceret, atq; tandem Coſmus, contra Reinaldi mentem, qui ipſum extinctum cupiebat, Patavium relegaretur, præterq; ipſum Everardus, aliique

que Mediceæ familiæ quamplurimi una cum binis Pucciis. Atq; quo illis, qui Coſmi vicem dolebant, adverſarii metum incuterent, Dictaturam in octoviros excubiarum atque Capitaneum detulerunt.

In Coſmum igitur Anno MCCCCXXXIII. die III. Octobris à magiſtratu ſententia lata, ipſeq; ut non gravate obtemperaret, monitus fuit, fore alioquin, ut durius tā cum ipſo q̄ fortunis ſuis ageretur. Excepit Coſmus vultu alacri ſententiā, teſtatus, quovis gentiū ſibi gratū iſtius Reipub. decretū fore, id ſaltē rogare, poſtq̄ ipſi vitā largiti ſint, hanc porro defendendā ſumant, eſſe nimirū in area Palatii, qui ſanguinē ipſius ſitiant, tandē Reipub. populo, ipſisq; potiſſimū Reip. Dominis tā ſe, quā omnes facultates obtulit. Erectus à Gonfalonerio, & quousq; adveſperaſceret in Palatio ſervatus, poſtmodū ab ipſo ad cœnā vocatus, inq; tutū multis armatis ſtipatus, ad fines Florentinorū deduct⁹ fuit. Exceptus Coſmus, quaqua verſū pergeret, honorifice, atq; à Venetis publico nomine conventus, neq; pro exule, ſed tanquam in ſupremo gradu conſtitutus adhuc eſſet, in dignitate habitus.

In exilium pulſus.

Florentia hunc ad modū tanto cive, quiq; univerſim tantopere amaretur, orbata, omnes ſuſpenſi eſſe, tamq; iis qui viciſſent, q̄ qui victi eſſent, metuere ſibi videbantur. Reinaldus eā ob rē futuræ ſuę calamitatis jā non ambiguus, ne interim ſibi, partiq; ulla ex parte deeſſet, multis amicorū convocatis, ruinā ipſis imminere teſtatus eſt, quod nimirū lachrymis, precib⁹, atq; opibus hoſtium, flecti ſeſe paſſi fuerint, neq; interim animadvertant, jam jā ipſis ſupplicandum atq; dolēdum eſſe, neq; tamen vel preces ipſorū auditas vel lachrymas quidquam æſtimatas, pecuniarū acceptarū, tam ſortes quam uſuras morte, tormentis, atq; exiliis, ipſis redhibendas fore: Longeq; ſatius fuiſſe deſides ſtetiſſe, quam Coſmo vitam amicisque ipſius urbem elargitos eſſe: *homines ſiquidem magnos, aut non fodiendos, aut ſi cœperis, extinguendos eſſe*: hiſce vero malis, ſuo quidem judicio, nihil remediis ſupereſſe, quam ſeſe eousque in urbe undique munire quo

Adverſariorum ipſorum conſternatione.

inimicos

inimicos vindictam molientes (quod propediem facturos conſtet) armata manu urbe expellere poſſent, ſiquidem via alia ipſos pellere nequiviſſent. Ei rei non mediocriter profuturum, quod etiam iam olim monuerit, ut potentiores ſibi reconciliandos ſumant, adeoque omnes dignitates, quotquot in urbe ſunt, in eos conferant, quo nimirum haſce partes conſolidet, poſtquam adverſa plebe fulciatur: ea ſiquidem ratione, haſce longe ſuperiores fore, utpote quæ virtute, animis, atque exiſtimatione præpolleant, teſtatus tādem, niſi ad hoc extremum verumque remediū confugiatur, ſane videre ſe minime poſſe, qua porro via, inter tot inimicos, ſeſe tueri poſſint, ſed potius exitium tā partium, quā ipſius urbis, certo conſecuturum.

Hiſce rationibus Mariottus Baldovinettus , convocatorum unus ſeſe oppoſuit, in ſuperbiam in primis potentiorum, eorumque ingenium nullo pacto ferendum, invectus, neq; conſultū eſſe, ut in manifeſtā ſeſe tyrannidem ſponte præcipitent, quo ea, quæ à plebe metuuntur pericula, hactenus dubia, devitent. Cum ergo Reinaldus conſilia ſua poſthaberi animadverteret, iniquum fatum, tam ſuum, quam partium, deteſtatus, hæc omni ſuperiori potius vi, cui hoc adeo decretum eſſet, quam hominum ignorantiæ atq; cæcitati, adſcribenda cenſuit.

Dum hæc ita hærerent , neque hi ſibi ſatis proſpicerent, interceptæ fuerunt literæ, quibus Agnolus Acciaivolus, Coſimo, quo animo urbs erga ipſum affecta eſſet, ſignificabat, hortabaturq; ut bellum aliqua ex parte moveret, tum præterea Nerium Giniū ſibi reconciliaret, nam ſi urbs in anguſtias compulſa, pecuniæ præterea inopia premeretur, poſtquā nemo ſit, qui illam juvare facile velit, neceſſario memoriam ipſius revocatam, atq; ipſius reditum expetitum fore. Quod ſi præterea Nerius à Reinaldo diſtraheretur, tantum inde momentum Reinaldi partibus deceſſurum, ut jam eæ defenſioni impares futuræ ſint. Atque hæ quidē literæ, ad magiſtratum delatæ, in cauſæ fuerunt, ut Agnolus caperetur , tandemque in exilium mitteretur

mitteretur: Neque tamen inde Coſmi partibus quidquam, ex amore erga ipſum, deperiit.

Jamque annus fere, ab ipſius exilio, elapſus fuerat, cum menſe Auguſto, Anno MCCCCXXXIIII, Gõfalonerii dignitas, in duos ſequentes menſes, in Nicolaum Coccum caderet, præterea octo Dominorum omnes, Coſmianarum partium urnam exirent, qua quidem ſorte, non modo Reinaldus, verum adeo omnes ſuarum partium, non mediocriter perculſi fuere: cum autem conſuetum ſit, Reip. Dominos, antequam ad gubernandam eam accedant, triduum privatos ſtare, Reinaldus iterum partibus ſuis convocatis ſuadebat, poſtquam manifeſtum exitium jam præ foribus ſit, ut arma corripere, atque Donatum Vellutum, qui tum Gonfalonis munus adhuc gerebat, inſtigare nitantur, quo populum convocare, aream Palatii occupare, atque Dictatura creatâ, novum Magiſtratum dignitatibus privare, aliosque adminiſtrationi commodos ſubſtituere velit, tum ut urnæ priſtinæ antiquarentur, novæque amicorum nominibus refertæ ſubrogarentur. Multis hæc conſilia tam tutâ quam neceſſaria, multis verò, ut quæ magnum diſcrimen ſecum ferrent, nimis violenta videbantur.

Atque inter eos, cui hæc via diſplicebat, erat Palla Strozzius, utpote vir ingenio quieto, modeſto, humano, atque literarum potius, quam partium ſtudiis cohercendis, atque civilibus diſcordiis ſopiendis apto. Dixit igitur Strozzius, *conatus aſtutos, audacesq́, ab initio quidem faciles apparere, verũ inter tractandum difficultatis plenos, exitum tandem damnoſum habere:* arbitrari porro ſeſe, metum novi belli, ſiquidem copiæ Ducis Mediolanenſis in Flaminia prope Florentinorum fines conſederint, Dominis Reipub. laboris atque curarum plus, quam inteſtinas diſcordias comparaturũ: quod ſi vero illis quoquo modo viſum ſit turbare, id equidem tam clam, quin confeſtim emanet; haberi non poſſe, atque ea quidem ratione ſeſe tempori nõ defuturos, eaq; conaturos, quæ ſalutem communem requirere viſum fuerit eademque via, poſtquam ni-

mirum neceſsitatem ſequantur, tam minori id populo admirationi, quam etiam ipſis invidiæ futurum. Concluſum igitur, novum magiſtratum minimè turbandum, ſed potius eorum actiones excutiendas, atque ſi vel tantillum movere animadverſi fuerint, ad arma convolandum, inque area ad S. Pulinarem, Palatio propinqua conveniendum eſſe inde pergendum, qua commodum viſum fuerit.

Novus igitur magiſtratus nullo obſiſtente, Rempub. ſubiit, & Gonfalonerius quidem, quo exiſtimationem venaretur, parique via eos terreret, qui alioquin ſeſe ipſi opponere poſſent, Donatum Vellutum anteceſſorem ſuum: quod publicum æs in uſus ſuos tranſtuliſſet, in vincula conjecit. Inde collegarum animis tentatis, de Coſimo reſtituendo agere, eosque cum inde non alienos animadverteret, eadem de re cum iis, qui partium Medicearum primi ſupererant, conferre cœpit, quorum animis accenſis, mox Reinaldum, Rodolfum Peruzzium, & Nicolaum Barbadorum tanquam adverſæ partis duces, in ius vocavit. Reinaldus, eam ob rem, non diutius cunctandum ratus, ipſe quidem, magno cum armatorum numero, in publicum prorupit, cui Rodolfus Peruzius, & Nicolaus Barbadorus ſeſe mox conjunxerunt.

Rainaldus Albizius ſeditionem movet.

Erant inter hos permulti civium, tum militum non pauci, qui absque ſtipendiis Florentiæ hærebant, atque illi quidem omnes, ad aream S. Pulinaris ad condictum confluxere, ſolus Palla Strozius, licet multos armatos in ædibus occultaſſet, non comparuit, unaque pariter Joannes Guicciardinus, adeo ut Reinaldus creberrimis nunciis eos provocaret, tarditatemque ipſis exprobraret. Ad quæ Joannes, ſatis ſe ſuo judicio partibus adverſis obſtare, ſi Petrum, fratrem domi contineret, ne ab ipſo Palatium occuparetur. Palla verò Strozzius crebrò interpellatus, tandem inermis ad S. Pulinarem equo vectus, cum duobus peditibus comparuit, Reinaldus obvius ſocordiam exprobravit, diverſam iſtam ab aliis rationem

nem, aut fluxæ fidei, aut fluxi animi teſtem eſſe, utrumque horum viro fugiendum, qui eam exiſtimationem ſartam tectam cupiat, ad quam ipſe hactenus aſpiraverit. Falli ipſum porro, ſi ſperet, hac via ab hoſtibus vel vitæ ipſius, vel ſecuritati eo magis proſpectum fore. Se quod attineret, hoc ſibi ſatis eſſe, ſi quæ forte adverſæ ſuccedant, quod non modo conſiliis ante periculum, ſed etiam auxiliis in ipſo periculo, partibus non defuiſſet. Ipſum vero, atque alios iſtius genii homines, majorem animi anguſtiam manere, cum in memoriam, nimirum aliquando revocaturi ſint, ter ipſos patriam prodidiſſe, primo cum Coſimum dimiſerint, ſecundo cum conſilia ſua poſthabuerint, tandem cum armis eam defendere neglexerint. Ad quæ Strozzius nihil reſpondit, quod articulate percipi poſſet; ſed converſo equo, ſubmurmuratis quibuſdam, domum repetiit.

Domini Reipub. percepta Reinaldi ſeditione, ſeque deſtitutos animadvertentes, Palatium confeſtim obſerarunt, conſilioque deſtituti hærebant. Verum dum Reinaldus in foro copias illas, fruſtra diutius operiretur, ea ratione factum eſt, ut tam ſibi occaſionem victoriæ è manibus elabi, quam Dominis animos redire pateretur, ad quos multi civium concedentes, ad excutienda ſeditioſis arma eos hortari cœperunt. Quidam igitur Dominorum, qui partibus minus ſuſpecti videri poſſent, ad Reinaldum ablegati, animum ipſius tentarunt, iſtorum nimirum motuum cauſas Dominos ignorare, neq; porro eos unquam de ipſo offendendo cogitaſſe, quod ſi vero de Coſmo reſtituendo ſermo inciderit, de eo tamen revocando hactenus ne cogitatum quidem, inde autem, ſi forte eæ ſuſpiciones exortæ ſint, ipſis abunde eo nomine cautum fore, veniant modò in Palatium, atq; gratos ſe ibi eſſe experiantur.

Nihil verò ea Reinaldi animum mutarunt, quin potius ſe ipſos ad privatam vitam reducere, Remq; inde publicam, communi bono, reſtitutam cupere. Verum *ſemper accidere ſolet, dum ij qui conſulunt, pari* ‹‹

„ *authoritate, ſententiæ verò diſpares ſint, ut nihil ſalutare conſtituatur.* Rodolfus ergo Peruzius, iſtorum pollicitationibus fretus, nihil aliud, quam ne Coſmus reſtituatur, ſe cupere dixit, id ſi tranſactione obtinere queat, nullam porro ſe victoriam deſiderare, neque quo ea inſigniore potiatur, ſe urbem civium ſanguine fœdare, ſed eam ob rem Dominis obtemperare velle, quibus dictis, unâ cum ſuis copiis, in Palatium conceſsit, atque ibi hilari vultu exceptus fuit.

A ſocijs deſtituitur.

Mora igitur Reinaldi ad S. Pulinarem, Strozzii præterea puſillanimitas, tandemq; Rodolfi ſeceſsio, manifeſto Reinaldo victoriam eripuere, quod nimirum civium animi, qui ipſum ſequebantur, frigeſcere inde inciperent, ad quæ præterea Pontificis authoritas acceſsit.

Pontifex Eugenius à pop. Rom. pulſus.

Agebat id temporis Papa Eugenius, (à Pop. nimirum Romano pulſus) Florentiæ. Hic ergo ſui officii ratus, turbas iſtas componere, per Patriarcham Joannem Vitelleſchium, Reinaldi amiciſsimũ, eum ad ſe vocavit, pollicitus, tam authoritatem ſe quam fidem ſuam interpoſiturum, quo is deſiderio ſuo, præter ſanguinem clademque civium, apud Dominos Reipub. potiretur. Perſuaſus, ab amico Reinaldus, unâ cum omnibus iis, qui armati ipſum ſequebantur, ad S. Mariam novitiam, ubi Pontifex morabatur, ſeſe contulit, ibique à Pontifice, de fide ſibi data, ſeque differentiarum arbitro conſtituto, edoctus, ſpe inſuper facta, modo ab armis diſcederet, omnia ad ipſius libitum compoſita fore, poſtquam præterea puſillanimitatem Strozzii, & Peruzzii levitatem perſpexiſſet, inops melioris conſilii, in Papæ fidem conceſsit, eius authoritate ſe tutum fore confiſus. Eam ob rem Pontifex Nicolao Barbadoro, unâ cũ reliquis, qui ipſum comitati fuerant, atque ad fores exſpectabant, ſignificari juſsit, ut arma deponerent, Reinaldum ſiquidem apud Pontificem, concordiæ cum Dominis tractandæ, remanere, ad quæ omnes dilabi atque ad ſua ſe recipere cœpere.

Pontifice confiſus cũ ipſo circũvenitur.

At Domini, adverſam partem arma ſepoſuiſſe edocti,

edocti, concordiã quidem apud Pontificem tractare *Florentini* pergebant, alia vero via, ex montibus Piſtorienſibus, *Pontificem* peditem clam coegerunt, eoq; una cum omnibus ca- *ludos fa-* taphractariis ſuis nocte furtim Florentiam traducto *ciunt.* præcipuos urbis aditus firmarunt, populum præte- *Coſmus ab* rea ad forum convocarunt, novamque Dictaturam *exilio revo-* conſtituerunt, à qua confeſtim Coſmus, unà cum iis *catur.* qui ipſius exilii comites fuerant, revocatus, adverſarum contra partium Reinaldus, Albizius, Nicolaus Barbadorus, Rodolfus Peruzius, Palla Strozzius, mul- *Albizius in* tique præterea cives, tam magno numero in exilium *exilium mit-* acti fuere, ut perpaucæ urbes in Italia, non eorũ alios *tiunt.* exciperent, non raræ etiam extra Italiam iis replerentur, adeo ut ea ratione Florentia, non modo viris, ſed etiam opibus atq; induſtria nudaretur.

At Pontifex tanta calamitate eos oppreſſos animadvertens, qui precibus ſuis confiſi, arma depoſuiſſent, id iniquiſsimo animo tulit, atque apud Reinaldum, quod fidei ſuę confiſus, id injuriæ pateretur, maximopere doluit, interim ea patienter ferre, atque ob volubilitatem fortunæ, benè ſperare juſsit. Ad quæ ſic Reinaldus, Parva quidem fides, quam mihi illi habuerunt, quos mihi credidiſſe præſtaret, tum nimia quam ego tibi præſtiti, me meamque partem peſſumdederunt, interim me ipſum, quam quemvis alium potiſsimum accuſo, quod nimirum crediderim, me tua, qui patria pulſus es, authoritate in mea tutum conſiſtere poſſe. Quoad fortunæ porro ludos, eos poſt ſatis perſpectos habeo, cumq; parum rebus proſperis huic innixus fuerim, eò adverſa me minus afficiunt, neque ſum neſcius, eam ſi libuerit, clementi me vultu reſpicere poſſe. Quod ſi verò nec hoc videatur, equidem haud magni æſtimabo, illa urbe carere, in qua leges minus quã homines poſsint, ſiquidẽ ea patria dulcis ſit ubi fortunis atq; amicis tuto uti queas, non illa, ubi tam iſtæ facile tibi aufferri poſsint, quam hi metu, ne ſua amittant perculſi, in calamitatibus te deſtituere cogantur. Prudentibus porro atque bonis civibus, ſemper minus grave fuit, calamitates patriæ

procul intelligere, quam oculis contueri, atque gloriæ magis tribuunt, honeſto titulo exulare, quam urbis mancipium eſſe. Inde à Pontifice digreſſus, irarum plenus, deque conſiliis ſuis amicorumq; vecordia ſæpius conqueſtus, in exilium profectus eſt.

Ex altera parte Coſmus, de ſua reſtitutione jam certus, Florentiam repetiit, atque raro equidem accidiſſe conſtat, civem ex victoria redeuntē, ac triumphum agentem, tanto cum populi concurſu, tantaq; omnium læticia, exceptum fuiſſe, quanto ipſe, ab exilio reverſus, exceptus fuit, ab omnibus benefactor populi, paterque patriæ appellatus.

LIBER

LIBER QUINTUS NICOLAI MACHIAVELLI, CIVIS ET SECRETARII *Florentini, Hiſtoriam Florentinam complectens.*

SOlent ut plurimum regiones, mutationib. ſuis, à bene cõſtitutis rationibus, ad corruptas, à corruptis, viciſsim ad bene conſtitutas migrare: poſteaquam etenim rebus humanis, nihil perpetui, à natura tributum ſit, fit porro, quamprimũ hæ ultimam perfectionẽ adeptę ſunt, cum nihil ſuperſit, quâ ultra progredi queant, ut eæ neceſſario iterum labantur atque decreſcant: eadem porro ratione, cum minui cœperint, atque corruptionis ultimam metam adeptæ fuerint, poſtquam, quâ ultra præcipitentur, nihil appareat, eas iterum emergere atque conſcendere conſentaneum eſt, adeoq; ſemper à bono ad malum, & viciſsim à malo ad bonum proclivis via eſt. *Virtus ſiquidem quietem parat, quies otium, otium porro corruptionem generat, corruptio interitum, hinc iterum ad bonas conſtitutiones, indè ad virtutem, ex virtute ad gloriam ſecundamq́ fortunam progreſſio fit.* Hinc à prudentioribus animadverſum fuit, literarum ſtudia, cladibus belliq́ue ſuccedere, inque Rebuspub. atque regionibus, belli Duces prius, quam Philoſophos naſci.

Nam poſteaquâ ex ordinata militia, victoria parta fuerit, victoriæ vero quies ſucceſſerit, equidem robur iſtud ingeniorũ armatorũ, nullo honeſtiore, quâ literarũ, otio corrumpi conſequitur: neq; ſane otiũ, majore & periculoſa magis aſtutia, quâ hac via, in Reſp. bene conſtitutas penetrare queat. Atq; id quidẽ à Catone, cũ Diogenes & Carneades Philoſophi, ab Athenienſibꝰ ad Senatũ legati venirent, optime animadverſum fuit: nam poſtquâ is, juventutẽ Romanã maxima

cum admiratione,eos ſectari cerneret, malaq; quæ in Remp. ex honeſto iſto otio, proficiſci poſſent perſpiceret,eam ob rem cautum voluit, ne cuiquam Philoſopho Romæ agere liceret. His igitur rationib. Resp. ad interitum vergere ſolent, quo cum pertigerint,atque homines,calamitatibus edocti, ſapere cœperint, iterum ad ordinem reverti conſueverunt, niſi eæ, vi quadam præter ordinem,penitus extinguantur.

Atq; ex his quidē principiis,priſca illa Italia,primo Tuſcorū,poſtea Romanorū fortuna, modo felix,modo miſera ſtetit. Quamvis verò poſtmodū Romanis ruinis nihil ſuperſtructū fuerit,quod hanc provinciā, ſub præſtantis alicujus Ducis Imperio, penitus reſtituere potuerit:nihilominus tanta virtus, apud novas quaſdā urbes atq; imperia(quæ Rom. cladib. inædificata fuere)emicuit,ut eæ,licet unius imperio non parērent, eo tamē usq; virtutis progreſſæ ſint, ut earum cōjunctis virib. Italia, à Barbarorū populorū invaſionib9,defēdi liberariq; ſæpius potuerit: Inter quæ quidē imperia Florentini, quantúvis nō adeo ampla provincia ipſis obtigerit,nec potētia,nec authoritate, reliquis ceſſere,ſed potius in media Italia,tā ſitus quā divitiarū ratione, ad injurias expoſiti, nihilominus aut bellū,cōtra ipſos motū,feliciter ſuſtinebāt,aut victoriā illi cōferebāt, in quē inclinare ipſis integrū videretur.

Horum ergo Imperiorū recentiorum virtute eiusmodi tempora ſucceſſerunt, quæ licet non adeo diuturna pace commendari queant, attamen nec etiam bellis difficilioribus atque exitioſis implicata fuerint, pacem etenim appellare nequeas,ubi vicini ſæpius armis invicem petuntur, nec proprie id belli nomē meretur, ubi nec homines trucidantur, nec urbes delentur. Bella ſiquidem noſtra, eo uſq; enervata langueſcebant, ut ea tam absq; metu ſuſciperentur, quam citra periculum ducerentur, tum etiam ſine clade finirentur. Adeo ut virtus illa, quæ aliis in regionibus, ex diuturna pace ſeneſcere conſueverat, apud Italos bellorum vilitate interiret, quod ex iis, quæ ab anno M. CCCCXXXIIII. ad annum XCIIII. geſta ſunt,copioſius

Bella in Italia inervata.

pioſius patebit, indeque porro cognoſci poterit, qua ratione Barbaris denuo via in Italiam adaperta, Italique eorum jugum perpeſsi fuerint.

Quod ſi vero Principum noſtrorũ, tam domi quam foris res geſtæ, ob virtutem atq; magnitudinem, non eam, quam priſcorum admirationem legenti allaturæ ſint, tamen fortaſsis alias ob rationes, nõ minore cum admiratione percipientur, cum nimirum hinc cognoſcere liceat, qua ratione tot, tamque nobiliſsimi populi, à tam contemnendo milite coherceri ſeſe paſsi fuerint: licet etiam, in deſcribenda huius ſæculi ſenecta, fortaſsis nec de robore alicuius militis, nec præſtantia imperatorum, nec amore civis erga patriã ſermonem multum habituri ſimus, conſtabit tamen hinc quot quantisque fraudibus, aſtutiis, atque artibus Principes, milites, Rerumque publicarum duces, ad tuendam eam exiſtimationẽ, quam nusquam promeriti fuerant, uſi fuerint, quod quidem legentibus, non minori, quam priſcorum res geſtæ uſui fortaſsis fuerit. Nam ſi iſta, liberalia ingenia ad imitandum accendere ſolebant, hæc ad ea fugienda extinguendaque prodeſſe queant.

Erat id temporis Italiæ conditio hunc ad modum conſtituta, ut quamprimum opera eorum, qui imperabant, pax conſtituta eſſet, ea propediem ab iis, qui arma tractabant, inq; manibus habebant, denuo turbaretur, adeo ut ea ratione nec bello gloria, nec pace tranquillitas ipſis parturiretur. Ergo pace inter Ducem Mediolanenſem ac confœderatos, anno MCCCCXXXIII. conſtituta, illi militum, quibus bello carere integrum non erat, contra Pontificem arma movere decreverunt. Erant porro duorum militum in Italia genera, à Braccio atque Sforzia denominata, horum Dux erat Franciſcus Sforziæ filius, illorum Nicolaus Picciniaus, Nicolausque Fortebraccius: ſub his generibus, ferè omnis reliqua militia Italiæ compræhendebatur. Atque Sforziæ quidem militia, tam ob Comitis præſtantiam, atque in bello gerendo virtutem, quam quod Dux Mediolanenſis,
Italiæ conditio.
Sforziæ militia celeberrima.

Blancam filiam notham, in matrimonium ipſi collocare pollicitus fuerat, in majore erat pretio, maximamque ipſius militiæ authoritatem conciliabat. Hi igitur duces, diverſis ex cauſis, pace in Longobardia jam conſtituta, Papam Eugenium invaſerant.

Atq; Fortebraccius quidem, antiquo Braccii contra Pontifices odio, Comes vero ambitione ferebatur: adeo ut Nicolaus Romam oppugnaret, Comes vero Piccardo potiretur: ne igitur Romani bellum gerere neceſſe haberent, eam ob rem Eugenium Papam urbe ejecerunt, qui quidem, per multa diſcrimina, variosque caſus, tandem Florentiam conceſsit, ubi examinato periculi ſui magnitudine, ſeque deſtitui undique animadvertens, nec integrũ Italis eſſe, in ipſius gratiam iterum arma tractare, quæ tanto cum deſiderio modo ſepoſuerant, tandem cum comite tranſegit, atq; ipſi Piceno (quod nunc Marcam vocamus) ceſsit, licet Comes injuriæ, qua illam occupaverat, etiam contemptum adjeciſſet, ſiquidem in ſubſignandis, quas hinc inde mittebat literis, quæ ſubſcriptio, more Italorum, Latina eſſe conſueverat, hoc genere uſus erat, Ex Girfaleo noſtro Firmiano, invito Petro & Paulo. Nec ceſsione provinciæ iſtius contentus, inſuper dignitate Signiferi ſedis Pontificiæ excellere voluit, idque omne obtinuit, adeo nimirum Eugenius bellum potius dubium, quam pacem ignominioſam metuebat.

Eugenius Papa à Romanis pulſus.

A Sforzia Piceno exutus.

Eaq; ratione in amicitiã receptus.

Poſtquam vero Comes in amicitiã Pontificis conceſsiſſet, ab eo porro tempore, Nicolaum Fortebraccium perſequi cœpit, interq; ipſos aliquot menſium ſpatio, in ipſa Pontificis ditione, vario Marte ſæpius pugnatum fuit, quæ quidem res plus in damnũ Pontificis atq; ſubditorum, quam eorum qui militabant, cedebat, adeo ut inter ipſos, Ducis Mediolanenſis interventu, ad inducias, tandemq; compoſitionem deveniretur, qua quidem uterque multam Pontificis ditionem obtinuit.

Bellum ergo iſtud Romæ debellatum, in Flaminia (Romaniam vocant) à Baptiſta Canneteuſi reſuſcitatum

tatum fuit. Interfecerat hic Bononiæ quoſdam ex Grifonum familia, Pontificiſque partes ibi agentem inde exturbaverat, atque quo eam urbem ſibi obtineret, ad Philippum auxilia petitum, Pontifex vero ad Venetos & Florentinos confugerat: Impetrata undique auxilia, omnem Flaminiam milite repleverunt. Philippi militem ducebat Nicolaus Piccininus: Venetorum atque Florentinorum exercitum moderabantur, Gattamelatta, & Nicolaus Tolentinas, atque hi duo exercitus prope Imolam commiſsi, eoq; prælio Venetorum Florentinorumque copiæ profligatæ, Tolentinasque captus, ad Ducem Philippum in vincula ductus fuit, apud quem ſeu fraude Ducis, ſeu ex mœrore paulo poſt interiit.

Bellum in Flaminia.

Veneti & Florentini profligati.

Dux ergo, quod vel debilior ex tot bellis eſſet, vel quod confœderatos à clade illa quieturos arbitraretur, victoriam proſequi neglexit eaque ratione Pontifici & fœderatorum reliquis, ad novas confœderationes occaſionem præbuit, qui Comite Franciſco, ad ipſorum ſtipendia vocato, Fortebraccium ditionibus Pontificiis exuere nitebantur, quo nimirum bello, in gratiam Pontificis ſuſcepto, finem tandem imponerent. Poſtquá ergo Romani, Pontificem viribus atq; potentia auctũ, animadverterent, eam ob rẽ ad compoſitionem inclinare, eaq; petita tandemq; impetrata, Procuratorem Pontificis nomine ſuſceperunt.

Pontifex Roma iterũ potitur.

Obtinuerat inter alia Fortebraccius, Tiburtinos, Phaliſcos, Tifernates & Aſceſios: Atq; huc quidem, quod viribus inferior eſſet, ſeſe ſubduxerat, ibique à Comite obſeſſus fuerat, cũ ergo obſidio illa in longũ traheretur (Nicolaus ſiquidẽ ſeſe ſtrenue defendebat) Duci porro videretur, aut victoriá illam fœderatis excutiendá, aut ſi illa potirẽtur, ſua ſibi deinceps defendenda eſſe, eá ob rem Nicolao ſignificavit, quo nimirũ Comitẽ ab obſidione averteret, ut per Flaminiá in Tuſciam deſcenderet, qua quidẽ re factũ eſt, ut fœderati, plus momenti in Tuſcia defendenda, quá Aſceſio expugnãdo ſitũ arbitrati, Comitẽ ad occupandos aditus iſtos maturare juberent, Nicolaus ſiquidem ad Forũ

Livium

Livium jam uſque progreſſus fuerat. Ex altera parte comes ad Ceſennates pervenerat, Leone fratre ſuo, ad bellũ in Flaminia ducendũ, ditionemq; ſuâ defendendam, poſt ſe relicto: dum igitur tam Nicolaus quà in Tuſciã deſcenderet, Comes verò quà ipſum aditu prohiberet, ambo ſtudioſe invigilarent, Nicolaus interea Fortebraccius in Leonis copias impreſſionem fecit, eoque capto, omnem ipſius exercitum profligavit, eodemque impetu victoriæ inſiſtens, multas Flaminiæ urbes occupavit.

Atque ea quidem clades Comitem non mediocriter perculit, quod de univerſa Flaminia jam actum arbitraretur, parte igitur exercitus, quæ Piccininũ diſtineret, eo loci relicta ipſe, reliquis cum copiis contra Fortebraccium properavit, eumque vicit, ſauciumque in poteſtatem ſuam redegit, ex quo vulnere paulò poſt obiit. Atque hæc quidem victoria, Pontifici omnem provinciam recuperavit, quæ à Fortebraccio occupata fuerat, eoque Ducem Mediolanenſem compulit, ut pacem peteret, quæ tandem, Nicolai Eſtenſis Marchionis Ferrarienſis interventu, firmata fuit, qua omnis provincia, à Duce in Flaminia occupata, ad Pontificem redibat, Ducisque exercitus in Longobardiam revertebatur, Baptiſta vero Cannetenſis, quod omnibus iis uſu venire ſolet, qui non propria, ſed aliena virtute viribusque Reſpub. occupant, poſtquam Ducis copiæ inde abſceſſiſſent, Bononiæ diutius obtinendæ impar, fuga ſibi conſuluit, atque Antonio Bentivoglio, adverſarum partium Principi urbem ceſſit.

Fortebraccij mors.

Atque iſthæc quidem omnia in Coſmi exilium incidêre, à cujus deinceps reditu viſum fuit iis, qui de eo reſtituendo ſuaſerant, prætereaque civibus, ad quos injuriæ iſtæ pertigerãt omnibus, ut nulla cujusquam habita ratione, conditionem ſuam undiquaque muniret. Illique Reipub. moderatores, quorum erat Novembre atque Decembre menſibus præeſſe, non contenti iis, quæ in gratiam harum partium conſtituta hactenus fuerant, etiam ipſi multorum exu-

Proſcriptiones Florentinorum.

lum

ſum fines prorogarunt, alios præterea relegarunt,ut tandem civibus non tam ſtudia partium, quam divitiæ,propinqui, atque amicitiæ privatæ nocerent: adeo, ut ſi proſcriptio iſta ſanguinem porro ſitiiſſet, ea Octavii vel Syllę proſcriptioni haud abſimilis fuiſſet,licet non omnino cruore caruerit. Antonius ſiquidem, Bernhardi Guadagni filius, capite plexus fuit,alii præterea cives quatuor, intra quos Zanobius Belfratellius, Coſmusque Barbadorus, quod fines præteriiſſent, atque ad Venetos conceſſiſſent, ab iis compræhenſi,atque in gratiam Coſmi,poſthabita ſua dignitate,Florentiam in vinculis mandati, ibiq; ignominioſe obtruncati fuerunt:quæ quidem res partibus Coſminianis maximam authoritatem,adverſariis vero metum peperit,tam potentem nimirum Rempub. libertatem ſuam Florentinis venalem proſtituere, quod tamen non tam in gratiam Coſmi, quam ad inflammanda partium ſtudia, atque exacerbanda tot cædibus ingenia, fovendasq; diſſenſiones, eos feciſſe, qui judicarent non deſuere,quod nimirum potentiæ ſuæ,nihil adeo, ac Florentinorum concordiam, obſiſtere arbitrarentur.

Urbe igitur ſuſpectis pariter atque inimicis perpurgata, ad alios novis beneficiis devinciendos deſcenderunt,quo nimirum,etiam hac ratione, partes ſuas munirent, eam ob rem, univerſam Albertorum familiam, tum quotquot præterea patria exulabant, revocarunt: nobiles præterea omnes pauciſſimis exceptis,in populi claſſem transſcripſerunt,exulumque bona, exiguo pretio, inter ſeipſos partiti ſunt.Novis inſuper legibus atque conſtitutionibus partes ſuas firmarunt, urnasque novis nominibus, omnibus illis qui adverſas partes redolebant poſthabitis, replerunt.Adverſariorum porro clade edocti,huic urnarum conſtitutioni, atque in his ſelectioribus civium nominibus non usquequaque confiſi,decreverunt,ut iis, quibus vitæ necisque jus eſſet, ſemper ex ducibus harum partium peterentur, eamque ob rem conſtituerunt,ut ii,qui novis electionibus *Nova Reipub. Florentinæ conſtitutio.*

præpoſiti

præpoſiti eſſent (copulatores novarum ſcidularum vocabant) unà cum iis, qui magiſtratu exibant, eam electionem aggrederentur. Octoviris excubiarum jus vitæ neciſque tribuerunt: inde conſtituerunt, ne relegatis, finito relegationis tempore, liceret, abſque cognitione tam Dominorum quã collegiorum, quorum in univerſum XXXVII. ſunt, redire, niſi horum XXXIII. vota, in reſtitutionem concurrerent: literas ad eos dare, vel ab iis recipere, interdictum, omnis demum vox, omnis nutus, omnis deniq; motus, qui ſuſpicionẽ adminiſtrantibus Rempubl. movere poſſet, graviter plectebatur. Quod ſi vero quicquam ſuſpicionum iſtiusmodi cenſuras evaſerat, id poſtmodum novis exactionibus oppreſſum fuit, adeo ut pauco temporis intervallo, pulſis nimirum, atq; ad paupertatem redactis, omnibus adverſarum partium civibus, ipſi Repub: quieti potirentur. Ne porro iſtiusmodi munimentis intra urbem, quidquã extra illã deeſſet, tum quo auxilia adverſariis undique præriperentur, eam ob rem cum Pontifice, Venetis, Duceq; Mediolanenſi, ad communem imperiorum defenſionem, fœdus pepigerunt.

Tyrannicis rationibus ſtabilita.

Reginæ Joannæ mors

His igitur apud Florentinos, eum ad modum, conſtitutis, Regina Neapolitana Joanna in fata conceſſit, atque teſtamento Renatum Andegavenſem hæredem ſcripſit. Erat id temporis Alfonſus, Arragonæ Rex, in Sicilia, qui multorum Baronum amicitia fretus, regnum Neapolitanum occupare in animo habebat. Neapolitani vero, & Baronum alii Renato ſtudebant: Papa porro, nec Alfonſo nec Renato, quidquam juris ibi conceſſum, ſed potius per Vicarium ſuum, id adminiſtratum cupiebat. Nihilominus Alfonſus mare cum exercitu trajecit, atque à Duce Pomeriæ Veſtinorum (Seſſam vocant) exceptus fuit, ibi vocatis quibuſdam Principum ad ſua ſtipendia, in animo habebat, poſt occupatam Capuam, quam Princeps Tarentinus ipſius nomine tenebat, Neapolitanos imperio ſubjicere: interim claſſe ſua Cajetam, quæ pro Neapolitanis ſtabat, obſidione preme-

Alfonſus Arrag. Rex Neapolim occupare nititur.

bat,adeo ut Neapolitani ad Philippum, pro auxiliis, confugerent.

Atque is quidem Genuenſibus,ut eam ſibi provinciam ſumerent, author fuit, quam ipſi porro non inviti in ſe receperunt, tam ut Duci Domino ſuo gratum facerent, quam ut merces ſuas, quæ Neapoli atque Cajetæ depoſitæ erant, ſalvas haberent, eamque ob rem claſſem inſtructiſſimam compararunt. Alfonſus ea re animadverſa, etiam ſuam claſſem auctiorem reddidit, atque contra Genuenſes profectus, ſupra Inſulam Pontiam pugna commiſſa victus, multiſque cum ducibus captus, inque manus Philippi conſtitutus fuit. *Alfonſus Rex à Genuenſibus captus.*

Atque hæc quidem victoria, omnes in univerſum Italiæ Principes,qui Philippi potentiam metuebant, immenſum turbavit, utpote quibus videretur, optimam ipſum occaſionem Regni occupandi, jam adeptum eſſe. Verum is longe alia, planeque contraria via (adeo nimirum opiniones humanæ inter ſe diſcrepare ſolent) inſtitit. Ab Alfonſo ſiquidem, viro alioquin prudente, quamprimum id per occaſionem licuit,ipſi demonſtratum fuit, quam imprudenter partibus ſuis neglectis,Renato ſtuderet. Renatum,ſiquidem, ſi modo regno illum potiri contigerit,id potiſſimum acturum, ut Ducatum Mediolanēſem Galliæ Rex occupet, quo ipſi auxilia in propinquo ſint neque opus habaat, cum id res poſtulaverit,ea ex longinquo petere,iiſque viam vi patefacere: neque ipſum ſi ad Gallos regnum devenerit, ulla ratione ruinam ſuam avertere poſſe. Longe vero aliter rem ſe habere, ſi ipſi Alfonſo regnum ceſſerit, nā cum pręter Gallos ſibi nulli alii hoſtes extimeſcendi ſint,neceſſario Ducem ſibi conciliandum, amandū, imo venerandū venire,ne hoſtibus via ab ipſo aperiatur atq; hac demū via,regnum quidem penes Alfonſum,authoritatem vero atque potentiam penes Philippum fore:adeo ut ipſi longe magis, quam ſibi ipſi incumbat, tam pericula hinc, quam inde utilitatem prudenter ponderare, niſi potius cupiditati ſuæ

ſatisfácere

ſatisfacere, quam de firmando ſtatu ſuo deliberare velit: primo ſiquidem caſu, ipſi Principem atque liberum eſſe licere, altero vero, ſi nimirum inter duos potiſſimos Principes expoſitus ſit, aut ipſi de ſtatu periclitandum, aut in perpetuis anguſtiis hærendum, atque tanquam ſervo iſtis obtemperandum fore.

à Philippo reſtitutus libertati

Movere hæ rationes tantopere Ducem, ut mutato propoſito, Alfonſum libertati reſtitueret, eumque honorifice Genuam, indeque in regnum deduceret. Atque rex quidem Cajetam ſeſe contulit, ut pote quæ à quibusdam Regni ducibus, quamprimum illi liberatum Regem cognoviſſent, occupata fuerat. Genuenſes vero, poſtquam nulla ipſorum habita ratione, Regem à Duce libertati reſtitutum, atque hunc ipſorum periculis atque ſumptibus amplificatum penesque ipſum honorem liberati, penes ſe vero injuriam profligati captique regis remanere, animadverterent, non mediocris injuriæ loco id ſibi ſuinſere.

Genuenſes Reipub. cõditio.

Solent Genuenſes, quando liberi agunt, ſuffragiis plane liberis Ducem creare, non quod abſolutum ipſi imperium conferant, aut ipſi ſoli negotia decidenda ſint, ſed quo tanquam caput ea, quæ deliberanda veniunt, in conſiliis proponat. Sunt in ea urbe familiæ nobiles permultæ, earumq; aliæ adeo potentes, ut eæ difficulter à Magiſtratu coherceri ſeſe patiantur, earum vero omnium Fregoſa atque Adorna alias longe antecedunt.

Unde eorũ diviſiones.

Atque ab his diviſiones ea in Repub. proficiſcuntur, hinc civiles rationes corrumpuntur: eæ ſiquidem non civiliter, ſed ut plurimum armis de dignitate illa decernentes, ſemper alteram regnare, alteram opprimi experiuntur. Non raro etiam occurrere ſolet, ut illi, qui dignitatibus exuti ſunt, ad auxilia externa confugiant, adeoque patriam ſuam, à qua ipſimet regenda arcentur, imperio externo ſubmittant. Atque hinc quidem fit, ut plerumque ii, qui Longobardiæ imperant, etiam Genuenſibus potiantur, quod etiam eo, quo Alfonſus capiebatur tempore, ſic ſe habebat, primusq; eorum, qui Philippo, ad occupandos eos, adjumento fuerant, Franciſcus Spi-

nola erat, atque is quidem, paulo poſt impoſitam patriæ ſervitutem, (quod in iſtiuſmodi caſibus ſemper evenire ſolet) Duci ſuſpectus eſſe cœpit, qua de re ipſe commotus, voluntario quaſi exilio; Cajettam conceſſerat, eoque tempore, quo pugna navalis cum Alfonſo cōmittebatur, prælio interfuerat, atq; ſtrenue rem geſſerat, adeo ut in ſpem erigeretur, recenti hoc ſuo beneficio, ſaltem id apud Ducem ſe meruiſſe, ut reditus in patriam, præmii loco, ſibi cederet. Verum poſtquam animadverteret, Ducem iiſdem hactenus ſuſpicionibus ferri, utpote qui ſibi perſuadere non poſſet, eum, qui libertatem patriæ non amaſſet, ipſum amare poſſe, eam ob rem, fortunam iterum tentare, atque tam patriæ libertatem, quam ſibi ipſi exiſtimationem ſecuritatemq; recuperare conſtituit; civibus nimirum ſuis non alia ratione ſe excuſari poſſe quã ſi eadem à manu, quæ vulnus inflixiſſet, medicinã ſalusque proficiſceretur.

Cum ergo omnium animos, ob liberatum Alfonſum, Duci iratos cognoviſſet, tempus jam adeſſe ratus, quo conatus ſuos effectum daret, conſilia ſuã cum quibuſdã, quos eodem animo eſſe cognoverat, conferre, eoſque ad ſuppetias ſibi ferendas hortari cœpit. Jamque dies Joanni Baptiſtæ ſacer aderat, quo nimirum Ariſminus, novus à Duce ſubmiſſus Reipub. adminiſtrator, urbe excipiendus eſſet, adeoque cum Opicino, qui antea urbem rexerat, eam ingreſſus fuerat, cum Spinola, non diutius cunctandum ratus, armatus, cum ea quam ſecum habebat manu ex ædibus ſuis, foro contiguis erumpens, libertatem vocare cœpit.

Atque adeo mirari convenit, quam citò, quantaque cum animi promptitudine, cives illi, vix audito libertatis nomine, confluxerint, adeo ut nulli eorum, qui vel propriæ utilitatis, vel alterius cauſæ ratione, in Ducem propenſi eſſent, integrum fuerit, de fuga modo deliberare, ne dicam armis eum tuendum ſumere. Quo quidem factum eſt, ut Ariſminus cum aliquot Genueſibus, in caſtrum, quod la Rocca nuncupatur,

Q

ſeſe fuga reciperet: Opicimus vero, vel quod ſalvum ſe eſſe, ſi in Palatium penetraſſet, ubi duo armatorum millia ipſum exſpectabant, vel quod amicis animum, ad defenſionem, addere ſe poſſe ſperaret, eò verſus deflexit, verum antequam ad forum perveniſſet, interfectus, inde minutatim conciſus, tractusque per urbem fuit. Genuenſes vero, reſtituto libero mox magiſtratu, paucos intra dies caſtrum, munitaq; alia Ducis loca, occuparunt, jugumq; Ducis penitus excuſſerunt.

Genuenſes libertate authore Spinola potiuntur.

Poſtquam res hunc ad modum ſucceſſiſſent, Principes Italiæ, qui ex victoria Ducis non parum perculſi fuerant, deq; ipſius potentia jam dubitare cœperant, animum paulatim reſumere, atq; ex hoc eventu ſperare cœpere, poſſe illum deinceps nô adeo difficulter coherceri, eam ob rem, nulla habita recentis fœderis ratione, Veneti, unaq; pariter Florentini, cum Genuenſibus convenere. Atq; id quidem Reinaldum Albizium, unà cum reliquis Florentinorum exulibus, in ſpem erexit, poſtquã ubiq; turbatũ, orbemq; alia facie obductum animadverterent, poſſe Ducem, ad bellũ Florentinis inferendũ, facile perſuaderi, eô igitur profecti Reinaldus hunc ad modũ Ducẽ alloqui cœpit.

Exules Florentini ad Ducem Mediolanẽſem.

Quod nos, olim hoſtes tui, modo tanta cum fiducia auxilia tua rogaturi, te accedamus, quo nimirum in patriam noſtram redire nobis liceat, id ædepol neq; te neq; quenquam, qui humanas actiones, fortunæq; varietatem conſiderat, mirari decet, licet actionum noſtrarum, ut præteritarum, ita earum quas nunc ſuſcipimus, tam tibi de præteritis, quam patriæ de hiſce noſtris, manifeſtis rationibus ſatisfacere valeamus. Nemo vir bonus unquam civem repræhenſurus eſt, qui patriam defendere conetur, quocunq; tandem modo ea defendatur. Neq; nobis unquam propoſitũ fuit injuriis te afficere, ſed ſaltẽ injurias à patria noſtra arcere, cujus quidẽ rei certiſſimã fidem tibi exhibere queat, quod in ipſo victoriarum, quæ fœderatis nobis obtigere, culmine confeſtim atq; te pacem vere deſiderare cognoviſſemus, nos eã majore cum deſiderio

amplexi fuerimus. Hinc fit, ut minimè anxii hæreamus, ob ea quæ hactenus geſſimus, nos à gratia tua excluſos fore. Neque porro patria noſtra nobis merito ſuccenſere debeat, quod modo te, ad arma contra eam ſuſcipienda, exhortemur, quam tamen antea, tanta cum animi obſtinatione, contra te defendendam ſuſceperamus. Ea ſiquidem patria, ab omnibus civibus, amorem meretur, quæ omnes ſuos cives æquali amore proſequitur, non ea, quæ poſthabitis reliquis omnibus, pauciſſimos adorat. Neque vero quiſquam adeo clemens reperiatur, qui arma univerſim omnia contra patriam deteſtanda arbitretur, civitates ſiquidem, licet corpora compoſita ſint, habent tamen aliquam, cum corporibus ſimplicibus, ſimilitudinem: nam ut in his non raro morbi oboriuntur, qui citra ferrum ignemque curari nequeunt, ita in iſtis multotiens tot mala exoriri ſolent, ut bono pioque civi, licet ferrum ipſum adhibendum ſit, minus peccetur eas curare, quam intactas negligere. Qui vero porro morbus exitioſior Rebuspub., quam ipſa ſervitus unquam obtingere queat? quæ nam porro medicina opportunior adhibeatur, quam ea, quæ ab hoc morbo eam liberare poſſit? Bella enimvero ea ſaltem juſta ſunt, quæ neceſſaria, eæque expeditiones piæ, ſine quibus nulla alia ſpes. At pol nullam aliam neceſſitatem majorem noſtra, neq; ullam pietatem inſigniorem, ego quidem, deprehendere queam, quam quæ patriam ſuam ex ſervitute in libertatem vendicet. Hinc vero manifeſtiſſimum eſt, cauſam noſtram, tam piam, quam juſtam eſſe, quod non modo nobis ipſis, ſed etiam tibi conſiderandum venit, ex cujus partibus non minus juſticiam ſtare manifeſto conſtat, ſiquidem Florentini poſt pacē tanta cum ſolennitate celebratā, cū Genuēſib. ſeditioſis tuis ſubditis, fœdus paciſci nō erubuerūt, adeo ut ſi cauſa noſtra te minus moveat ſaltē propria injuria te movere merito debeat, præſertim quod expeditionē iſtam facilitas comitetur. Neq; etenim præ-

teriti ſucceſſus, quibus tam potentiam Florentinorum, quam obſtinatum eorum pro libertate, pro pugnanda animum experiri tibi contigit, te inde abſterrere, debeant, licet inficiari nolim, ea ita comparata eſſe, ut ſi priſtina virtute adhuc nitantur, ea non immerito timeſcenda ſint. Verum plane contrarium tibi conſtabit. Nam quamnam obſecro potentiam, ea in urbe ſupereſſe arbitrere, quæ non adeo dudum, maximam ſuarum opum atque induſtriæ partem expulit? quamnam porro obſtinationem ab eo populo exſpectes, quem tam variis novisque inimicitiis diſtractum animadvertimus? quæ quidem animorum disjunctio, etiam id porro efficit, ne divitiæ, ſi quæ in urbe reſiduæ ſunt, iis rationibus quibus antea conſueverant, impendantur, ſiquidem *id hominibus innatum eſt, ut facultates ſuas eò conferre animis paratis ſoleant, quo gloriam atq; utilitatem propriam ſe conſecuturos, idq; pace commodum recuperaturos ſperant, quod bello abſumi viderint: cum vero, tam bello, quam pace pariter ſe opprimi, ipſisq; tam bello hoſtium injurias, quam pace inſolentiam eorum qui imperant, exſpectandas eſſe animadverterint, mox animos immutatos conſpexeris.* Solet porro populo, ut plurimum, plus civium avaritia, quam hoſtium rapacitas obeſſe. Siquidem hæc finem ſuum, altera nullum unquam habitura judicetur. Movenda igitur tibi olim fuerunt arma, contra univerſam civitatem, cum ea modo, contra ejus ſaltem partem, movenda ſint, expeditionem ſuſceperas, ut Rempub. multis bonisque civibus eripere, nunc vero eam contra paucos, eosque malos, ſuſcepturus es. Veneras ut libertatem urbi eriperes, nunc eam reſtitutum proficiſceris. Fieri vero vix queat, ut in tanta cauſarum differentia, eventus nihilominus pares ſuccedant, ſed potius certiſſima victoria tibi ſperanda eſt, qua quidem adepta: quantum ea robur ac potentiam tibi comparatura ſit, id equidem inde facile judicare queas, quod hac ratione univerſam Tuſciam, ob tam eximium beneficium, tibi devincere, eaque poſtmodum, majore cum commodo, quam Mediolano ipſo, uti poſſis. Tandem

cum

cum antehac iſtiusmodi conatus, tam ambitioſus, quam violentus haberi potuerit, nunc vero juſtus piusque ab omnibus judicabitur. Ne igitur hanc opportunitatem evaneſcere patiare, ſed potius cogitato, præteritas contra Florentinos expeditiones tuas, tibi anguſtias, ſumptus, atque ignonimiam peperiſſe, hanc vero & facilem eſſe, & ſummum tibi commodum famamque honeſtiſſimam comparaturam.

Non erat quidem neceſſe, Ducem multis, ad bellum Florentinis inferendum, perſuadere, utpote qui in ipſos jam ſatis, hæreditario odio, cæcaque ambitione, ferretur, quibus recentes injuriæ, ob fœdus cum Genuenſibus initum, accedebant: Nihilominus tam ſumptus priſtini, quam pericula exantlata, recentis etiam cladis memoria, vanæque omnium exulum pollicitationes, illum non mediocriter ſuſpenſum tenebant.

Mandaverat Dux, quamprimum Genuenſium defectionem reſciviſſet. Nicolaum Piccininum, cum univerſa cataphractariorum ſuorum manu, peditumque tanto numero, quantum provinciæ ſuæ ipſi ſuppeditabant, verſus urbem illam, quo eam, antequam cives animis confirmati, novaque Reip. conſtitutione muniti eſſent, reciperet, non mediocriter caſtro confiſus, quod ipſi in ea hactenus parebat.

Licet vero Nicolaus Genuenſes ex vicinis montibus turbaret, vallemque Pozeverinam ipſis eriperet, eosque in urbem compelleret, tanta is tamen animi obſtinatione cives pro libertate pugnare expertus eſt, ut inde paululum recedere neceſſe haberet. Perſuaſionibus ergo exulum Florentinorum motus Dux, ipſi injunxit, ut littus, quod orientem ſpectat, invaderet, atque ad Piſanorum fines, maximum, quantum quidem ejus fieri poſſet, motum, in Genuenſium ditione exercitaret, fore nimirum, ut inde temporis ſucceſſu quæ porro agenta ſint, emineant. Eam ob rem Nicolaus, Serezanam adgreſſus, eam expugnavit, multaque ubique clade illata, quo Florentinis majorem ſuſpicionem pareret, Luccam conceſſit, Neapolim,

Dux contra Florentinos bellum parat.

ad ſuppetias Alfonſo ferendas, ſe proficiſci ſimulans.

Pontifex Eugenius, eo tempore, Florentia Bononiam ſe contulerat, novamq; tractationē inter Ducē & fœderatos adgreſſus erat, monebatq; Ducem niſi in hanc conſentiret, non poſſe ſe fœderatis operam Comitis Franciſci denegare, qui id temporis, fœdere ipſi junctus, ſub ejus ſtipendiis militabat. Licet vero Pontifex omni cura hac incumberet, nihil tamen promovere ipſi licuit, quod nimirum Dux, niſi Genuenſes ſub ipſius poteſtatem redirent, pacem repudiaret, fœderati vero, eos liberos eſſe vellent, qua quidem de re omnes bello ſeſe parabant, poſtquam ergo Piccininus Luccam conceſſiſſet, Florentini novas inſidias veriti, Nerium Ginium, cum copiis ſuis, Piſam verſus agrum tueri juſſerunt, atq; à Pontifice impetrarunt, ut Comes Franciſcus ſe cum ipſo conjungeret, qui quidem, conjuncto agmine, ad S. Gondam occaſionibus intenti ſtabant.

Piccininus apud Luccam conſtitutus tranſitum in regnum Neapolitanum urgebat, eoq; denegato, vi viam ſeſe aperturum minabatur. Erant copiæ utriusque partis, tam militum quam imperatorum ratione, æquales, eam ob rem nihil temere agendum rati, quod præterea frigore impedirentur, menſis ſiquidem Decembris erat, aliquod dies otioſi in propinquo hærebant. Primus tandem eorum Nicolaus Piccininus movere cœpit, utpote cui demonſtratum eſſet, poſſe vicum Piſanum nocte occupari. Tentavit Nicolaus aleam, & cum de vico occupando non ceſſiſſet, omnem vicinam provinciam depopulatus eſt, vicumque S. Joannis, ad venam nuncupatum, prædæ atque incendio expoſuit.

Atq; hic quidem eventus, licet partim minus ex animo ceſſiſſet, Nicolao tamen animum addidit, ut ultra pergere conaretur, præſertim quod nec Comitem nec Nerium, hactenus loco moviſſe animadverteret, eam ob rem, S. Mariam, in caſtello vocatam, Filettumque invaſit, cœpitq;: neq; vero etiam hanc ob cladem

Florentini

Florentini movebant, non quod Comes ſibi metueret ſed quod à Florentinis, in honorem Pontificis, qui de pace agebat, bellum nondum decretum eſſet: id vero quod Florentini ſapienter differabant, hoc hoſtibus timoris loco habebatur, ipſiſq; animum ad altiora conanda, addebat, adeo ut de Barga expugnanda cogitarent, omnibusque cum copiis eò proficiſcerentur. Atque hic demum conatus effecit, ut Florentini, poſthabitis cunctationibus, non ſolum Bargam defendendam, ſed etiam Luccenſium agrum depopulandum eſſe decernerent.

Ergo Comes Nicolaum cum exercitu ſecutus, ſub Bargam cum ipſo conflixit, eumque vicit, ut vix non plane profligatus, oppugnationem deſereret. Veneti interea temporis, quod Ducem pacem violaſſe arbitrarentur, Joanne Franciſco Gonzaga belli Duce in Ghiaraddadá impreſſionem fecerant, Ducemq; non parva clade affecerant, adeo ut is neceſſe haberet, Piccininum ex Tuſcia revocare, quæ quidem avocatio, ac Nicolai porro clades, Florentinis animum addidere, ut de ocupanda Lucca ſperare inciperent, eamq; ad expeditionē, nulla habita cujusq; ratione proruerēt, quod nimirum Ducem, quē ſolum metuebant, à Venetis oppugnatum neq; Luccenſibus, ad culpam purgandam, quidq̄ ſupereſſe cernerent, utpote qui hoſtē excepiſſent, atq; in cladē ipſis inferendā conſenſiſſent. *Piccininus à Sfortia profligatus.*

Igitur anno MCCCCXXXVII, menſe Aprili, Comes exercitum movere cœpit, primoq; recuperandis iis, quæ à Piccinino occupata fuerant, intētus, omnia, paucorum dierum intervallo, in poteſtatem ſuam redegit. Inde ad Luccenſium ditionem deflectens, Camajorem adgreſſus eſt, cujus quidem loci incolæ, licet in dominum ſuum propenſi, victi tamen præſentis periculi metu, ſeſe dedidere. Pari ſucceſſu inde Maſſam, Serezanamq; recepit, tandemq, ſub finem Maii verſus Luccā movit, omnéq; viciniā depopulatus eſt, nullis nec vitib. nec arborib. parcēs ſed potius hoſtili animo, in villas, aliaq; quævis obvia ſæviēs. *Florentini Luccam obdent.*

Luccenſes contra à Duce deſtituti, ditioniq; defen-

dendæ diffiſi, agrum neglexerant, ſed potius urbi aggeribus, aliisq; id genus propugnaculis muniendæ, omni conatu, incumbebant, de ea defendenda non admodum dubii, tam quod defenſoribus abundarent, quorum ope obſidio in longum duci poſſet, quá quod præteritis ſucceſſibus non parum erigerentur. Plebis ſolummodo inconſtantia ipſos angebat, ne nimirum ea obſidionis pertæſa, periculorum potius, quá libertatis curam haberet, ipſosque ad ignominioſam damnoſamque compoſitionem fortaſſis cogeret.

Oratio pro urbe defendenda.

Quo igitur ea ad defendendam urbem accenderetur, convocatis omnibus, quidam ætate provectior, ſic ipſos affari cœpit. Ignorare equidem vos minime convenit, earum actionum, quæ neceſſitate ſuſcipiuntur, nullam, ſeu laudem ſeu vituperium mereri, quod ſi ergo nos accuſare cupiatis tanquam forte ad hoc bellum Florentinos provocaverimus, quod copias Ducis ſuſcepimus, eorumque invadendorum copiam ipſis fecimus, equidē longe erraveritis. Neq; etenim vos, antiquum Florentinorum erga nos odium, latere debeat, quod quidem nec noſtræ injuriæ, nec ipſorū metus, ſed potius imbecillitas veſtra ipſorumque ambitio, provocarunt, ſiquidem iſta fit, ut vos opprimi poſſe ſperent, hæc vero, ut id audacter conentur. Neq; vero porro credatis, ullo officiorum genere, vos iſtud deſiderium avertere vel ullam injuriam, ipſorum offenſionem, atrocius provocare poſſe: ipſis ergo cogitandum ſupereſt, qua via vobis libertatem eripiant, vobis vero, quo pacto eam ſtrenue defendere poſſitis, earumque rerum, ad quas utriq;, hæc dum molimur, deſcenſuri ſumus, omnes quidem quod doleamus, ſed quod nimirum, vix habebimus. Dolemus ergo, quod nos oppugnatū veniant, quod municipia noſtra occupent, quod domos incēdant, agrūq; hoſtiliter devaſtent, verum quis noſtrum adeo demens ſit, ut iſta miretur? Nā ſi nobis par facultas ſit, omni procul dubio idem, aut fortaſſis pejus ageremus: quod ſi vero ob Nicolai adventum, ad bellum nobis inferendum proruperunt, etiamſi ille nō veniſſet, alia tamen inferendi

inferendi cauſa ipſis non defuiſſet, malumq; hoc, ſi-
cet fortaſsis dilatum, tamen longe vehementius in
nos decidiſſet, adeo ut tandem non hanc invaſionem,
ſed adverſum veſtrum fatum, Florentinorumq; am-
bitionem merito lugeamus, licet præterea in poteſta-
te noſtra non fuerit, vel Ducis copias non admittere,
vel poſtquam veniſſent, à bello inferendo eas arcere.
Noviſtis porro, propria potentia nobisipſis defenden-
dis, nos haudquaquam pares, neque interim alias vi-
res eſſe, quæ tanta cum fide, tantaque cum authorita-
te, quam Ducis, nos tueri queant. Reſtituit ipſe no-
bis libertatem, par ergo eſt, ut eandem nobis conſer-
vet: ipſe perpetuis noſtris hoſtibus ſemper infenſiſsi-
mus exſtitit: quod ſi ergo, ad arcendam à Florentinis
injuriam, in Ducem iniqui fuiſſemus, an non obſecro
tam amicum perdidiſsimus, quam hoſtem porro po-
tentia auxiſſemus, ipſumque eo amplius in nos con-
citaſſemus? Adeo ut tandem præſtet, hoc bellum,
Duce amico, ſuſtinere, quam pacem, cum eius odio,
ſpectaſſe. Sperandum porro eſt, ipſum ex hiſce pe-
riculis nos erepturum, in quæ ab ipſo præcipitati fui-
mus, modo ne ipſi nos deſtituamus. Non vos latet,
quanta cum immanitate Florentini nos ſæpius oppu-
gnaverint, quantaq; viciſsim cum gloria ipſos repreſ-
ſerimus, licet ſæpius, nulla alia, quam in ſolo Deo at-
que tempore ſpes nobis ſuperfuerit, utrinque tamen
nos ſervatos fuiſſe. quod ſi vero id temporis nos de-
fendi contigit, quid porro obſtare queat, quo minus
etiam hac vice nos tueamur? Id temporis ſiquidem
univerſa Italia, nos prædæ ipſorum expoſuerat, nunc
vero Duce propitio utimur: de Venetis præterea
ſpes eſt, eos in damnum noſtrum non adeo ſtrenue
pugnaturos, utpote quibus minus integrum ſit, Flo-
rentinos potentia excreſcere. Id temporis Florenti-
ni undequaque liberiores erant, atque in auxiliis ma-
jore ſpe nitebantur, propriaq; potentia prævalebant,
nos contra omnino imbecilliores eramus, ſiquidem
tum pro tyranno pugnaremus, cum nunc nos ipſos
defendendos ſumſerimus: id temporis, gloria, defen-

ſæ urbis, ad alium ſpectabat, ea nunc noſtra erit: id temporis, iſti conjunctim nos oppugnabant, nunc diſtracti pugnant, omnemq; Italiam rebellibus refertã habent. Quod ſi verò tandem hac ſpe omni deſtituamur, extrema tamen neceſsitas, ad obſtinate pugnandum, nos exſtimulare debeat. Atq; omnis quidem hoſtis, merito vobis extimeſcendus eſt, quod omnem pro gloria ſua veſtroq; exitio pugnare conſtet, verum ante omnes Florentini nobis extimeſcendi ſunt, ſiquidem hos neque obedientia, neque vectigalia, neq; imperium huius urbis ipſum, ſatiare unquam poſsit, ſed potius perſonis atq; facultatibus noſtris inhient, quo tandẽ ſanguine noſtro crudelitatis, atq; facultatibus avaritiæ ſuæ ſitim reſtinguere poſsint: adeo ut ii omnibus, cujusq; ſortis, extimeſcendi ſint. Ne igitur moveamini, quod agros veſtros depopulatos, villas veſtras incenſas, municipia veſtra occupata conſpicitis, quod etenim urbem modo hanc ſtrenue defendamus, iſta omnia neceſſario nobis ſalva ſunt futura: nã modo libertatem noſtrã aſſeramus, difficulter iſta ab hoſte obtineri queant, libertate porro amiſſa, neque iſta magno nobis uſui fuerint. Igitur ingenti animo arma corripite, atq; inter pugnandũ mementote, præmium victoriç non ſaltem patriam, ſed etiam domos, uxores, liberosque veſtros eſſe.

Atq; hæc quidem poſtrema verba, magno cũ animi fervore, ab omnibus excepta, inque univerſum decretum fuit, mortem ſe prius quam oppetere ſibi ipſis deeſſe, aut quidquã admittere velle, quod libertatem ipſorum ullo pacto labefactare poſſet. Ergo deinceps omnia conſtituta, atq; præparata fuere, quæ ad ſtrenue defendendam civitatẽ requiri poſſe videbantur.

Florentinorum interim exercitus minime deſes agebat, ſed poſt ingentem cladem agris illatam, Montẽ Carlum deditione cœpit, inde Uzanũ obſidione cingi ceptum, quo nimirum Luccenſes, omni ex parte circumcluſi, de auxiliis deſperarent, fameq; compulſi ad deditionem deſcenderent. Erat id caſtrum ſic ſatis munitum, multoq; milite defenſum, adeo ut eius expugnatio,

pugnatio, nō adeo facili via, ac reliquorū ſuccederet.

Luccenſes omni ex parte obſeſsi, ad Ducem confugerant, atq; omnibus modis, tam demiſſo quā aſpero ſermone, ipſius clientelæ ſeſe cōmendaverant, modo merita ſua, modo Florentinorū injurias recenſentes, quantoque id animo, reliquis amicis ſuis, ſi defenderentur, quanto vero timori, ſi deſtituerentur, futurū ſit. Quod ſi etenim ipſis vita cum libertate amittenda ſit, pariter ipſum amicis atq; exiſtimatione, tum præterea fide, apud omnes eos, deſtitutum fore, qui unquam in ipſius gratiam, aliquid periculi ſuſcepturi ſint: quæ quidem lachrymis madidi protulere, ut ſi beneficia ipſum minus moverent, ſaltem miſericordia flecteretur.

Cum ergo tam odio contra Florentinos inveterato, quam memoria recentium à Luccenſibus beneficiorum Dux accederetur, longeq; omniū metueret, ne Florentinis id potentiæ accederet, eam ob rē conſtituit, vel maximis cum copiis Luccenſibus ſubvenire, vel tanto cum impetu in Venetos impreſsionē facere, ut Florentini à cepto deſiſtere, Venetisq; opem ferre neceſsitate ipſa adigerentur.

Atq; hæc quidem deliberatio, quo pacto nimirum Dux inſtructiſsimo cum exercitu Tuſciæ immineret, Florentinis confeſtim detecta fuit, adeo ut inde, de ſpe occupandorū Luccenſium, non mediocriter dejicerentur; nihilominus, quo Dux in Longobardia diſtineretur, ipſi nō deſtitere Venetos monere, ut ipſum omnibus viribus occupare vellent. Verum etiam hi non parū perculſi fuerant, quod à Marchione Mantuano deſerti, isque ad ſtipendia Ducis avocatus fuiſſet, eá ob rem, propemodum inermes, reſponderunt, minime in poteſtate ſua eſſe bellum iſtud trahere, ne dicant exercitum augere, niſi Comitem Franciſcum cui militem ſuum regendum committant, ab ipſis obtinuerint, idq; expreſsis conditionibus, ut Padum trajiciat, nolle ſe etenim antiquis pactis quibus trajiciendi poteſtas penes ipſum ſtet, diutius teneri: ſiquidem absque duce bellum gerere, ipſis integrum

non

non ſit, neque alio, niſi Comite potiri poſſe, nec Comitem alioquin ipſis uſui fore, niſi ad bellum quovis in loco agendum, obſtrictus ſit.

Videbatur interea Florentinis omnino neceſſe, bellum in Longobardia urgeri, ſi vero Comite privarentur, Luccenſes omittendos eſſe cernebant: neque non animadvertebant, non neceſsitate adactos Venetos, ſed quo ipſis eam victoriam excuterent, ad Comitem expetendum deveniſſe. Ex altera vero parte, paratus quidem erat Comes ubivis militare, quo fœderatis eum mittere placuiſſet, verum antiqua pacta negligere nolebat, ne ſpe illa, quam de affinitate Ducis conceperat, penitus excideret. In duas igitur partes Florentini ambigui diſtrahebantur, atque tam cupiditate obtinendorum Luccenſium, quam timore belli cum Duce angebantur. Vicit tamen, (quod ſemper evenire ſolet) apud eos metus, atq; tandem conceſſerunt, ut Comes, expugnato Uzano, in Longobardiam pergeret.

Alterum ſupererat dubium, quod quidem in Florentinorum arbitrio minus poſitum, eo majore ipſos ſollicitudine atque anguſtia premebat: Siquidem Comes Padum traijcere conſtanter recuſabat, Veneti contra, nullo alio pacto, ipſum admittere volebant: cum ergo nulla ad conveniendum alia via ſupereſſet, quam ſi pars parti ultro cederet, ei rei obtinendæ Florentini Comiti perſuaſerunt, ut erga Rempub. Florentinam, epiſtola transmiſſa, de Pado traijciendo, fidem faceret, eam nimirum privatam ſtipulationem, pactis publicis nihil derogare, eamq; ob cauſam poſtmodum rem in ipſius arbitrio eſſe, quo tamen pacto interim id ipſi adipiſcerentur, ut Veneti neceſſe habeant, bello jam inchoato, quo res poſtulaverit, ſequi, quod quidem diverſionem iſtius, quem metuebant impetus, producere poſsit; Venetis ex alia parte demonſtrarunt, literas iſtiusmodi privatas, obligationi ſufficere, eamque ob rem eos his merito acquieſcere debere, nam ſi qua in parte Comitem, ne manifeſto in ſocerum impingat, quod quidem neutræ parti profuturum

futurum ſit, ſalvare queant, id ipſis nullo modo prætereundum eſſe.

Atque hac quidem ratione, profectio Comitis in Longobardiam tandem concluſa fuit, isq; expugnato Uzano, præterea quibuſdam propugnaculis, ad Luccenſes circundandos extructis, belloque iſti conficiendo, procuratoribus poſt ſe relictis, per Alpes in Longobardiam deſcendit, Regiumque uſq; progreſſus eſt: At Veneti ſucceſſu iſto ambigui, ante omnia animum ipſius explorandum duxerunt: petiere ergo, ut quamprimum Padum trajiceret, ſeque cum reliquis ipſorum copiis conjungeret, quod tamē Comes ſe facturū manifeſto negavit, adeo ut inter Andream Maurocenum Venetorum, legatum ipſumq; ad contentiones deveniretur, ut utrique ſuperbiam perfidiamque invicem ſibi exprobrarent, tandemque poſt multas altercationes, hic quidem quod ad ſervitiá, ille vero, quod ad ſtipendia ſolvenda obſtrictus ultra non eſſet, Comes quidem in Tuſciam, ille vero Venetias pedum retulit.

Comes Franciſcus in Longobardiam pro Venetis proficiſcitur.

Exceptus iterum à Florentinis Comes, in agro Piſano caſtra habere juſſus fuit, confiſi, ipſum ad bellū Luccenſibus inferendum, denuo perſuaderi poſſe, à quo tamen ipſum alieniorem comperere. Poſtquam etenim Dux intellexiſſet, ipſum in ſui gratiam Padū trajicere noluiſſe, inde in ſpem erectus fuit, poſſe etjam ipſius ope Luccenſes ſublevari, eam ob rem eum obnixe rogavit, ut tranſactionem inter Luccenſes atque Florentinos tentaret, unaque pariter ipſum, ſi id fieri poſſet includeret, atq; eo quidem pacto, nuptias cum filia ipſi paratas fore.

Enivero nuptiæ iſtæ Comitem ſummopere movebant, quod nimirum ſperaret, poſſe ſe earum medio quod Dux hærede maſculo deſtitueretur, tandē Ducatum Mediolanenſem in ſe transferre. Hinc ſemper Florentinos à re gerenda diſtrahebat, ſe minime pugnaturū inquiens, niſi Veneti tam de ipſo conducendo, quam ſtipendiis exſolvendis, aliquid certi decernerent: neque ſolutionem ſtipendiorum ſolam ipſi

ſatisfacere, poſtquam etenim de ditione ſua certus eſſe cupiat, alium ſane defenſorem, præter Florentinos, ſibi parandum eſſe. Quod ſi igitur à Venetis deſtituatur, neceſſario res ſuas ſibi agendas fore, quibus verbis, ſe cum Duce conventurũ, tacite innuebat.

Atq; hæ eluſiones fraudesque, Florentinis quidem maximopere diſplicebant, quod nimirum ex via Lucenſium expugnationem, fruſtraneam eſſe animadverterent, imo de imperio ſuo periclitarentur, ſi quãdo Ducem atque Comitem convenire contingeret. Quo igitur Venetos, de conducendo Comite perſuaderent, Coſmus Mediceus provinciam eam ſibi ſumſit, atque Venetias ea propter profectus eſt, coramq; ſenatu, multis verbis, hac de re diſputavit, univerſumque Italiæ ſtatum, Ducisq; potentiam, porro militiæ robur penes quem ſtaret, ipſis ob oculos poſuit, quod ſi nimirum Ducem Comiti conjungi contingeret, inde proculdubio, tam ipſis univerſo imperio terreſtri cedendum atque in mare redeundum, quàm ſibi libertatem in ambiguo conſtitutam fore.

Ad quæ à Venetis reſponſum fuit, non ſe vel ſuas, vel univerſæ Italiæ vires ignorare, neq; vel minimum dubitare, ſe ſua defendere poſſe, non eſſe nimirum ſui inſtituti, militiæ Ducibus de ſtipendiis ſatisfacere, qui aliis ſerviant: conſtituerent igitur Florentini, qua ratione Comiti de ſtipendiis ſatisfacerent, poſtquã pariter ipſius ſervitio uterentur, longeq; magis neceſſarium eſſe, ſi modo imperio ſuo Veneti tuto potiri velint, Comitis ſuperbiam reprimere, quam ipſi ſatisfacere, ſiquidẽ *humana ambitio meta deſtituatur*, eamq; ob rem, ſi tũ ipſi de ſtipendiis ſatisfiat, antequam nimirũ militaverit, eum non paulo poſt, longe iniquiora, atq; periculoſa magis petiturũ. Neceſſarium igitur ipſis videri, tandem fræno arrogantiam ipſius cohercere, neque eouſq; ut excreſcat permittere, donec amplius in ordinẽ ea cogi nequeat, quod ſi vero Florentini vel ex metu, aut alia de cauſa, ipſo amico frui conſtituerint, tum etiam de ſtipendiis ipſi ſatisfaciant.

Re itaq; infecta, Coſmus ad ſuos rediit, nihilominus

nus Florentini, omni qua poterant authoritate, apud Comitem inſtabant, ne fœderatos deſtitueret, qui etiam ipſe invitus eos deſerebat, verum deſiderium, quo ob nuptias tenebatur, ipſum in ambiguo conſtituebat, adeo ut quovis momentum, vel minimum ipſum movere potuerit: quod etiam factum eſt.

Reliquerat Comes ditioni ſuæ, quam in Picentino tenebat, tuendæ, Furlanum præcipuum turmarum ſuarũ præfectum. Hunc igitur Dux, clam adgreſſus, inſtigare non deſiit, donec ſtipendiis Comitis renunciaret, atque ad Ducem concederet, quo quidem factum eſt, ut Comes jam ſibi metuens, cum Duce confeſtim tranſigeret, pactumque inter alia, ne Dux negotiis Flaminiæ atque Tuſciæ ſeſe immiſceret. *Comes Franciſcus cum Duce tranſigit.*

Comes Florentinos ad pacem, cum Luccenſibus conſtituendam, hortari cœpit, eiq; negotio tam frequenter inſtitit, ut poſtquam hi nihil aliud ſibi jam ſupereſſe animadverterent, tandem pax menſe Aprili anno MCCCCXXXVIII. firmaretur, qua quidem Luccenſes libertatem, Florentini vero montem Carlum, aliaq; præterea caſtra ſibi habebant. Florentini eam ob rem, univerſam Italiam, literis atque lamentationibus ſuis repleverunt, quibus ſignificarunt, ſe à Deo atque hominibus deſtitutos, ne Luccenſes poteſtati ſuæ ſubiicerent, pacem illis tandem conceſſiſſe: atq; adeo vix fieri queat, unquam quemquam ob ſua amiſſa, tantopere doluiſſe, quantum Florentini, quod aliena non occupaſſent, id temporis conqueſti ſunt. *Inde Florentini Luccenſibus pacem dant.*

Hæc dum in Italia gererentur, ac Florentini multis modis implicati eſſent, urbem tamen illuſtrare, atq; vicinarum rerum rationem habere, interim non neglexerunt. In fata conceſſerat, quod etiam ſupra diximus, Nicolaus Fortebraccius, qui unam filiarum Comitis ad Pompilii forum, (Poppium appellamus) in matrimonio habuerat. Atque hic quidem, ſub mortem generi ſui Fortebraccii, Vicum caſtrumque S. Sepulchri in ſua poteſtate habebat, viceſque generi ibi agebat, ab eius vero obitu, eadem ex filiæ dote ad ſe ſpectare aſſeverabat, neque Pontifici iis cedere

volebat,

volebat, qui ea, tanquam ditioni ſuæ erepta, repetebat: adeo, ut tandem Pontifex, ad ea recuperanda, Patriarcham cum copiis ablegaret. Cum ergo Comes de iis defendendis dubitaret, eam ob rē, Florentinis ea obtulit, qui tamen ea repudiarint. Poſtquam vero Pontifex Florentiam reverſus eſſet, viſum fuit Florentinis pacē inter ipſum atq; Comitem tentare, qua dum nihil ageretur, interim Patriarcha, impreſſione in Caſentinum facta, Pratum vetus atque Romenam occupavit, eaque loca pariter Florentinis obtulit, qui pari ratione eadem recuſarunt, niſi bona cū Pontificis venia, ea Comiti reſtituere ipſis liberum eſſet, in quod tandem Pontifex conſenſit, eo tamen pacto, ut ipſi cum Comite de reſtituendo Vico agerent.

Hac igitur via conciliata Pontificis benevolentia, viſum fuit Florentinis, poſtquam nimirum templum primarium, quod S. Reparatæ appellatur, jam olim ædificari cœptum, eousque jam perductum fuiſſet, ut ſacra in eo commodum peragi jam poſſent, Pontificem rogare, eius dedicationem in ſe transferre dignaretur, idque non ægre impetrarunt. Quo ergo viciſsim tam Pontificem honore afficerent, quā ſplendori & urbis & templi non deeſſent, contignatione continua, à S. Maria novitiæ, ubi nimirum Pontifex morabatur, ad templum, quod conſecrandum erat, ducta, eaque duarum ulnarum altitudine, quatuor vero latitudine, undiq; aulæis precioſiſsimis conſtrata, Pontificem ſolum cum ſuis aulicis, atque ea magiſtratus parte, quæ ipſius ſervitio deputata fuerat, exceperunt, omnis reliqua civitas, per plateas, ædes, templumque ipſum diſperſa, ad ſpectaculum iſtud confluxerat. Solennibus ex more peractis, quo Papa majore benevolentiæ teſtimonio urbem cohoneſtaret, Julianum Avarzium juſtitiæ ſigniferum alioquin civem ſemper præclariſsimum, equeſtri torque donavit, in quē porro Reſpub. ne benevolentia Pontifici cedere videretur, Capitaneatum Piſanum in annum contulit.

Diſſidia Græcæ & Romanæ Eccleſiæ

Vigebant

Vigebant id temporis, inter Eccleſias, Romanam Græcamque, diſſenſiones, quod divini cultus gratia, non omni ex parte inter eas conveniret, actumque fuerat, in poſtremo Concilio, ea de re ſedulo, decretumque ab Occidentalis Eccleſiæ præfectis, ut omni cura atque ſollicitudine, cum Imperatore Epiſcopiſque Græciæ ageretur, quo Baſileam convenirent, atque concordiæ, cum Pontifice Romano ineundæ, vacarent. Licet vero decretum iſtud, contra Majeſtatem Imperatoris Græciæ vergeret, ſuperbiæ porro Græcorum Epiſcoporum, Pontifici Romano cedere, ſummopere diſpliceret quod tamen à Turcis opprimerentur, neque defenſioni ſoli pares eſſent, conſtituêre tandem, quo eo ſecurius auxiliis potirentur, ipſis cedendum eſſe: eam ob rem, tam Imperator quam Patriarcha, una cum Epiſcopis non paucis, atque Imperii Græci principibus, mare trajecerant, atque quo conſilio Baſilienſi ex decreto intereſſent, Venetias appulerant, indeque ab aeris nimirum peſtilentia ſibi proſpectum cupientes, Florentiam conceſſerant, atque ibique ea de re agere cœperant. Cum ergo in Templo Cathedrali conveniſſent, multoſque dies diſputando conſumſiſſent, tandem Græci ceſſerunt, atque cum Romano Pontifice concordiam inierunt.

Græci cedunt Romanis ob Turcarum impreſſiones.

Ergo jam pace inter Florentinos atque Lucenſes, Ducemque inter & Comitem firmata, videbatur pleriſque, non difficulter omnes in univerſum motus per Italiam, præſertim quæ hactenus Longobardiam atque Tuſciam infeſtaſſent, ſopiri poſſe: eos ſiquidem qui inter Regem Renatum Andium, atque Alfonſum Aragonenſem orti eſſent, non niſi alterutrius exitio finem habituros. Licet vero Pontifex non contemnenda ditione ſe exutum, non mediocriter indignaretur porro tam Ducis, quam Venetorum ambitio, pleriſque manifeſta eſſet, ſperabatur tamen Pontificem neceſsitate adactum, cæteros vero tot bellis exſatiatos, non ægre quieturos. Verum res aliter ceſſit, ſiquidem nec Duci nec Venetis ſtare viſum, adeo,

Nova belli ſemina. ut denuo univerſa Longobardia atque Tuſcia bello commoverentur.

Non poterat elatus Ducis animus ferre, ut Bergamum atque Breſcia à Venetis teneretur, præſertim quod animadverteret, eos ab armis non modo nondum receſsiſſe, verum etiam ditioni ſuæ indies excurſionibus moleſtos eſſe, ipſiſque videbatur, non ſolum ſe ipſis cohercendis ſufficere, Verum etiam omnia, quibus illi ipſum exuerant, recuperare ſeſe poſſe, quamprimum ii à Pontifice, Florentinis, atque Comite deſerti fuiſſent. Eam ob rem Pontifici Flaminiam eripiendam eſſe cenſuit, tam ne Pontifex ipſum deinceps offendere, quam ut Florentini, ob vicinum incendium metu perculſi, vel non moverent, aut ſi omnino movendum arbitrarentur, non adeo commode ditionem ſuam invadere poſſent. Neque porro Ducem, indignatio Florentinorum contra Venetos, ob res Luccenſium latebat, quæ quidem vel ſola, promptitudinem ipſorum in Venetis juvandis, retardare poſſet. De Comite Franciſco vero arbitrabatur, tam novam amicitiam, quam ſpem nuptiarum ad frænum ipſi imponendum ſatis eſſe. Ad evitandas ergo ſiniſtras imputationes, vicinorumque motus, præcavendos, præſertim, quod ex transactione cum Comite facta à Flaminia invadenda arceretur, Nicolao Piccinino author fuit, ut eam provinciam, tanquam propria ambitione motus, invaderet.

Stabat Nicolaus eo, quo inter Ducem atque Comitem tranſigebatur tempore, in Flaminia, cumque Duce convenerat, verum tranſactione cum Comite, perpetuo ſuo hoſte, offenſum ſeſe ferebat, eamque ob rem, cum turmis ſuis, inter Forum Livium atque Ravennates conceſſerat, caſtraque tanquam nova ſtipendia eo loci operturus, muniverat.

Fama igitur iſtius offenſionis undique ſparſa, doluit porro Nicolaus apud Pontificem, tot ſua officia, ſumma ingratitudine à Duce compenſari, qui quidem ſibi perſuaſum habeat, univerſæ ferè Italiæ militiam

litiam ſub duobus præcipuis belli ducibus in ſua poteſtate eſſe, totamque regionem hac ratione ſibi ſubjici poſſe. Quod ſi vero Pontifici commodum videatur, poſſe ſe facile efficere., ut Dux unum iſtorum ducum hoſtem, alterum inutilem ſibi propediem experiatur. Nam ſi ſibi pecunia adeſſe, eaque ratione militi ſuo, ne dilaberetur, manum porrigere velit, ſeſe ditionem Comitis, Pontifici ereptam, invaſurum, qua quidem via eventurum ſit, ut Comes, propriæ ditionis tuendæ implicatus, ambitioni Ducis opitulari negligat.

Pontifex à Piccinino deluſus. Adhibuit Pontifex perſuaſionibus iſtis, quod eæ vero conſentaneæ eſſent, fidem, Nicolaoque, ingenti præterea ſpe onerato, promiſsiſque, tam ipſi, quam filiis dignitatibus atque provinciis, quinque Hungarorum millia numerari curavit, ac licet à multis fraudem edoceretur, tamen monita ea admittere noluit, imo nec ferre contraria affirmantem potuit.

Regebat id temporis Ravennates, Pontificis nomine Oſtaſius Polentanus: Viſum igitur Nicolaö non diutius cunctari, præſertim quod Franciſcus ipſius filius, magna cum Pontificis ignominia, Spoletum diripuiſſet, eam ob rem Ravennam occupare adgreſſus, vel quod eum conatum omnium facillimum arbitraretur, vel quod clam Oſtaſio conveniſſet, paucorum dierum ſpatio oppugnatam deditione cœpit, poſtea Bononiam, Imolam, Forumque Livium non difficulter occupavit, atque quod ſummopere mirari decet, viginti caſtrorum, quæ eo in tractu Pontifici parebant nullum poteſtatem Nicolai evaſit. *Omnia flaminia exuitur.* Neque contentus tam atroci injuria, reipſa Pontifici illata, inſuper etiam verbis ipſum ludificari voluit: merito ſe provinciam illam Pontifici eripuiſſe, literis ad ipſum teſtatus, quod nimirum non erubuiſſet, conſtantem ſuam erga Ducem amicitiam labefactandam adgredi, omnemque porro Italiam literis explere, qua ipſe Ducis amicitiam neglexiſſe atque ad Venetos conceſsiſſe argueretur. *Ludibrio inſuper habitur.*

Occupatam Flaminiam, Nicolaus filio ſuo Franciſco tuendam commiſit, majoreque cum copiarum parte Longobardiam petiit, atque ibi, conjunctis cum Ducis copiis viribus ſuis, Breſcianum agrum invaſit, eumque univerſum, exigui temporis intervallo, in poteſtatem ſuam redegit, urbemque ipſam obſidione cinxit.

Subdolus Ducis animus.

Deſiderabat Dux Venetos ab omnibus deſtitui, ſibique prædæ eſſe, eam ob rem apud Papam, Florentinos atque comitem ob res à Piccinino in Flaminia geſtas, ſeſe purgare, porroque aſſerere cœpit, quantum eæ transactioni contrairent, tantum etiam à voluntate ſua longe aliena eſſe: internunciis ſecretioribus affirmans, in iſthunc animum refractarium, quamprimum id temporis occaſionisque ratione fieri liceat, evidenter animadverſum fore. Et Florentini quidem, unà cum Comite, verbis iſtis fidem non adhibebant, verum id quod res erat, ad eludendos ſeſe ea ſpargi, quousque nimirum Veneti oppreſſi eſſent, judicabant.

Veneti interea ſuperbia inflati, quod nimirum ſe ſolos Duci reſiſtere poſſe præſumerent, neminem de auxiliis convenire dignabantur, ſed bellum, Gattamelatta duce copiarum ſuarum, gerebant. Decreverat porro Comes Franciſcus, Florentinorum ſubſidiis munitus, Renato opem ferre, niſi motus iſti in Flaminia atque Longobardia animum ipſius mutaſſent, neque adeo Florentini, ob antiquam cum Gallis neceſſitudinem, ab ea expeditione alieni erant, Dux vero, ob amicitiam, cum Alfonſo olim capto contractam, hunc proculdubio fovendum ſuſcepiſſet: verum utraque harum partium, bellis vicinis implicata, remotiorum curam negligere coacta fuit. Ergo cum Florentini Flaminiam occupatam, Venetosque à Duce opprimi animadverterent, ex aliena calamitate ſuum periculum metientes, cum Comite ut in Tuſciam deſcenderet, agere cœperunt, quo nimirum, Ducis potentiæ, quæ quidem nunquam antehac eousq; excreveverat qua ratione obviàm iri poſſet, coràm

Eiusq; potentia omnibus ſuſpecta.

rium decerneretur, nam niſi ea propemodum aliqua ratione coherceretur, omnibus univerſim iis, quibus provinciæ in Italia obtigerint, propediem metuendum hinc fore.

Atque non ignorabat quidem Comes, non præter rationem Florentinos ſollicitos eſſe, cupiditas tamen illa, qua potiundæ Ducis nothæ ardebat, eum ambiguum habebat, quam quidem Dux omni ſtudio alebat, ſpemque proximarum nuptiarum, ætate ſiquidem jam nubili puella erat, faciebat, modo Comes ab armis abſtineret. Atque quo eum certo ſperare juberet, non raro eouſque progreſſus erat, ut omnia nuptiis convenienta ſuetaq; præpararet, ea tamen poſtmodum variis cavillationibus eluderet: tandemque quo Comitem facilius dementaret, triginta florenorum millia, in dotem filiæ ſtipulata, ipſi numerari curaret.

Interea temporis bellum in Longobardia ingraveſcebat, Venetique indies aliis aliiſque municipiis exuebantur, omneſque ipſorum claſſes, per fluvios hinc inde paratæ, à Ducis copiis opprimebantur, ager præterea jam omnis, Veronenſis pariter ac Breſcianus, Duci ceſſerat, urbeſque illæ ambæ ad extremitatem adeo redactæ, ut eæ, communi quidem judicio, defendi diutius non poſſent. Marchio præterea Mantuanus, qui multis jam annis Reip. militaverat, omnem præter ſpem ipſos deſeruerat: atque in Ducis partes conceſſerat: adeo ut tandem metu perculſi eo confugerent, quod ab initio belli ſuperbia obcæcati repudiaſſent.

Poſteaquam etenim nullam aliam ſpem, niſi in Florentinorum Comitiſque amicitia, ſibi ſupereſſe animadverterent, eam tandem, licet trepide, atque non præter ruborem, ambire cœperunt, metuebant ſiquidem, ne à Florentinis parem repulſam paterentur, qua eoſdem non longe antea, in Luccenſium Comitiſque cauſa affectos, deſtituerant. Verum eos præter ſpem faciliores nacti ſunt, adeo nimirum apud Florentinos odium erga Ducem inveteratum, indigna-

tioni contra priſtinos amicos prævalebat, nam cum illi multo antehac Venetorum cladem præſenſiſſent, jam dudum Comitem perſuaſerant, Venetorum cladem ipſius exitium fore, longeque ipſum falli, ſi perſuaſum habeat, Ducem Philippum ſecunda potius, quam adverſa fortuna ipſius rationem habiturum, neque vero eum aliam ob rem, filiæ nuptiis, ipſum lactare, quam ob metum quem ab ipſo conceperit. Cum vero ſic comparatum ſit, ut *ea quæ neceſsitate adacti pollicemur, non niſi neceſsitate eadē urgente ſervare ſoleamus*, plane neceſſarium eſſe, ut Ducem continuis neceſsitatibus implicatum habeat, quod quidem, niſi Venetis potentia ſua ſalva conſtet, fieri nequeat. Cogitandum itaque ipſi relinquere, ſi Venetos ea, quæ in Italia poſsideant, amittere contingat, non modo tot commoditatibus ipſi carendum fore, quot ipſis ſalvis hactenus expertus ſit, ſed etiam omni præterea commodo, quò ab aliis, eorum ob potentiam dubiis, alioquin potiri potuerit: eſſe nimirum, ſi univerſam Italiam percurrere diligentius velit, omnes vel exhauſtos, vel ipſius hoſtes. Neque porro Florentinos, quod ipſemet ſæpius inculcavit, ipſius authoritati ſervandæ ſolos ſufficere, ut tandem manifeſto deprændere poſsit, ex ipſius re eſſe, ſi Venetis potentia ſua ſalva conſtet.

His igitur perſuaſionibus, cui præterea odium contra Ducem, ob nuptiarum ambages, acceſſerat, Comes tandem ceſsit, atq; tranſactionem admiſit, neque tamen hactenus ad Padum trajiciendum ſeſe obſtringi paſſus eſt. Conventum ergo anno MCCCCXXXVIII, ut Veneti pro duabus, Florentini pro una parte, in ſumptus concurrerent, utraque porro partium, ditionem Comitis in Piceno, propriis ſumptibus tuendam ſumeret.

Foederati Italiæ regulorum. Neq; his contenti, Faventiæ præterea Dominum, Pandolfum Malateſtam Arimini regulum, Petrumque Joannem Paulum Urſinum inter fœderatos ſcripſerunt. Mantuæ tamen Marchionem, licet ingentibus promiſsis eum oneraſſent, ab amicitiæ tamen ſti-

pendiisque

Pendiiſque Ducis avellere non potuerunt, Faventiæ præterea Dominus, opimiore conditione à Duce ipſi oblata, ab his diſceſsit, quod quidem ſpem fœderatis ademit, poſſe Flaminiam, ea, quam conceperant, celeritate cōponi. Interea temporis, dum Longobardia hunc ad modū laboraret, Breſciani porro ad eā extremitatem redacti fuerant, ut deditio eorum, ob famam indies exſpectaretur, deque Veronenſibus, in ſummis anguſtiis conſtitutis, idem, dubitaretur, neque jam ambiguum erat, ſi alteram harum urbium occupari contingeret, omnes belli apparatus, ſumtusq; ingentes, fruſtraneos fore, neque alio remedio clades iſta præverti poſſe videbatur, quam ſi Comes quam citiſsime, in Longobardiam cum copiis ſuis deſcenderet.

Verum tria potiſsimum erant, quæ huic rei obſiſtere videbantur. Una, quod ratio non conſtaret, qua Comes ad Padum trajiciendum, omnique loco bellum inferendum, perſuaderi poſſet: altera quod Florentinis, Comite deſtitutis, videbatur, ſeſe Ducis arbitrio expoſitos fore, utpote cui integrum futurum ſit, infeſſo undique aditu munitiore parte copiarum aliqua Comitem laceſſere, atq; diſtinere, Altera vero parte, unà cum exulibus Florentinis, in Tuſciam penetrare, quorum quidem exulum ratione ſummè ſolliciti anxiique hærebant: tertia qua porro via, Comes in agrum Patavinum tutus commigrare, ibique ſuas, Venetorum copiis, conjungere poſſet. Atque harum ambiguitatum quidem media, quæ Florentinos nimirum ſpectabat, omnium difficilior videbatur: nihilominus illi, Venetorum neceſsitate perpenſa, qui quidem Comitis adventū perq; importune indies urgebant, atq; absq; illo ſeſe deſeri conquerebantur, alienā neceſsitatē propriis periculis præpoſuerūt. Itineris tamē ratio adhuc dubia erat, hujus igitur ſecuritati à Venetis pro piciēdū decrevere.

Uſi fuerant Florentini, ad has res cum Comite tractādas Nerio Ginio Caponio, viſum igitur ipſis, eundem non inopportune Venetias usq; excurrere, eaq;

ratione,tam Reipub.officium iſtud acceptum magis reddere, quam porro de itineris ſecuritate, Comitis bono,deliberare poſſe. A Ceſenatibus igitur ſolvens Nerius navigio Venetias delatus, tanto cum honore exceptus habituſque à Repub. fuit ut nullum unquam Principem, tam ſplendide exceptum conſtet, ſiquidem ab ipſius adventu iiſque per ipſum deliberanda conſtituendaque erant, omnem ſui Imperii ſalutem pendere arbitrarentur. Introductus ergo Nerius ad Senatum,hunc ad modum exorſus eſt.

Fuit Respub.mea,Sereniſsime Princeps,in eaſemper opinione, potentiâ Ducis,ruinam veſtræ pariterque ipſorum Reipub.eſſe, adeoque ſalutem utriusque noſtrum, ex potentia utriusque Reip. pendere: quod ſi igitur eadem vobis perſuaſa fuiſſent,equidem meliore in loco res noſtræ verſarentur, voſque tuti ab iis periculis viveretis, quibus modo ſtatum veſtrum periclitari contigit. Poſtquam vero eo, quo debueratis tempore, neque auxilia nobis ſubmiſiſtis, neque fidem verbis noſtris habuiſtis, equidem neque nos,ad auxilia vobis ſuppeditanda paratiores, neque vos ad petenda,firmiores eſſe potuiſtis, utpote quos neque ſecundis,neque adverſis rebus, exploratos habuiſtis, neque adeo noveratis, nos eum ad modum comparatos eſſe, ut tam amore,quam odio, erga ea, quæ vel amanda,vel averſanda ſumſimus, perpetuo feramur. Atque de amore quidem,quo Sereniſsimam hanc Remp.proſecuti ſumus,vobis ipſis ſuperque liquet,ut pote quibus copias noſtras quo vobis ſuppetias ferremus,in media Longobardia, hoſtium ſummo cum detrimento,conſpicere licuit: Odium vero, quo Philippum proſequimur,& quo ipſum omnemque ipſius familiam perpetuo proſequemur, univerſo orbi conſtat: *neq; fieri poſsitut, inveterata ſeu amicitia ſeu odium novis vel officiis vel injuriis facile obliteretur.* Neque equidem ſumus neſcii, in poteſtate noſtra fuiſſe,neutris partibus præſenti in bello,idque magna apud Ducem cum gratia, exiguoque noſtro periculo, nos addicere: nam licet cum veſtro exitio ipſum

Longobardiæ

Longobardiæ univerſæ imperare contigiſſet, nihilominus in reliqua Italiæ parte, tanta nobis reſiduæ manebant momenta, ut de ſalute noſtra quod metueremus, nihil propemodum occurreret: ſiquidem cum potentiæ incremento, etiam inimicitias & invidiam accreſcere conſentaneum eſt, unde porro bella cladesque promanare ſolent. Neque præterea ignoramus, quantis ſumptibus, quantis periculis nobis carere licuerit, ſi ab hoc bello abſtinere nobis viſum fuiſſet, bellumque hoc Longobardicum, ſi nos moveamus, facile in Tuſciam transferri poſſe. Verũ omnes iſtiusmodi conſiderationes, cum antiqua noſtra neceſsitudine collata, protinus evanuere, eamq; ob rem decrevimus, pari ſtudio atque viribus, Reipub. veſtræ adeſſe, quo noſtram ditionem, ſi eam invadi contingeret, defenſuri eſſemus. Poſtquam igitur Dominis meis viſum ſit, poſthabitis rebus omnibus, Veronam Breſciamque erigere, id vero absque Comite Franciſco fieri neutiquam poſsit, eam ob rem, per me apud ipſum ſedulo egerunt, quo ad bellum omni in loco gerendum, ſeſe obſtringi pateretur, quem ad trajiciendum Padum nunquã adigi hactenus potuiſſe, ipſi ſatis meminiſtis. Atq; ego quidem iis, quibus quam optime potui, rationibus, cauſam hanc, tanquã propriam, penes ipſum agere adgreſſus ſum, eoque rem deduxi, ut poſtquam armis ſeſe vinci nunquam poſſe arbitretur, ita etiã humanitate ſeſe ſuperari noluerit, eamque liberalitatem, qua nos erga vos uſos eſſe cernit, ſuperare conetur (ſiquidem non ignorat, quanto in periculo ab ipſius diſceſſu Tuſcia conſtituatur) dumq; nos propriam ſalutem, periculis veſtris poſthabere, animadvertiſſet, etiam ſuas rationes negligere decreverit. Adſum ergo Sereniſsime Princeps, ut Comitem cum ſeptem cataphractorum, peditum vero duobus millibus, omni in loco, ad bellum gerendum paratum, vobis offeram atq; exhibeam. Unum tamen hoc, tam meo quam Reipub. meæ nomine, vos rogatos volo, ut quanto copiarum ſuarum numerus eum excedit, ad quem conducendum ex pacto tene-

batur, eò etiam liberalius eum habere, prudentiæ veſtræ cònvenire, arbitremini, ne tandem aut ipſe, ad ſtipendia veſtra conceſsiſſe, aut nos iſtius rei ipſi authores fuiſſe, utrique merito dolere queamus.

Fuere verba hæc Nerii, tanquam oracula ex *Tripode* petita, ſumma cum animi accentione excepta, quæ porro eousq; in animo Senatorum penetrarunt, ut ii non exſpectato Ducis ſui reſponſo, in pedes erecti, junctis manibus, fuſisque lachrymis, Florentinis tam pii officii, ipſique præterea Nerio diligentiæ celeritatisque ratione, infinitas gratias agerent, præterea pollicerentur, nullo unquam tempore, ingentis iſtius beneficii memoriam, non modo penes ipſos, ſed etiam apud poſteros intermorituram, patriamque iſtam in perpetuum Florentinis Venetisq; communem fore.

Profuſis eum ad modum animis, de via, cui Comes inſiſtere tuto poſſet, agi cœptum, quo nimirum de pontibus, complanandis viis, aliisque id genus munimentis, mature conſtitueretur. Atque quatuor quidem viæ iſthac ducebant, una Ravenna juxta mare pergebat, verum quod ob maris propinquitatem anguſtior eſſet, hæc repudiata fuit: altera via erat regia rectaque: at ea turre, quam Uscellinum vocant, quæque Duci parebat munita, omnique modo hæc expugnanda erat, ſi exercitus ea traducendus eſſet, quod tamen moram poſtulabat, eaque ratione occaſio ſuppetiarum quarum interim momentum omne in celeritate ſitum erat, facile elabi poſſet: tertia per ſylvam Lugianam veniebat, quod vero Padus id temporis excreviſſet, non modo ea via difficulter, ſed potius nulla ratione uſui erat. Supererat quarta per campos Bononienſes, quæ poſtea ad pontem Paledranum, inde Centonem, Pievemque: interque Finalenſes atque Bondenios, Ferrariam ducebat, unde poſtmodum partim terreſtri itinere, partim flumine, Patavium pertingi poterat. Atque hæc quidem via, licet ſuis quoque incommodis laboraret, atque non nullo in loco ab hoſte impediri poſſet, tanquam

quam minoris diſcriminis, electa fuit, quod quidem, poſtquam Comes compertum habuiſſet, incredibili celeritate iter arripuit, atque XX. Junii die in agrum Patavinum pervenit. *Comes Franciſcus Venetis ſubſidio advolat.*

Atque adventus quidem huius Ducis in Longobardiam, nō modo Venetos in optimam ſpem erexit, ſed etiam novos ipſi animos addidit, ut qui modo de ſua ſalute vix non deſperaſſent, jam de novis victoriis agere inciperent. Primum omnium Comes Veronam ſublevare adgreſſus eſt, cui rei antevertendæ, Nicolaus cum exercitu arcem Soavenſem, inter Vincentinos & Veronenſes ſitam, petiit, foſſaque ad Paludes uſque quas Atheſis efficiebat, ducta, exercitum cinxit. Comes impeditam ſibi per planiciē viam animadvertens, montes petere, perque eos Veronam deſcendere conſtituit, perſuaſus, aut Nicolaum nunquam ea de via, tanquam aſperrima atq; alpeſtre, cogitaturum, aut ſi id ſuſpicaretur, non ſatis mature tamen contraire poſſe. Octidui igitur commeatu imperato, montes cum copiis ſuperavit, atque in planiciem, infra Soavenſes, penetravit, licet Nicolaus, propugnaculis quibusdam ſubitariis, etiam hac via Comitem arcere, ſed fruſtra, conatus fuiſſet.

Cum ergo Nicolaus hoſtem, præter omnem ſuam ſpem, trajeciſſe animadverteret, ne porro, viribus impar, cum eo pugnare neceſſe haberet, ultra Atheſin ſeſe recepit, Comitique viam ad Veronenſes liberam ceſsit. Prima hac victoria, facili ratione adepta, Veronaque liberata, Breſciani Comiti erigendi ſupererant. Sita eſt Breſcia ad Lacum Benacum, propinquum adeo, ut licet ea undique obſidione terreſtri cingatur, nihilominus ex altera parte, qua lacum contingit, annona commode in eam inferri poſsit. Eam ob rem Dux lacum ipſum muniverat, atque ſub belli initium, omnia ea loca, occupaverat, quæ Breſcianis auxilio eſſe potuiſſent. Veneti etiam ipſi aliquot triremibus lacum navigabant, verum, ad manus cum hoſte conſerendas, impares erant. *Verona à Comite liberata.*

Comiti

Comiti eam ob rem longe neceſſarium viſum, copiis ſuis claſsi Venetę adminiculo ſuccedere, qua quidem via ſperabat, non adeo difficulter municipia illa, quæ Breſcianos fame enecabant recuperari poſſe. Obſeſſum ergo mox ab ipſo Bandolinum, caſtrum ad ripam lacus ſitũ, quod nimirum ſperaret, eo obtento, reliqua deditione facile ad ipſum perventura. Habuit tamen fortunam hac in parte minus propitiam, quod nimirum major militum ſuorum pars morbis implicaretur, eamq; ob rem, neglecta Bandolini expugnatione, copiæ ad Zemum Veronenſium caſtrũ, utpote locum abundantem ac ſalubrem, ipſi recipiendæ eſſent.

Claſsis Venetorũ profligata.

Cum igitur Nicolaus Comitem receſsiſſe animadverteret, ne porro occaſioni deeſſet, quâ ſibi videbatur lacum à ſe occupari poſſe, relicto reliquo exercitu ſuo ad Vegaſeum, milite ſelectiore tanto cum impetu atque virtute in claſſem Venetorum invectus eſt, ut eam ferè omnem in poteſtatem ſuam redigeret, à qua deinceps victoria, haud multa caſtra in Nicolai manus non devenere.

Veneti hac clade perculſi, deque Breſcia jam ſolliciti, apud Comitem, tam literis quam nuntiis crebetrimis, ne urbem illam deſtitueret, inſtabant: cum vero Comes animadverteret, ex parte, qua lacus urbem alluit, omnem ipſi ſpem ad eam liberandam præciſam eſſe, per planitiem vero id multo minus, ob aggeres, propugnacula, foſſaque à Nicolao ductas, ipſi id licere, ut ea propter cum exercitu pergere cupienti, in manifeſtum exitium ruendum eſſet, eam ob rem viſum ipſi fuit, eadem montium via, qua ad Veronenſes liberandos uſus fuiſſet, etiam ad opem Breſcianis ferendam, ſibi utendum fore. Re itaque conſtituta, omiſſo Zemo, per Vallem Acrinam, lacum, quem S. Andreæ vocant, petiit, inde per Torbolinos atq; Penadenſes ad lacum Benacum, porro ad Tennam profectus, arcem eam obſidione cinxit, utpote quæ Breſciam perrecturo omnino occupanda eſſet.

Nicolaus, ſubodorato Comitis animo, Peſchieram cum

cum exercitu advolavit, poſtea cũ Marchionis Mantuani copiis, quibus milites ſuos ſelectiores miſcuerat, Comiti obviam profectus, manusque conferens, Nicolaus victus, atq; ipſius copiæ in fugiam actæ fuere, quarum pars in poteſtatem hoſtis devenit, pars ad exercitum, pars ad claſſem ſibi fuga conſuluit. Nicolaus Tennam ſe ſubduxerat, facileque animadverterat, ſi alterum ibi diem exſpectaret, ſe hoſtis manus evadere neutiquam poſſe, conſtituit ergo, præſentiſſimum periculũ evaderet, ambiguo ſeſe potius committere. *Picininus profligatur.*

Super erat apud Nicolaum, ex toto ſervorum ſuorum agmine, unicus, isque Germanus, tam robore corporis, quam fide erga Dominum ſuum, ipſi commendatiſsimus. Hunc Nicolaus adgreſſus, non ægre perſuaſit, ut ſeſe ſacco reconditum, humerisq; impoſitum, tanquam alia geſtaret, in tuto conſtitueret. Erat quidem caſtrum undiq; ab hoſte, cinctum, verum ob victoriam illi absque excubiis, nulloque ordine degebant, qua quidem ratione, haud difficile Germano fuit, herum ſuum in tutum deferre, nocte ſiquidem concubia, calonem mentitus, absque impedimento ullo, caſtra hoſtium, una cum hero humeris impoſito penetravit, ipſumque militibus ſuis ſalvum reſtituit. Quod ſi ergo ea victoria pari felicitate, qua parta erat, ad exitum deducta fuiſſet, habuiſſent ſane Breſciani, una cum Venetis, quod ſibi gratularentur, verum quod ipſi ea male uſi fuerint, inde porro factũ eſt, ut tam gaudium, ex victoria, ipſis minus diuturnum, quam Breſciani iisdem anguſtiis expoſiti manſerint. *Aſtu ſaluti conſulit.*

Poſteaquam etenim Nicolaus ad copias ſuas reverſus fuiſſet, quamprimum cogitare cœpit, quanam ratione cladem illam, inſigni aliqua victoria, oblitteraret, atque Venetis occaſionem Breſcianorum liberandorum eriperet. Cum ergo optime ſitum caſtri Veronenſis perſpectum haberet, ab iis porro, quos eo in bello cœperat, commodum intellexiſſet, tam illud negligenter cuſtodiri, quam multa facilitate occupari

poſſe?

poſſe. Viſum ipſi fuit occaſionem ſibi fortuito, oblatam, qua authoritatem ſuam propediem recuperaret, unaque efficeret, quo lætitia hoſti, ob recentem victoriam, exorta, ob recentiorem cladem cum luctu commutaretur.

Veronæ ſitus. Sita eſt Verona in Longobardia, ad radicem montium iſtorum, qui Germaniam ab Italia dividunt, idque ea ratione, ut ea partem aliquam montium, partem etiam planiciei complectatur. Porro Athefis fluvius, ex Valle Tridentina Italiam petens, non rectâ per planitiem diſtenditur, verum ad lævam deflectendo, juxtaque montes labendo, urbem illam obviam habet, eamque mediam, licet non æquali utrinque latitudine, ſecat, ſiquidem major urbis pars per planiciem porrigitur, minor vero monti inſidet, duasque ea ex parte arces habet, quarum altera S. Petri, S. Felicis altera nomen meruit, atque potius ſitus, quam munimenti ratione, minitæ videntur, atque in editiore loco collocatæ, univerſæ urbi jugum imponunt. Ultra Atheſin, inque ea urbis parte, quæ pēr planiciem extenditur, duæ præterea arces, mille invicem paſſus diſtant, murosque urbis contingunt, quarum altera vetus, novum caſtrum altera nuncupatur, protenditurque ex parte caſtrorum interiore, ab uno eorum caſtrorum ad murum uſque exteriorem, murus contiguus, ad formam arcus ſinuatus, eum plane ad modum, quo in civitatibus, ab uno caſtro ad aliud ii duci conſueverunt: Omne igitur ſpacium quod utrumque iſtum murum interjacet, habitatoribus refertum eſt, Vicusque Sancti Zenonis appellatur.

Atq; has quidem arces Vicumque Nicolaus ſibi occupandum ſumſit, tam negligentia cuſtodum ſolita fretus, quam quod eam recenti iſta victoria magis ſupinam ſperaret, prætereaque ſciret, *nullos in bello conatus tam facile eſſe, quam quos perficere te poſſe, hoſti quam minime credatur.*

Nocte

Nocte igitur concubia, aſſumpto Marchione Mantuano, militeque quovis ſelectiore, Veronam ſucceſſit, atque à nemine animadverſus, muros conſcendens, caſtrum novum occupavit, inde in urbem erumpens, portam S. Andreæ effregit, omnique militiæ ſuæ urbem aperuit. Atq; illi quidem, qui pro Venetis caſtrum vetus cuſtodiebant, cum tam voces excubitorum qui in noſtro caſtro jugulabantur, quam portam urbis effringi percepiſſent, hoſtemque in propinquo eſſe animadvertiſſent, ſublato clamore arma populumque poſcere cœperunt, qua re excitati quidam civium, quibusque plus animi erat, armati ad forum, quod rectorum vocatur, confluxere.

Piccininus Veronam furtim occupat.

Interea temporis Nicolai milites Vicum Sancti Zenonis deprædati, atque ultra progreſsi erant: ergo cives Ducis copias agnoſcentes, neque defendendæ urbis rationem inveſtigantes, procuratores Venetorum hortari cœperunt ut ſaluti ſuæ proſpicerent, ſeque in caſtra reciperent, plus nimirum in ipſis ſitum eſſe, ſi ſalvi ſint, atque cedendo urbem, alioquin locupletiſsimam, meliorem fortunam præſtolari concedant, quam occumbendo, eam in extremam perniciem præcipitent, adeo ut tandem procuratores, prætereaque omnes, qui Venetum nomen ſapiebant, ſeſe in caſtrum Sancti Felicis reciperent.

Poſt hæc primorum civium alii, Nicolao atq; Marchioni obviam facti, obſecrare cœperunt, ut eam urbem opulentam, cum laude, quam ſpoliatam cum ignominia habere mallent, præſertim quod neque apud priſtinos dominos aliquid premii, neque fortaſsis apud hoſtes quidquam odii, defenſionis ſuæ ratione promeruiſſent. Atque fuere à Nicolao & Marchione humaniter erecti, quantumque per militarem licentiam fieri poterat, ab injuria immunes.

Poſtquam vero illi minime dubitarent, Comitem recuperatum urbem confeſtim properaturum, eam

ob rem

ob rem, omni cura atque ſollicitudine egerunt, quo reliquis præterea caſtris potirentur, quæ vero obtinere non poterant, ea foſsis aggeribusque ab urbe ſeparunt, ne hoſti in eam irrumpendæ, per ea aditus pateret. Pervenerat rumor iſtius ſucceſſus ad Comitẽ Franciſcum, dum adhuc ad Tennam hæreret, quem quidem falſum eſſe, ab initio arbitratus fuerat, poſtquá vero de rei veritate jam certo edoctus eſſet, conſtituit ſumma celeritate, priſtinam negligentiam corrigere.

Licet vero omnes militiæ ſuæ duces ipſum hortarentur, ut neglectis Veronenſibus atque Breſcianis, Vincentiá peteret, ne eo loci diutius dum hærerent, ab hoſte obſiderentur, obtemperare tamen eorũ conſiliis minime voluit, ſed fortunæ aleam experiri potius conſtituit, converſusque, dum adhuc omnium animi fluctuarent, ad procuratores Venetorũ, Bernhardettumq; Mediceum, qui Florentinorum nominẽ ipſum conſequebatur, certam urbis recuperationem ipſis pollicitus fuit, modo unum caſtrorum adventum ipſius exſpectaret. In ordinem igitur compoſito exercitu, ſumma cum celeritate Veronam properare cœpit. Atque conſpectus quidem à Nicolao; Vincentiam ab eo peti judicabatur, poſtquam verò ad urbem, verſusque caſtrum S. Felicis eum deflectere animadvertiſſet, ad defenſionem ſeſe comparare quidem volebat. Verum id fruſtra, neq; etenim ſepta hactenus perfecta fuerant, tum milites præda illecti, hinc inde diſperſi vagabantur, ut eorum cogendorũ, quo Comiti obviam iret, jam via nulla supereſſet.

Eam Comes ſumma celeritate recuperat.

Comes igitur, per caſtrum S. Felicis, abſque impedimento, in urbem erumpens, eam maxima cum Nicolai ignominia, copiarumque ipſius ſtrage, feliciter recuperavit: Nicolaus vero una cum Marchione in caſtrum ſeſe ſubduxit, tandemque fuga Mantua ſe recepit, ibique collecto reliquo milite, copias, quæ Breſciam obſidebant, repetiit: Verona igitur intra quatriduum, ob exercitu Ducis, tam occupata quam iterum amiſſa fuit. Ab ea victoria, poſtquam hyems

ob

ob frigus militi gravis eſſet, Breſcianisque licet non abſque ſummo labore, annona jam ſubvecta fuiſſet, Comes ad hyberna Veronam conceſsit, curavitque, ut apud Torbolinos, hyberno tempore, triremes aliquot pararentur, quo ineunte vere, tam terreſtribus copiis, quam navibus firmato, Breſcianis opem ferre liceret.

Poſtquam igitur Dux bellum non modo trahi, verum etiam ſpem occupandæ Veronæ atque Breſciæ ſibi eripi, ejusque rei cauſam, à Florentinorum conſiliis atque ſubſidiis, oriri animadverteret, neque hos vel injuriis, à Venetorum amicitia avelli, vel pollicitationibus ampliſsimis, in ſuas partes pellici poſſe, decrevit tandem, quo etiam ipſi ſuæ ſementis aliquem fructum perciperent, Tuſciam invadendam eſſe: quam ad rem, tam exules Florentini, quam Nicolaus eum ſedulo exhortabantur.

Atque hunc quidem movebat cupiditas, qua Braccii ditionem occupare, Comitemque Piceno exuere ardebat, Illos deſiderium recuperandæ patriæ ferebat, utrique porro Ducem, rationibus opportunis, in ſuam ſententiam pertraxerant. Nicolaus ſiquidem ipſum perſuaſerat, poſſe non modo Tuſciam invadi, ſed etiam pariter Breſciam obſideri, quod nimirum Lacus in ipſius poteſtate, eaque quæ ibi occupaſſet loca, optime munita eſſent, neque interim eum belli ducibus deſtitui, quos Comiti, aliud quiddam turbare conanti, (quod tamen non liberata Breſcia, quam interim liberare omnino nequeat, eum facturum, minime conſentaneum ſit) opponere commodè poſsit, adeo ut uno eodemque tempore, tam Tuſciam opprimere, quam Breſciam obſidione urgere queat. Florentinos porro neceſsitate ipſa adigi, quam primum bellum in Tuſciam converſum animadverterint, aut Comitem revocare, aut ſi id malint, perire: utrumque vero horum victoriam manifeſto parturire.

Exules ex altera parte demonſtrabant, fieri non poſſe, ſi Nicolaum ad urbem cum exercitu ſuccedere

contingat, quin populus Florentinus, tot exactionibus exhauſtus, potentiamque nobilium exoſus, arma in ipſos corripiat: ſuccedere vero ad urbem perquam facile eſſe, viamque per Caſentinates, ob amicitiam nimirum, quæ Reinaldo cum Comite Caſentini intercederet, ipſis apertam.

Dux in Tuſciam Nicolaum vocat.

Ergo Dux alioquin ab ea expeditione non alienus, horum perſuaſionibus confirmatus, eam amplecti conſtituit. Veneti contra, neglecta hyemis injuria, Comitem ad liberandos univerſo cum exercitu Breſcianos indies urgebant, quod quidem id temporis fieri poſſe, Comes conſtanter negabat, ver potius exſpectandum, atque interea claſſem inſtaurandam, inde tam terreſtri quam navali exercitu eam liberandam eſſe. Quam quidem ob rem, Veneti male ſatisfacti agebant, tardioresque ad omnia ſuppeditanda erant, adeo ut inde milites non pauci, exercitum ipſorum, indies desererent. Atque hæc quidem à Florentinis perſpecta, non mediocri ſollicitudine ipſos tenebant, tam quod bellum in ſe cudi, quam nihil in Longobardiam profici animadverterent. Neque minore porro cura ob Pontificis copias agebantur, non quidem quod inimico Pontifice uterentur, ſed quod ejus copias Patriarchæ, hoſti ipſorum infeſtiſsimo, plus quam Pontifici ipſi parere cognitum haberent.

Patriarchæ Alexandrini evecti.

Fuit Joannes Vitelleſchius Cornetanus, ab initio notarius Apoſtolicus, poſtmodũ Recatanenſiũ Epiſcopus, inde Patriarcha Alexandrinus, tandẽ Cardinalitia dignitate auctus Cardinalis Florẽtinus, audiebat. Igitur tã animo, quã aſtutia pollens, facile adeptus erat, ut à Pontifice deligeretur, atq; copiis Põtificiis præponeretur, adeo ut omnium eorum, quæ à Pontifice, tam in Tuſcia, quam in Flaminia, Regno Neapolitano, Romaque ipſa gererentur, hoc duce adminiſtrari conſpiceretur, quo quidem factum eſt, ut tandem eô auctoritatis excreſceret, ut nec Pontifici jam liberum eſſet ipſi imperare, nec copiæ ipſius alium, præter ipſum, ducem ferre poſſent.

Maxima ejus authoritas.

Cum

Cum igitur Cardinalis iſte, unà cum copiis, Romæ eo tempore hæreret, quo fama de Nicolai copiis, Tuſciam invaſuris, increbuerat, inde ſane Florentinis non parum ſollicitudinis metuſque acceſsit, quod nimirum poſt Reinaldum pulſum, Cardinalem ſemper inimicum experti eſſent, idque eam ob cauſam, quod Florentini pactis, in quæ ſub ejus auſpiciis conventum fuerat, non modo non ſtetiſſent, ſed magna cum injuria Reinaldi ea violaſſent, quem tamen ipſe, ad deponenda arma, adeoq; præbendum injuriis locum, fide Florentinorum deceptus, adduxiſſet: videbatur ergo Florentinorum quamplurimis jam tempus adeſſe, quo Reinaldus à clade priſtina reſurgere, atq; ſi cum Nicolao ſeſe conjungeret, reſtaurari poſſet, eôque proniores in has ſuſpiciones curasque erant, quod Longobardiam eo tempore à Nicolao deſeri, præter omnem rationem arbitrarentur, neque facile ab ipſo ſperari poſſe, ut rem penè confectam deſerat, quo omnino dubiam amplectatur, niſi occultis conſiliis atq; fraudibus innitatur. Atque hujus quidem ſuſpicionis Pontificem monuerant, qui eo tempore errorem ſuum, quo nimia authoritate alium armaſſet, jam agnoſcere cœperat. Verum dum Florentini tot anguſtiis circumcluderentur, fortuna ipſis viam aperuit, qua à Patriarcha commodum liberarentur.

Alebat Respub. illa ſagaciſsimos exploratores, eosque omnibus in locis conſtitutos, in eos potiſsimum, qui literas ferre conſueverant, vigilare juſſerat, quo nimirum, ſi contra Rempub. ſuam moliri contingeret, id ea ratione venarentur. Accidit ergo, ut ad Montē Pulcianum literæ, Nicolao Piccinino à Patriarcha, abſque Pontificis conſenſu, ſcriptæ, interciperentur, quas illi, qui bello præerant, ſubito, ad Pontificē detulerunt. Licet vero hæ, inſolito charactere exaratæ, ſenſusque earum adeo implicatus eſſet, ut verum inde elici, nullo pacto potuerit, fecit tamen eadem obſcuritas, tum ea cum hoſte familiaritas ut Pontifex metu penè exanimatus, ſibi maturè,

ab homine cavendum cenſeret, eamque curam Antonio Ridio Patavino, arcis Romanæ præfecto, committeret, qui quidem ad ea paratiſsimus, occaſionem ſaltem rei gerendæ, venabatur.

Decretum jam fuerat Patriarchæ, in Tuſciam deſcendere, atque poſtridie Româ ſolvere, injunxit ergo Ridio, ut craſtino diluculo, ad pontem ipſum expectaret, habere nimirum ſe, quæ tranſeundo ipſi committenda ſint. Occaſionem igitur Ridius oblatam ratus, qua Pontifici ſatisfaceret, ea quæ agenda eſſent ſtudioſe apud ſuos diſpoſuit, temporeque conſtituto Patriarcham, in ponte arcis verſatili, exſpectans, eum comiter excepit, atque ſermone aliquantulum protracto, eos, qui ipſum ſedulo obſervabant, ponte ſubito adducendo, ſigno ad id conſtituto monuit, quo quidem facto Patriarcha, ex ſupremo exercitus duce, unius momenti ſpatio, in captivum caſtellani abiit. Conabantur quidem ſtipatores ipſius, re conſpecta turbare, verum de Pontificis voluntate edocti, quievere. Laborabat non paucis Caſtellanus ut virum humanitate ſua erigeret, atque bene ſperare juberet, verum hoc reſponſi tulit. *Non conſuetum eſſe ut viri præſtantes capiantur, quo iterum eos dimittamus, nec eos qui capi non meruiſſent, iterum dimitti ſolere*, à quo augurio non diu ſuperſtes, in carcere periit. Ipſiusque copiæ, Patriarchæ Aquilegiano, commiſſæ fuere.

Eiusdem ſubita ruina.

Et mors.

Pontifex vero, qui hactenus nunquam fœderatorum Ducisque bello immiſceri ſeſe paſſus fuerat, hinc cum illis convenire cœpit, atque Tuſciæ defendendæ, quatuor millibus cataphractorum, peditumque duobus millibus, intereſſe voluit.

Hac primum cura explicati Florentini, metus porro à Nicolao eos urgebat, præſertim quod res Longobardiæ, ob diſſenſiones inter Venetos atque Comitem, plane in incerto eſſent, quo igitur utrorumque mentem penitius cognoſcerent, ideo Nerium Ginium iterum, unaque cum ipſo Julianum Avanzium, ad Venetos ablegavere, tam quo de belli ſerie in annum

num proximum deliberarent, quam perſpecta Venetorum mente, Ginius ad Comitem profectus, etiam ipſius animum exploraret, eumque ad ea, quæ communi bono profutura judicaſſet, hortaretur.

Atque legati iſti, nondum Ferrariam attigerant, cum fama edocerentur, Nicolaum cum exercitu ſex mille cataphractorum jam Padum trajeciſſe, quod quidem ipſos iter maturare fecit: Venetias eam ob rem delati, comperere Senatorum animos hactenus de Breſcia liberanda, neque vel vernum tempus vel claſſem exſpectandam, omnes convenire, quod ea nimirum ſubſidio deſtituta, inimico ceſſura, eaque Ducis victoria, omne ipſis imperium in Italo ſolo excuſſurum ſit. Eam ob rem Ginius ad Comitem proficiſcendum, ejusque rationes cognoſcendas ſibi eſſe duxit: atque ille quidem ſatis evidenter demonſtrabat, eo tempore Breſcianis ſubvenire velle, non ſolum tum inutile, ſed etiam futuræ expeditioni damnoſum eſſe, ſiquidem conſiderato Breſciæ ſitu, nihil hactenus ſeſe offerat, quod ex uſu eſſe poſsit, neque aliud ab iſtiusmodi expeditione exſpectandum, quã militem ſuum qua dilabi, qua fruſtra viribus exhauriri, adeo ut vere poſtmodum, aptoque ad res gerendas tempore, ſubeunte, ſibi cum exercitu Veronam repedandum, eaque reſtauranda ſint, quæ futuræ expeditioni comparata, præteritus hyems jam abſumſiſſet, ut tandem omne tempus militiæ aptum, eundo atque redeundo fruſtra terendum fuerit.

Iverant unà cum Ginio Veronam, publicò nomine, Orſattus Juſtinianus atque Joannes Piſanus, quo ea de re cum Comite ſimul agerent: horum interventu tandem, poſt multas ambages, decretum fuit, ut Veneti in annum futurum Comite LXXX.M. Hungaricorum, militi vero cuique XL Hungaricos numerari curarent, atque Comes teneretur, univerſum exercitum producere, Ducisque ditionem invadere, quo nimirum is, de ſuis periclitaturus Nicolaum in Longobardiam revocare adigeretur: Inde Venetiam legati regreſsi ſunt.

Veneti porro, quod ingens illa pecuniæ ſumma erroganda ipſos morderet, lente ad omnia concurrebant. Nicolaus interea profectioni cœptæ inſiſtens, jam Flaminiam attigerat, cumque Pandolfi Malateſtæ filiis egerat ut relictis Venetis, Ducis partes ſequi mallent, quæ quidem res non modo Venetis, ſed magis Florentinis ſummopere diſplicebat, ſiquidem horum opera Nicolao ſe reſiſtere poſſe ſperaverant, poſt quam vero eos defeciſſe intellexiſſent, non modo eorum nomine percellebantur, verum etiam, non præter rationem, metuebant, ne Petrus Joannes Paulus Urſinus, quem copiis ſuis præfecerant, quique eo tempore in Malateſtorum ditione hærebat, una cum copiis circumveniretur atque ſpoliaretur.

Eadem res Comitem non minus animo dejecit, quod nimirum Piceno ſuo metueret, ſi Nicolaus in Tuſciam penetraret, eam ob rem, ditioni ſuæ ſubveniendum ratus, Venetias ſeſe contulit, ibique ad Ducem intromiſsus, profectionem ſuam in Tuſciam, ex fœderatorum commodo fore perſuadere adgreſſus eſt, ibi enim bellum gerendum, ubi exercitus Duxque inimicus, non eo in loco, ubi caſtra atque ſtationes eſſent, devicto ſiquidem exercitu, etiam bellum depugnatum eſſe, at expugnatis caſtris, ſalvo ſtante exercitu, non raro obtigiſſe, bellum longe periculoſius inſtaurari: certo igitur ſibi perſuaſum habeant, de univerſa Tuſcia Picenoque actum, niſi omni robore Nicolao obſiſtatur, iis porro provinciis amiſſis, nihil ſpei Longobardiæ deinceps ſupereſſe, licet etiam adhuc ſpes ſit, non tamen ſibi integrum eſſe, ſubditos atque amicos ſuos negligere: veniſſe nimirum ſe in Longobardiam Principem, nolle ſtipendiarium ducem inde reverti.

Ad ea à Duce reſponſum: manifeſto omnibus conſtare, ſi Comes non modo Longobardiam relinquat, verum etiam Padum trajiciat, tum de omni ipſorum ditione jam conclamatum eſſe, neque eo caſu ſe vel minimum, pro ipſo defendendo, deinceps facturos,

ɛturos, ſiquidē *ſapientis non ſit, ea defendenda conari, quæ* "
omnino amittere neceſſū ſit, minoreque cū ignominia damno- "
que ditione ſolā quā ditionē, unà cum pecunia amitti. Porro "
tū demū cū ipſi ditionibus ſuis exciderint, animadverſum fore, quantum Venetorū authoritas, Tuſciæ atq; Flaminiæ rebus hactenus conduxerit. Eam ob rem ſe plane contrariæ opinionis eſſe, certoque perſuaſum habere, eum qui in Longobardia vicerit, jam omni in loco depugnaſſe, vincere vero facillimum eſſe, poſtquam Ducis provinciæ, ob Nicolai abitum, omni injuriæ adeo expoſitæ ſint, ut eæ plane occupari poſsint, antequam Dux vel ipſum revocare, vel alia ratione rebus ſuis proſpicere queat. Atque ſi cui libeat rem penitius putare, eum facile animadverſurum, Nicolaum non aliam ob rem à Duce in Tuſciam avocatum, quam ut Comes res in Longobardia negligat, eaque ratione bellum è Ducis provinciis aliorſum transferatur: adeo ut ſi Comes antequam evidenti aliqua ratione adigatur, Nicolaum omnino ſequi conſtituerit, eum hac ratione Ducis artibus ultro ſatisfacturum, atque omnino ipſi gratum facturum: quod ſi vero exercitum in Longobardia retineant, rebusque Tuſciæ, quam optime id fieri poſsit, alia via proſpiciant, ea proculdubio ratione Ducem propediem, magno ſuo malo, temporeque alieno, quam peſsime ſibi ipſi conſuluêrit, experturum, poſtquam nimirum tam in Longobardia, quod omnino neceſſum ſit, ſuccumbuerit, quam in Tuſcia nihil profecerit.

Re diu multumque diſputata concluſum tandem fuit, aliquot ſaltem dies expectandos, Primoque quo Malateſtorū defectio abitura ſit, deinde Petri Joannis Pauli Urſini ſucceſſum, tandem Pontificisq; animum fidemque erga fœderatos, opperienda, indeque conſilia capienda eſſe.

His eum admodum deliberatis, paucis inde diebus Florentini comperere, Malateſtos metu potius, quā maligno animo, cum Nicolao pepigiſſe, Tum Urſinum cū copiis ſuis ſalvum verſus Tuſciam moviſſe,

Pontificem præterea, majore quam antea, benevolentia fœderatos complecti, quæ quidem ſic conſtituta Comitis animum revocavere, ut in Longobardia ſubſiſteret, Ginius vero cum mille cataphractis à Comite, quingentis porro aliis Florentiam rediret, quod ſi vero, contra opinionem, res in Tuſcia ſiniſtre ſuccederent, Comitisque eæ præſentiam poſtularent, ut tum Comiti vocato, poſtpoſitis omnibus, eò pergere liberum eſſet. Ginius ergo menſe Aprili cum turmis ſuis Florentiam attigit, eademque unâ die Urſinus cum ſuis.

Interea Piccininus, rebus in Flaminia conſtitutis, in Tuſciam deſcendere, atque per Alpes S. Benedicti, vallemque Montonis, iter inſtituere parabat, verum loca ea, à Nicolao Piſano, infeſſa atq; munita adeo compererat, ut omnem ſuum conatum, ea ex parte vanum fore judicaret. Florentini porro, ad tam ſubitariam impreſsionem minus parati, atque adeo tam milite quam ducibus deſtituti, cives quosdam, cum peditibus tumultuariè ſcriptis, ad aditus iſtos propugnandos amandaverant, Bartholomeo vero Orlandinio equiti, caſtrum Marradium, unà cum aditu earum, quæ propinquæ erant, Alpium commiſerant. Nicolaus ergo Piccininus, ob virtutem illius, qui aditum S. Benedicti tuebatur, eà pergere velle ambiguum ratus, illum potius ad Marradium, ob puſillanimitatem præfecti occupari poſſe conſtituit.

Marradium amiſſu. Situm eſt Marradium ad radices Alpium, quæ Tuſciam à Flaminia ſejungunt, ab eaque parte, quæ Flaminiam ſpectat, atque initium vallis Miſeniæ conſtituit, muris deſtitutum eſt, quæ tamen à flumine, montibus, ac incolis ſatis protegitur, incolæ ſiquidem & ſtrenui ſunt, & fidi, fluvii porro fundus tot verticibus ſcatet, ut eà, qua vallis porrigitur, in caſtrum penetrari non poſsit, modo ponticulus ille, qui fluvio inſtratus eſt, defendatur, ea denique facies, quæ montes reſpicit, ob Alpium aſperitatem omnium tutiſſima eſt: puſillanimitas tamen Bartholomei, tam

incolis quam caſtro ignominiæ & nocumento fuit, ſiquidem is, vix audito armorum hoſtilium ſtrepitu, poſt ſe relictis omnibus, una cum militibus ſuis, fugam arripuit, neque prius fugere deſtitit, quam Vicum uſque S. Laurentii perveniſſet.

Nicolaus deſerto Caſtro exceptus, tam mirari, quod non defenderetur, quam ſibi de eo adepto gratulari cœpit, inde in Mugellianum deſcendens, aliquot arces occupavit, propeque Pulicianum cum exercitu ſubſtitit, quo quidem ex loco omnem provinciam, ad montes uſque Feſulanos, infeſtare cœpit, tandemq; eô audaciæ excrevit, ut trajecto Arno, ad tertium uſque miliare prope Florentiam ſuccederet, atque obvia quæque depopularetur. Eo tamen ſucceſſu Florentini non admodum anxii, ante omnia firmandam eam, quæ tum erat Reipub. gubernationem, cenſuerunt, de qua tamen, quod ſummopere dubitarent, non erat, tam ob benevolentiam qua populus Coſmum univerſim proſequebatur, quâ quod omnis adminiſtratio penes paucos potentiores eſſet, qui ſua ſeveritate eos cohercebant, ſi qui vel queritari, vel movere inſtitiſſent. Non eos præterea latebat, quantis cum copiis Ginius ex Longobardia reverteretur, Pontificis etiam copias exſpectabant, tot ergo rationibus innixi, uſque ad Ginii reditum, ſatis ſecuri degebant: verum is reverſus, conſpecta civium negligentia timori mixta, prodeundum in hoſtē, Nicolaique excurſiones cohibendas ratus, pedite copioſiore ex civibus lecto, atque eo quem penes ſe habebat equite, in hoſtem profectus eſt, Remolumque quod hoſti ceſſerat, recepit, atque ibi caſtra metatus, tam Nicolai excurſiones cohibuit, quam cives in ſpem erexit, poſſe hoſtem inde tandem propelli.

Poſtquam igitur Nicolaus conſpexiſſet, Florentinos, quamvis milite deſtitutos, nihil turbaſſe, præterea cognoviſſet, quam ſecuri in urbe agerent, fruſtra ibi ſe diutius hærere ratus, ad alia tentanda animum adplicavit, quo nimirum Florentini provocati, copiis ſuis ipſum inſequerentur, atque ad prælio decernen- *Pompilij Comes à Florentinis deficit.*

dum occaſionem exhiberunt, quod ſi ipſum vincere contingeret, deinceps jam omnia ipſi proclivia fore. Sequebatur ipſius exercitũ Franciſcus Comes Pompilii, qui paulo antea (hoſte nimirum Mugellium occupante) à Florentinis defecerat.

Quamvis vero Florentini ea de re primum dubitarent, atque eo in officio continendo beneficiis ipſum adgreſsi, ſtipendiisq; auctis, univerſæ provinciæ ipſi contiguæ procuratorio nomine ipſum præfeciſſent, nihilominus, (tantum nimirum partium ſtudiũ apud homines poteſt) nullum, ſive beneficium, ſive periculum hominem ab amicitia Reinaldi, iisque qui antea Rempub. rexerant, avellere poterat, adeo ut quamprimum Nicolaus adventare intellexiſſet, ad eum ſe conferret, atque ab urbe ut diſcederet hortaretur, inque Caſentinum ſeſe conferret, unde ob loci ſitum munitiſsimum, hoſti plurimum damni inferri poſſet. Id igitur Nicolaus conſilii ſecutus, inque Caſentinum profectus, Romenam atque Bibienam cœpit, inde Caſtrum Sancti Nicolai obſidione cinxit.

Nicolaus Bibienam occupat.

Situm eſt hoc caſtrum ad radices Alpium, quæ Caſentinum à Valle Arni diſtinguunt, atque in loco editiore conſtitutum, ſufficienti tum præſidio defendebatur, adeo ut eius expugnatio difficilius ſuccederet, licet id Nicolaus tormentis crebro peteret, protracta eam ob rem eius caſtri oppugnatio, ad vigeſimũ jam diem, intereaq; à Florentinis copiæ collectæ fuerant, quarum numerus Petro Joanne Paulo Urſino duce, Gerioque Capone atque Bernardo Mediceo legatis, ſub variis præfectis trium cataphractorũ millium æquabat. Hos viri quatuor, ex Caſtello S. Nicolai ablegati, convenere, atque ſubſidia obſeſsis rogavere.

Examinato ergo caſtri ſitu, apparebat militiæ præfectis, auxilia obſeſsis nulla ex parte, quam via Alpiũ, quæ ex Vallo Arni ſurgit, obtingere, earũ porro ſummitatẽ ab hoſte prius, quam ipſi eò pertingerent, occupari poſſe, quod ea via hoſti propinquior eſſet, neque ipſi profectionẽ clam eo inſtituere poſsint, adeo ut ea

ut ea conaturi viderentur, quæ tam minus ſuccedere, quam exitium ſibiipſis parare poſsint. Laudata igitur horum fide, deditionem, ſi ultrà ſeſe defendere non poſſent, ipſis ſuaſerunt.

Occupavit ergo Nicolaus caſtrum illud, vigeſimo ſecundo ab eo, quo obſidere cœperat, die, quæ quidem mora, præſertim ob rem non adeo magni momenti, non minima pars ipſius cladis exſtitit: Quod ſi etenim, cum exercitu ſuo, circa urbem diutius ſubſtitiſſet, facile effeciſſet, ut illis qui Rempub administrabant, majore cum diſcrimine exactiones corradendæ eſſent, difficilius etiã miles cogeretur, omniaque alia, ob hoſtem vicinum, non ea facilitate, qua remoto eo, ſuccederent, neque deerant in urbe, qui ad tranſactionem inclinabant, quo bellum alioquin diuturnũ, honeſto aliquo pacto à ſe averterent: Verum cupiditas illa, qua Comes Pompilii vindicatum arces illas properabat, quod aliquandiu ipſi adverſatæ nimirum fuiſſent, iſtud conſilium ipſi extorſit, fecitque, ut Nicolaus in eius gratiam ea occuparet, quod quidem utrique exitioſum fuit, *raroq; evenire ſolet, quin* " *privatæ cupiditates, univerſali commodo nocumento ſint.* "

Nicolaus porro victoriæ inſiſtens, Raſsinã & Cluſium cœpit, atq; iis quidẽ in partibus Comes Pompilii illum ſubſiſtere voluit, quod nimirum ea ratione inter Cluſios, Caprenſes, atq; Pievẽ copias ſuas explicare, Alpesq; in ſua poteſtate habere, eoque modo, prout commodũ viſum ſit, in valles Arni, Chianæ, Tiberisq; deſcendere, atq; omnes hoſtium motus in procinctu eſſe poſsit: At Nicolaus, proſpecta locorũ aſperitate, equos ſuos ſaxis quidem non paſci dixit, atque ad Vicum S. Sepulchri deflexit, ubi amice exceptus fuit, inde animos eorũ, qui Cittacaſtellum tenebant, tentavit, qui tamen Florentinis amici, aures ipſi præbere recuſarunt, inde Peruſinos ſibi conciliandos ratus, cum XL. cataphractis eò profectus, atque ab iiſdem, utpote ipſorũ civis, benigne habitus fuit, verũ paucos poſt dies ibi ſuſpectus eſſe cœpit, multisq;, tam cum legato Pontificio, quam cũ Peruſinis tentatis, nullaq; *Peruſinos fruſtra tentat.*

re perfecta,

re perfecta, acceptis tandem VIII. M. Hungaricis ad exercitum reverſus eſt. Hinc Cortonam Florentinis per proditionem eripere tentavit, verum quod conatus illi, ante conſtitutum diem, evulgarentur, etiam hi in fumum abiere.

Cortonæ adipiſcendæ ſpe excidit. Erat eo loci Bartholomeus Senſius civium nō poſtremus, hic quadam nocte, à Capitaneo, ad cuſtodiam portæ miſſus, quondam ex rure ſibi amicum obviam habuit, monitusq́ue fuit, ne eam ad portam pergeret, niſi perire vellet. Inſtitit Bartholomeus rem penitius cognoſcere, omneq; conſilium Nicolai perveſtigavit, Capitaneoque omnem ordinem detexit, qui quidem principibus conjurationis comprehenſis, portarumque excubiis duplicatis, tempus à Nicolao conſtitutum tacitus exſpectavit, verū is ſe detectum animadvertens, in caſtra ſeſe recepit.

Dum eum ad modum in Longobardia laboraretur, Duxque parum hactenus proficeret, interim res in Longobardia non multum quietiores, nec Duci magis ſecundæ erant, Comes ſiquidem, quamprimū id per tempus ipſi licuit, exercitu producto, quod Venetorum claſſem jam paratā haberet, ante omnia imperium lacus ſibi vendicare, Ducemque inde profligare conſtituit, eą re peracta, reliqua facilius ſibi ceſſura ratus. Igitur cum claſſe Venetorum in copias Ducis invectus, eas profligavit, arcesque quæ ab eo ſtabant, occupavit, adeo ut reliquæ Ducis copiæ, quæ Breſciam à terra urgebant, ſociorum ſuorū clade percepta, inde & ipſæ recederent, qua quidem ratione Breſcia, poſtquam integrum triennium obſidionem ſuſtinuiſſet, tandem in libertatem vendicata fuit.

Ab hac victoria Comes in hoſtes, qui Soncinum, ad flumen Oglium ſitum, conceſſerant, profectus, eos inde recedere, atque Cremonam petere coëgit, quo quidem loco Dux ſibi ſtandum, atque inde ditionem ſuam tuendam eſſe conſtituerat. Poſtquam verò etiam eo loci indies magis magisq; à Comite premeretur, atque de ſtatu, vel ſaltem eius parte, periclitari inciperet,

inciperet, tum demum exitioſa ſua conſilia, quibus impulſus, Nicolaum in Tuſciam vocaſſet, agnoſcere cœpit, atque quo errorem iſtum mature corrigeret, Nicolao, quo in loco res ſuæ conſtitutæ eſſent ſignificavit, monuitque, ut quamprimum ipſi per occaſionem liceret, relicta Tuſcia, Longobardiam repeteret.

Inter hæc geſta Florentini, auſpiciis ſuorum legatorum Pontificis copiis ſuas conjunxerant, atque ad Caſtrum Anghiarium, ad radices eorum montium, qui valles Tiberinam & Chianenſem diſcriminant ſitum, ſubſtiterant, neque à Vico S. Sepulchri plus quatuor milliaribus aberant, agro, qui inter utraque caſtra interjacebat, plano, atque ad rem gerendam perquam idoneo. Poſtquam vero tam de Comitis victoria, quam Nicolai avocatione jam certi eſſent, jam ſibi depugnatum eſſe inde judicabant, eamq; ob rem legatis ſuis injunxerant, ut omni ſtudio prælium detrectarent, Nicolaum nimirum non diu in Tuſcia ſubſiſtere poſſe. *A Duce in Longobardiam revocatur.*

Atque hæc quidem inhibitio Nicolaum non latuit, ne igitur ante diſceſſum quidquam intentatum relinqueret, ad prælium committendum, (quod hoſtem incautum, eiusque rei minime metuentem crederet,) animum adplicavit, ad quam porro à Reinaldo, Comite Pompilii, aliisque exulibus, ſtrenue inſtigabatur, utpote qui ſuam perniciem, ſi Nicolaus diſcederet, manifeſto depræhenderent, ſi vero ad decernendum prælio deveniretur, hactenus ſperari, vel prælium vinci, vel ſaltem hoc eſſe ſe occumbere poſſe.

Hac re igitur conſtituta, movere exercitum cœpit, atque Vicum propter pergens, antequam hoſtes eius rei quidquã perſentiſcerent, ex caſtro illo duo circiter hominum millia in ſocietatem ſumſit, qui quidem tam virtute adeo celeberrimi ducis freti, quam prædæ cupiditate illecti, ipſum non inviti ſecuti ſunt. His copiis auctus, Anghiarium verſus maturavit, neque jam plus duobus miliaribus ab hoſte aberat, cum à Michaële Attendulo, ex pulvere concitato, hoſtis adventus

adventus cognoſceretur, moxque arma poſceren-tur.

Non mediocriter adventus ille inopinatus, caſtra Florentinorum ab initio turbavit, non præterquam quod ii exercitus, ut plurimum nulla ex arte, *vel diſciplina militari*, caſtramentarentur, porro hos negligentiores hoſtis longe diſsitus, quemque fugam potius, quam prælium ſpectare arbitrarentur, reddiderat, adeo ut nemo armatus, omnesque longe à caſtris abeſſe conſpicerentur, quo nimirum quemq; vel auræ captandæ gratia, æſtus enim vehementior eos urgebat, vel voluptatis cauſa, animus tuliſſet. Nihilominus tanta fuit tam legatorum quam ducis diligentia, ut antequam Nicolaus appropinquaret, ipſi jam equis inſidentes, ad impetum eius ſuſtinendum, non impares eſſe viderentur.

Sicuti ergo Michelettus prior hoſtẽ conſpexerat, ita porro primus in eum movere cœpit, unaque cum ſuis turmis pontem non procul ab Anghiara, cujus ſupra meminimus, occupavit. Urſinus vero, qui ante irruptionem hoſtis, foſſas quæ circum vias inter pontem atque Anghiaram erant, undiq; complanari curaverat, una cum legatis Florentinorum ſiniſtram occupavit, Simoncinus porro, Pontificii agminis dux, una cum legato dextrã, pedite juxta ripam hinc inde collato. Eam ob rem Nicolao nulla alia via, qua hoſtem peteret, præter pontem ſupererat; neque Florentinis, ullá alia à parte, quam ad ipſum pontem pugnandum erat, præterquam quod pediti ſuo injunxiſſent, ſi peditem hoſtium rectam viam deſerere, atque ex latere impreſsionem in cataphractos conari contingeret, ut dum ſagittis ſuis eum arcerent, ne ex latere cataphractarii ſui, ſi forte ultra pontem perrexiſſent, ab illo peti poſſent.

Prima igitur hoſtium, quæ comparuit turma, per Michaelem ſtrenue à ponte prohibita, imo repreſſa fuit, verum poſtquã Aſtorrius Franciſcusq; Piccinini milite ſelectiore ſuprajunxiſſent, tanto ii impetu in Michaelem impreſsionem fecere, ut ipſum cum turmis

mis ſuis eo usque, quo via ex planicie, verſus Anghiaram in montem ſurgere incipit, repelleret, at illi rurſus ab iis, qui ex latere eos urgebant, ultra pontem pulſi fuere.

Pugnatum eum ad modum, quo mox Nicolaus, mox Florentini pontem in poteſtate habebant, duas horas, licet vero in ipſo ponte æquali Marte pugnaretur, nihilominus tam citra quam ultra pontem Nicolai partes pejus habebant: nam ſi forte Nicolai militem pontem ſuperare contingeret, in ſtipatum denſumque Florentinorum agmen incurrebat, utpote quibus integrum erat, ob ſtratas complanatasq; vias, in turmas juſtamq́ue aciem coire, atque defeſſis recentem militem ſubſtituere. At Florentinis pontem ſuperantibus, non licebat Nicolao ſuos ordines redintegrare, quod via, ab utraque parte, arginibus atque foſſis cohercceretur, quo quidem factum eſt, ut licet Nicolai copiæ pontem ſæpius occuparent, eæ tamen ſemper inde propulſarentur.

Tandem, cum Florentini eum ad modum pontem ſuperaſſent, ut ipſorum miles jam viam, quæ ultra pontem erat, porro occupari inciperet, neque jam in Nicolai poteſtate eſſet, tam ob impetum hoſtilem, quam foſſarum impedimenta, recenti milite commodum ſuos reſtaurare, adeo ut primi, qui ſeſe convertere conabantur, in eos qui ſuperveniebant, impingerent, atque invicem miſcerentur, inde porro factum eſt, ut confuſis jam ordinibus, univerſus exercitus, converſo vultu, vicum verſus fugam arriperet. Florentinorum milites in prædam irruere cœperunt, tam militum, quam armorum, equorumque ratione uberrimam, ſiquidem penes Nicolaum vix mille equi ſalvi ſtetiſſent. Vici porro incolæ, quos prædam ſecutos ſupra diximus, ex prædatoribus ipſi præda, omnesque ad unum capti, mulctatique fuere, ſigna cum impedimentis ad Florentinos devenere. *Nicolaus profligatus.*

Atque ea quidem victoria, Tuſciæ utilior, quam

Duci

Duci pernicioſior fuit: quod ſi etenim Florentinos vinci contigiſſet, jam de Tuſcia ipſa conclamatum fuiſſet, at ea ratione, victo Nicolai exercitu, nullum aliud in Ducem damnum redundabat; quam quod arma & equi reſarciendi ipſi eſſent, quod quidem nō adeo magnam jacturam parturiebat.

Neque etenim facile crediderim, ullo unquam alio ſæculo, bellum, in aliena provincia, minore cum periculo gerere licuiſſe, ſiquidem in hoc prœlio; quo à vigeſima hora, ad vigeſimam quartam uſque pugnatum fuit, præter equitem ſolum, nemo occubuit, atque ne is quidem vulneribus confectus, ſed equo excuſſus atque protritus, animam efflavit. Tanta nimirum ſecuritate, homines iſtius ſeculi pugnabant, poſtquam etenim omnes equis veherentur, ferroque undequaque operti, adeoque à morte immunes eſſent, ſi aliquando eos vinci cotingeret, mox deditione ſibi conſulebant, adeo ut tam pugnando, quam occumbendo, quod ſibi metuerent, non haberent.

Militiæ ratio deplorãda. Ea porro, quæ tam in prœlio iſto, quam poſt prælium ſucceſſere, exemplo eſſe queant, quam infelici genio id temporis bellum gereretur: Victo etenim hoſte, atque Nicolao Vicum reducto, videbatur legatis ipſum perſequendum, ibique obſidione cingendum eſſe, quo nimirum integra victoria potirentur, verum nec dux nec miles quiſquam, officio ſuo ſatisfacere voluit, prædam nimirum reponendam, ſauciorumque curam habendam eſſe: quod vero magis mirari queas, poſtridie, medio jam die, nulla vel ducum vel legatorum habita ratione, omnes præda ſua onuſti Aretium migravere, eaque ibi in tutum collocata, Anghiariū tandem repedavere: rem indignam, omnique diſciplinæ militari contrariam, quæ ſane optime meruiſſet, à quibusvis exercitus reliquiis, ea victoria privari, qua adeo immerito potiti fuerant. Quibus præterea & hoc acceſsit, ut licet legati conſtituiſſent, cataphractos in cuſtodia ſervandos eſſe, ne hoſti vires recolligere liceret, ii tamē à milite libertati

confeſtim

confeſtim reſtituti fuerint. Mirari ſane non immerito, ob res iſtas, quis queat, undenam militi iſtiusmodi, tantum roboris ac virtutis, ut victoria potiri potuerit, quæ porro vilitas in hoſte eſſe debuerit, qui à milite adeo contumace ſeſe vinci paſſus ſit.

Ergo dũ Florentinorũ milites Aretio petẽdo occupati eſsẽt, Nicolao occaſio ſuppeditata fuit, qua Vico ſeſe cum reliquiis ſubduceret, atque Flaminiã verſus pergeret, quem exules Florentini eousque comitati fuerant. Cum vero illi omni recuperandæ patriæ ſpe excidiſſent, tandem, qua cuique commodum videbatur, tam in Italia quam extra eam diſperſi, ſedes ſibi quæſivere: Inter quos Reinaldo Ancona placuit, atque quo cœleſtem patriam venaretur, qui terreſtri exciderat, ad ſepulchrũ Servatoris noſtri profectionẽ inſtituit, unde reverſus, in ipſis filiæ ſuæ nuptiis, ad menſam, ſubitanea morte periit, vel ſaltem in hoc fœlix, ut feliciſsimo exilii ſui die mortem cum vita commutaret. Fuit vir, ſecunda pariter ac adverſa fortuna honore conſpicuus, major proculdubio futurus, ſi in civitate concordi unitaque ipſum naſci contigiſſet, multis ſiquidem dotibus pollebat, quæ in Repub. diſcordi ipſi nocumento erant, quas tamen compoſita unitaque præmiis proſecuta fuiſſet.

Legati ergo Florentinorum, milite ipſorum Aretio reverſo, vicum quem Nicolaus deſeruerat, verſus profectionem inſtituere. Cupiebant incolæ Florentinis ſeſe dare, illi tamen eos reſpicere hactenus recuſaverant, nihilominus id Pontificis legato ſuſpicionem moverat, ne forte Florentini eum locum, Pontificiæ ditioni ereptum, in ſe transferre cuperent, ex quibus ſuſpicionibus tandem ad contentionem inter ipſos deventum, neque adeo res diſcrimine caruiſſet, niſi ad arbitrium Legati, ea mature compoſita fuiſſet.

Interea dum hæc ad Vicum agerentur, fama increbuit, Nicolaum Romam petere, alii Picenum dicebant, videbatur igitur tam Legato, quam Sfortziano militi, Peruſiam eundum, ut vel Piceno, vel Romæ in-

de ſubveniretur, eoſque Bernhardus Mediceus comitaretur, Ginius vero cum Florentinorum copiis Caſentinum recuperaret. His ita conſtitutis, Ginius Raſinam profectus, eam occupavit, pariq; impetu Bibienam, Pratum vetus, Romenamq; recuperavit, inde Pompilii forum obſidione cinxit, altera parte copiarum in planitie, quæ Certomondo vocatur, altera collem, qui Frozolium ſpectat, collocata.

Atque Comes quidem Pompilii, qui ſe tam à Deo quam ab hominibus deſtitutum animadverteret, ſeſe intus receperat, non quod auxiliorum quidquam ſperaret, ſed ut æquiore, ſi id fieri poſſet, conditione paciſceretur. A Ginio ergo cum urgeretur, compoſitionis mentionem injecit, eaque ad hunc modum potitus eſt, ut ſalvis iis, quæ aufferri moverique poſſent, unà cũ liberis ditione omni Florentinis cederet. Interea dum ea componerentur, Comes in pontem, qui Arnum juxta arcem ſuperat, Nerio obviam progreſſus, eum hunc ad modum obteſtari cœpit.

Poppii Comitatus Florentinis cedit.

Si ego prudenter meam fortunam, veſtramque potentiam examinaſſem, mihi quidem, modo liceret, amico vobis de victoria gratulari, non inimico ſupplicem eſſe, quò exitio minus gravi fortaſsis opprimerer. Atque præſens mea conditio, quantum vobis ea honori atque lætitiæ, ita mihi doloris miſeriæque exordium eſt. Neque adeo mirum, qui hactenus equis, armis, provinciis, ſubditis, atque divitiis floruerim, quod ea poſt me invito animo relinquam. Quod ſi vero vos univerſæ Tuſciæ imperium obtinere, & cupitis, idque adipiſci poteſtis, neceſſum ſane fuerit, ut nos vobis cedamus: atque ego quidem, niſi in hunc errorem incidiſſem, tum neque fortunã meã explorare, nec liberalitatem veſtram agnoſcere licuiſſet, quod ſi etenim me ſervare vobis libeat, ea ſane clementia veſtra univerſo orbi exemplo eſſe queat. Superet ergo pietas veſtra, meum delictum atque vel ſolam hanc domum illi concedite, à cuius majoribus innumera beneficia in Remp. profecta ſunt.

Ad ea Ginius. Quod nimiũ in eos recubuiſſet, qui parum

rum potuiſſent, id vero, in Rempub. Florentinam tantopere injurius ut fuerit, effeciſſe, ad quæ ſi temporum ratio accedat, neceſſe eſſe, ut omnem iſtam provinciam Florentinis vicinam, eorum utpote hoſtis, cedat, quam ipſorum amicus obtinere noluerit: enimvero iſtiusmodi ipſum teſtimonium de ſe exhibuiſſe, ut eo loci, quo in ipſius arbitrio ſitum ſit, in omni fortunæ mutabilitate Florentinis nocumento eſſe diutius ferri nequeat, ſiquidem non tam ab ipſius perſona, quam à provincia ſua periclitentur. Quod ſi vero in Germania Principi ipſi eſſe liceat, nō modo Florentinos id libenter habituros, verum etiam ob ipſius majores, quorum modo mentionem fecerit, ipſi benevolentia non defuturos.

Ad quæ Comes excandeſcens, optandum ſibi Florentinos longè remotius conſpiciendos dari, interrupto ergo amico ſermone, poſtquam nihil aliud ſupereſſe animadverteret Comes, ſuas rationes Florentinis ceſsit, mœſtusque unà cum conjuge, liberis & facultatibus, eam provinciam poſt ſe reliquit, quam avos ſuos nongentis annis obtinuiſſe perhibebat. Atq; tot pol victoriæ, à Repub. populoque Florentino intellectæ, ſumma cum lætitia celebratæ fuere.

Bernardettus porro Mediceus, poſtquam vanum eſſe cognoviſſet, Nicolaum vel Romam vel Picenum petere, ad Ginium ſeſe recepit, atque unà Florentiam reverſi, tanto honore illuſtrati quantum Reipub. iſtius ratio, erga cives victorioſos, ferre unquam conſueviſſet, atque à Dominis, Capitaneis partium, omniq; populo tanquam triumphantes excepti fuere.

LIBER SEXTUS NICOLAI MACHIAVELLI, CIVIS ET SECRETARII Florentini, Hiſtoriam Florentinam complectens.

Fuit hic finis hactenus ſemper, meritoque eſſe debet omnibus, qui bellum movent propoſitus, ut, ipſi diteſcant, hoſtem vero ſpoliatum relinquant, neque aliam ob rem victoriam querimus, aut aliena occupanda aggredimur, quam ut potentia augeamur, hoſtem vero ea exuamus. Hinc vero conſequitur, quoties vel victoria pauperiorem, vel expugnatio debiliorem te conſtituit, ut aut tranſilias, aut non pertingas metam, ad quam ii, qui bellum movent, contendere ſolent. Porro Princeps, ſeu Reſpub. ex ea victoria locupletior dici queat, qua hoſtes delentur, aut imperio vectigalibus, atque exactionibus victori concedunt: ille vero ex victoria debilior pauperiorque fit, qui, quantumvis victor, nec hoſtes extinguere, nec prædarum atque exactionum ex captis emolumentum, in ſe tranferre poſsit, ſed ea militibus diripienda relinquere cogatur. Atq; hic quidem, tam ſuccumbendo infœlix, quam vincendo infœliciſsimus merito habeatur, ſiquidem ſuccumbenti, eæ injuriæ ferendæ ſunt, quas hoſti inferre libuerit, vincenti vero, illæ, quas amici in illum congerunt, quæ quidem poſteriores, quo magis præter rationem, eô minus quoque ſuſtinendæ veniunt, præſertim cum inde, ad ſubditorum tuorum injuriam, novis exactionibus atque offenſionibus cumulandam, adigare. Nam ſi in tali Imperatore, vel tantillum humanitatis ſuperſit, fieri ſane nequit, ut ea ex victoria effuſe lætetur, qua ſubditi ſui omnes, quod doleant, habent.

Conſueverant priſcæ ac bene conſtitutæ Respub. ærarium ex victoriis auro argentoque locupletare, dona in populum largiri, ſubditis vectigalia remittere, ludis præterea ſcenisque plebem recreare. Atqui hæ, quas modo deſcribimus, ante omnia ærarium exhauriebant, populum ad inopiam redigebant, neque tamen ab hoſte victorem multo plus tutum reddebant, quæ quidem omnia hinc exoriebantur, quod militia illa, nulla diſciplina regeretur: poſtquam etenim receptum non eſſet, eos qui vincebantur, vel detinere, vel interficere, ii porro, vix eousque iterum in victorem pugnare deſiſtebant, donec qui ipſos conduceret, deque armis equisque ipſis proſpiceret, nacti eſſent. Præterea cum præda atque extorſiones militibus cederent, earum ſane rerum victori uſus nullus erat, verum nova ſtipendia, ex viſceribus ſubditorum, ipſi haurienda erant, neque aliud victoria populo commodi parturiebat, niſi quod Princeps minorem ſubditorum inde rationem haberet, exactionibusque ipſis eo magis moleſtus eſſet. Atque eò tandem milites illi rem deduxerant, ut tam victori quam victis, (modo dux milite ſuo pro arbitrio uti cuperet) novi ſumptus faciendi æque eſſent, ſiquidem alteris de veſtibus, equis, armisque denuo proſpiciendum, alteris donis largitionibusque ſatisfaciendum erat: utque iſti, niſi in integrum reſtituerentur, pugnare non poterant, ita hi niſi novis præmiis incitarentur, pugnare nolebant. Hinc vero erat, ut nec alteri ex victoria, nec alteri ex clade multum afficerentur, victo ſiquidem tempus, quo ſe recolligeret, ſuppetebat, victor vero, quo victoriam proſequeretur, eodem deſtituebatur.

Atque hic quidem corruptus, perverſusque militiæ ſtatus, in cauſa fuit, ut Nicolaus Piccininus citius militem ſuum recolligeret, quam ipſum profligatum fuiſſe Itali reſciſcerent, atque graviore bello poſt cladem, hoſtem implicaret. Hinc poſt cladem Brescianam, Veronam ipſi occupare licuit, hinc Verona pulſus majore cum exercitu Tuſciæ moleſtus eſſe potuit

hinc demum ad Anghiaram profligatus, magis inſtructum, quam ante cladem exercitum, priusquam Flaminiam pertingeret, habere ipſi contigit, adeo ut Duci facile perſuaderet, Longobardiam jam defendi poſſe, de qua, ob ejus abſentiam, penè deſperaverat.

Dum etenim Nicolaus univerſam Tuſciam turbaſſet, interim Dux, de ſtatu ſuo, non mediocriter, dubius erat, atque eum ad modum periclitabatur, ut prius eo ſe ſpoliatum iri, quam Nicolaus revocatus rediret, non præter rationem metueret. Quo interea temporis, impetum Comitis aliqua ratione frænaret, atque fortunam, quam aperto Marte ſuſtinere non poterat, induſtria ſua moderaretur, eam ob rem ad ea, quæ, in iſtiusmodi anguſtiis, ſæpe magno ipſi fuerant uſui media, recurrere cœpit.

Per Nicolaum igitur Eſtenſem, Ferrariæ Principem, Peſchieram ablegatum, Comiti, qui ibi hærebat, pacem perſuaderi, ipſique demonſtrari juſsit, bellum iſtud minime ex Comitis commodo eſſe: quod ſi etenim ad eas anguſtias Dux reduceretur, ne ipſi deinceps dignitatem ſuam tueri liceat, tum eam cladem, in Comitem ipſum, propediem redundaturam, utpote quem Veneti atque Florentini non magni inde æſtimaturi ſint. Quo vero de Ducis animo ipſi certiori eſſe liceat, conſtituiſſe eum matrimonium filiæ diutius non differre, ſed eam Ferrarienſi ad fidas manus deponere, ut pace firmata, Comes, de ea obtinenda, eo certior eſſe queat.

Ad quæ Comes, Si Ducem ſincere ad pacem inclinare certum ſit, non difficulter, ſuo judicio, eam impetrari poſſe, utpote quam Veneti atque Florentini non minus cupiant: Verum ſe vix adduci poſſe, ut id ex animo Ducem agere, perſuaderi ſibi patiatur, poſteaquam nimirum hactenus expertus ſit, eum nunquam, niſi neceſsitate adactum, ad pacem inclinaſſe, at ea ſi remiſiſſet, mox

bellum

bellum reſtauraſſe. Neque porro nuptiis ſe fidem habere poſſe, quarum nomine toties deceptus fuerit, nihilominus pace conſtituta, earum ratione ſe facturum, quantum amicorum conſiliis, ſibi faciendum eſſe, cenſeri queat.

Interim Veneti, quibus moris eſt ſuſpicionibus, etiamſi eæ nullo fundamento nitantur, contra militiæ ſuæ duces indulgere, hujus conſuetudinis cauſa, non præter rationem, ſuſpicari cœperunt; cui quidem rei, ut Comes obviam iret, ſtrenue porro bellum gerere perrexit, interim utrinque animi, ipſi quidem ob ambitionem, Venetis vero ob ſuſpiciones, tantopere refrixerant, ut reliquo iſtius æſtatis tempore nihil præclari gereretur, adeo ut ſub reditum Nicolai, præſertim quod hyems inſtaret, uterque exercitus hyberna repeteret, atque Comes quidem Veronam, Dux Cremonam, Florentinorum copiæ in Tuſciam, Pontificis milites in Flaminiam concederent. Atque hæ quidem, ab illa ad Anghiaram victoria, Forum Livium atque Bononiam adgreſsi fuerant, Verum quod eæ à Franciſco, Nicolai Piccinini filio, ſtrenue defenderentur, re infecta inde ipſis diſcedendum fuit. Nihilominus ea expeditio Ravennates in tantam formidinem, ne ipſis ſub imperium Pontificis redeundum eſſet, conjecit, ut unanimi conſenſu cum Oſtaſio Polentano, domino ſuo in clientelam Venetorum concederent, qui quidem, in premium accepti beneficii, Oſtaſium unà cum filio in Candiam, ubi ipſi moriendum fuit, relegarunt, ne forte aliquando viribus potior, ea recuperare conaretur, quæ prudentia deſtitutus, ipſis liberaliter nimis ceſsiſſet. Licet vero anteacti belli victoria à fœderatis ſtetiſſet, ea tamen Pontificis tum fuit penuria, ut vicum ad S. Sepulcrum Florentinis, XXV. M. Hungaricorum accepto pretio, venderet.

Veneti ſuſpicaces.

Ravennates in Venetorum clientelam ſeſe recipiunt.

Pontifex ob penuriam Vicum vendit.

Dum igitur res eum ad modum hærerent, omnesque, ob hybernum tempus, à bello ſic ſatis ſe tutos

arbitrarentur, pacis inde apud pleroſque mentio utplurimum interciderat, Dux imprimis ipſe, tam ob anni inclementiam, quam Nicolai pollicitationes omnem cum Comite tranſactionis ſeriem abruperat, omnique ſollicitudine Nicolao ſubſidia, ad novas copias inſtaurandas, ſubmiſerat, adeo, ut ad bellum, non adeo longinquum, eum accingi, ſatis appareret. Ejus igitur rei Comes edoctus, Venetias ſe contulit, quo de bello, in ſequentem annum gerendo, mature deliberaretur.

Picininus omnē Breſcianum agrum occupat.

At Nicolaus, viribus jam recuperatis, vernum tempus minimè exſpectandum ratus, ſub ipſum brumæ frigidiſsimæ tempus Addam trajiciens, omnem agrum Breſcianum, Adula atque Arcio exceptis, denuo occupavit, ultraque duo millia equitum Sforzianorum cœpit atque deprædatus eſt; Ciarpellonem præterea, turmarum Comitis ducem non poſtremum, in ſuas partes pellexit, eaque re tam animum Comitis, quam Venetorum, plus quam ipſa clade, conſternavit.

Ne ergo Comes muneri ſuo deeſſet, nulla interjecta mora, Breſcianum agrum petiit, verum cum Nicolaum, poſt illatam cladem, in hyberna regreſſum comperiſſet, neque ipſi bellum ſopitum reſuſcitare commodum videretur, occaſione ea, quam hoſtis ſibi præberet, ad reſtaurandum militem ſuum, commodum utendū ratus, etiam ipſe copias in hybernis habere maluit, quo ineunte vere, majore conatu, injurias vendicaret. Egit igitur ſollicite ut Veneti copias ſuas à Florentinis ex Tuſcia repeterent, usque in vicem Gattamelattæ, qui diem ſuum obierat, Micheletum Attendulum præficerent.

Vere poſt redeunte, Nicolaus primus exercitu ex hybernis producto, caſtrum Cignanum, quod XII. miliaribus à Breſcia aberat, obſidione cinxit, in cujus ſubſidium Comes profectus, poſtquam bini Duces iſti, pro more, artibus ſuis rem aliquandiu adminiſtraſſent, Bergamo tandem Comes metuens, Martinengham arcem obſidendam adgreſſus eſt, qua nimirum

rum occupata, Bergomatibus à Nicolao magnas in anguſtias redactis, ſubvenire proclive eſſet.

Poſtquam etenim Nicolaus prævidiſſet, nullâ aliâ quam ea via, Bergomatibus auxilia ſubmitti poſſe, eam ob rem, arcem iſtam omni inſtrumento muniverat, adeo ut Comes univerſo exercitu eo deflectere neceſſe haberet: qua re à Nicolao animadverſa, ſitusque commoditate explorata, univerſo cum ſuo exercitu caſtra adeo commoda occupavit, ut omnem annonæ adipiſcendæ ſpem, Comiti ea ratione adimeret, tantaque porro arte atq; cura ea muniret, ut Comiti, niſi manifeſto cū diſcrimine, ea oppugnare nulla ex parte integrū eſſet, qua quidem via id brevi tempore adeptus eſt, ut jam Comes majore in periculo, quam obſeſsi ipſi verſaretur, atque nec ob famem, quo omnis exercitus laborabat, diutius ibi ſubſiſtere, neq; ob manifeſtiſsimum diſcrimen obſidionem deſerere poſſet, quod quidem Duci manifeſtiſsimam victoriam, Venetis vero atq; Comiti certum exitium minabatur.

Comes à Piccinino undique circumventur.

Verum fortuna, cui tam amicis prodeſſe, quam inimicis obeſſe, pariter in proclivi ſitum eſt, hiſce anguſtiis viam patefecit, ſiquidem ob victoriæ, jam nō ambiguæ, ſpem, eo audaciæ atque ambitionis Nicolaus proruperat, ut poſthabita Ducis authoritate, ſuique pariter oblitus, Philippo contumelioſius in memoriā revocaret, quanto jam tempore ipſi militaſſet, neque interim tantillū terræ ſibiipſi acquiſiviſſet, quæ mortui ipſius cadaver exciperet, eam ob rem, non præter rationem, ſe ſcire velle, quodnam tot exantlatorum laborum ipſum præmium maneret, in ſua ſiquidem poteſtate jam ſitum, univerſæ Longobardiæ imperiū in Ducem transferre, atque omnes hoſtes ſuos ipſi ſiſtere: porro, certam victoriam, certū etiam præmium exſpectare, petere igitur à Duce urbem Placentinam ſibi cedi, quo tot laboribus exhauſto tandem otioſa ſenectute frui ſibi liceat: neque tandem erubuit, niſi poſtulatis ſatisfieret, ſe à victoria receſſurum minari.

Offenderat animū Ducis, hominis inſolentia, reiqȝ

T 5

indignitas, eum ad modum, ut potius manifeſtam victoriam negligere, quam ad poſtulata deſcendere, certo apud ſe conſtitueret, ſeque ab arrogantia amicorum mutari pateretur, quem tot pericula, minæque hoſtium, flectere hactenus nequiverant. Ad pacem igitur cum Comite ſtabiliendam conſilia dirigere, Antonioq; Guidobono Tortonenſe eum verſus ablegato, tam pacem quam filiam ipſi offerre cœpit, quæ quidem tam ab eo, quam omnibus præterea fœderatis, avide amplexa, & quantum eius fieri potuit, occultiſsime firmata fuit. Inde Nicolao à Duce injunctum, ut in annum inducias cum Comite paciſceretur, adeo nimirum ſe præterito bello exhauſtum, ut dubiam victoriam, certæ paci anteponere, minus tutum arbitretur.

Philippus victoriam negligit.

Mirari ſatis Nicolaus conſilium iſtud non poterat, neque porro aſſequi, quamobrem victoriam tam glorioſam Dux averſaretur, nunquam fore perſuaſus, eum inimicos potius ſalvos, quam amicos remuneratos velle: quam quidem ob rem quantum poterat eum à conſilio iſto dehortabatur, adeo ut Duci neceſſum tandem fuerit, ad minas diſcedere, neque obſcure Nicolao ſignificare, ſeſe niſi obtemperaret, tam proprio militi, quam hoſtibus deſtitutum expoſitumque iri. Non alio igitur animo Nicolaus voluntati Ducis acquievit, quam ii conſueverint, quos & patriam, & amicos, coactos relinquere animadvertimus, in ſiniſtram ſuam ſortem potiſsimum invectus, utpote cui modo à fortuna, modo à Duce, victoria è manibus eriperetur.

Pax in Longobardia conſtituta.

Induciis eum ad modum firmatis, nuptiæ inter Plancam Comitemque celebratæ, dotiſque nomine Cremona conſignata fuit. Inde de pace tranſactum, cui tractandæ, Venetorum nomine Franciſcus Barbadicus Pauluſque Tronius, Florentinorum vero Agnolus Acciaiolus intererant. Ceſſit ea pace Venetis Peſchiera, Aſola, Leonatumque caſtrum, Marchioni Mantuano ereptum: atque

que hæc ſub finem anni MCCCCXLI. ſucceſſere.

Bello hunc ad modum in Longobardia extincto, hactenus motus regni Neapolitani ſupererant, qui quidem, quod ſopiri minus poſſent, bellum in Longobardia mox reſuſcitarunt. Exuerat Rex Aragonæ, eo quo in Longobardia pugnabatur tempore, Renatum, ex cujus partibus Neapolis adhuc ſtabat, univerſo Regno, ſibique jam de victoria certus, Beneventum, alioſque ditiones, quas Comes ea propter habebat, commodum in poteſtatem ſuam redigi poſſe arbitrabatur, quod nimirum Comiti, bello Longobardico occupato, ſuis opem ferre minus liberum eſſet. Neque opinio quidem ipſum fefellit, nullo ſiquidem cum diſcrimine, omnem iſtam ditionem facile occupavit: verum pace illa Longobardica evulgata, tam Alfonſus de Comite, ne ditionis ſuæ recuperandæ gratia, ad Renatum concederet timere, quam Renatus de eodem ſperare, utrique cœpere. Inſtitit ergo Renatus apud Comitem, ut tam amico ſuppetias ferre, quam eadem opera inimicum ulciſci properaret. Alfonſus contra Philippum urgebat, ut in gratiam antiquæ neceſſitudinis, Comitem diſtineret, atque iſtiuſmodi difficultatibus hominem implicaret, ne ipſi de ſuis ſtatuere integrum eſſet.

Placuit ea res Philippo, pacis jam oblito, ad quam tanta cum inæqualitate vix modo deſcenderat. Significavit eá ob rem Pontifici Eugenio, jam tempus adeſſe, quo provinciam, à Comite ſedi ereptam, commodum recuperaret, ipſique Nicolaum Piccininum, cui Dux ipſe, quamdiu bellum iſtud traheretur, ſatisfacturum ſe pollicebatur, ducem obtulit, qui quidem, id temporis, in Flaminia cum copiis ſtabat.

Arripuit Pontifex avide iſtam occaſionem tam ob odium quo Comitem jam dudum proſequebatur, quam quod ingenti deſiderio, recuperandę iſtius provinciæ, teneretur. Licet vero non adeo olim à Nicolao *Pontifex Picenum invadit*

lao eadem ſpe lactatus atque circumventus fuiſſet, quod tamen Ducem ipſum hæc tunc urgere conſpiceret, ſuſpicionibus procul abeſſe juſsis, copias ſuas cum Nicolao ſociavit, conjunctisq; viribus Picenum ambo invaſere.

Comes tam inopinato caſu quantumvis perculſus, cum copiis tamen ſuis obviam proficiſci conſtituit. Interim Neapolis Alfonſo ceſſerat, atque univerſum jam regnum, Caſtro novo excepto, in poteſtatē ipſius devenerat. Renatus ergo, relicto præſidiario ibi milite, Florentiam conceſsit, ibique honorifice exceptus, poſtquam bello gerendo ſe imparem depræhenderet, Marſiliam paucis ab inde diebus petiit: atque ea ratione Alfonſus etiam Caſtro novo tandem potitus eſt.

Renatus omni regno Neap. pellitur.

Comes eo tempore in Piceno, Pontificiis copiis atque Nicolao impar, Venetos atque Florentinos auxilia pecuniamque rogare, atque illis perſpicuis rationibus demonſtrare cœpit, niſi eo tempore Pontificem Regemque cohercendum in animum inducant, quo ſibi quædam adhuc vires ſuperſint, non multo poſt ipſis de propria ſalute cernendum fore, ambos nimirum cum Philippo conventuros, ſibique Italiam diviſuros. Hæſerunt aliquandiu dubiæ Reſpub. tam quod de Pontifice abalienando ambigerent, quam quod Bononienſium rebus implicati eſſent.

Hannibal Bentivoglius Bononia potitur.

Exegerat ſiquidem ea urbe, Franciſcum Piccininū, Hannibal Bentivoglius, atque quo ea porro tuto potiretur, contra Ducem, qui Franciſco ſtudebat, auxilia Venetorum atque Florentinorum impetraverat, quibus quidem negotiis illi implicati, Comiti auxilia ſubminiſtrare minus poterant. Poſtquam illi vero Franciſcum Bononia pulſum cognoviſſent, Florentini quidem, quod hæc ex parte quietum arbitrarentur, Comiti adeſſe conſtituere, priusquam vero eò manifeſtè deſcenderent, fœdus cum Duce redintegrandum cenſuere, à quo ipſum minime alienum nacti ſunt, quod is nimirum in bellum, Comiti inferendum,

dum, dum Renatus adhuc ſtaret, conſenſiſſet, verum poſtquam eum Regno penitus pulſum animadverteret, jam Comitem omni ditione ſpoliari, minus ex re ſua arbitraretur. Eamobrem, non modo author fuit, ut Comiti ſuppetiæ ferrentur, ſed etiam Alfonſum per literas rogavit, ut à bello Comiti inferendo abſcedere, inque Regnum reverti mallet. Licet vero Alfonſus, invito perquam animo, victoriam omitteret, quod tamen Duci ſe maximopere obſtrictum agnoſceret, cedendum tempori ratus, ultra Troentum copias ſuas recepit.

Hæc dum in Piceno eum admodum gererentur, interim Florentini rebus domi, non admodum pacatis, fruebantur. Erat Florentiæ inter primos, qui Rempub. adminiſtrabant Nerius Ginius Capponius, cuius authoritas Coſino Mediceo omnium maxime ſuſpecta erat, quod nimirum authoritati eius, qua apud cives pollebat ea, qua apud milites valebat, accederet: nam poſtquam is, non ſemel, Florentinorum copias duxiſſet, inde militum animos, virtute atque dexteritate ſua, ſibi ſummopere conciliaverat. Memoria præterea victoriarum, qua tam ipſe, quam pater Rempub. amplificaſſent, utpote quod hic Piſanos, ille Piccininum ad Anghiaram deviciſſet, ipſum non modo multis commendabat, ſed etiam reliquis formidini erat, qui Rempub. abſque æmulis ipſi adminiſtrare cupiebant. Inter multos porro turmarum Florentinarum duces, Baldaccius Angliarius, Imperator præſtantiſsimus eminebat, quod nimirum, eo tempore, nec animi nec corporis robore, quemquam in Italia parem haberet: interque pedites, hos ſiquidem ut plurimum duxerat, tantæ exiſtimationis eſſet, ut omnibus perſuaſum haberetur, hoc Duce quodvis ſe facinus tuto experiri licere. Amabatur porro Baldaccius à Nerio, tanquam virtutum ſuarum teſte locupletiſsimo maximopere, verum id ſuſpicionibus, apud cives pleroſque incremento fuit, adeo ut eum dimittere periculoſum, diutius vero alere periculoſiſsimum judicarent, eamque obrem

Baldaccii Anghiarii robur.

Eò ipſo ſuſpectus.

ob rem, de eo dolendo, conſilia agitarent.

Adminiſtrabatur eo tempore officium Gonfalonerii, à Bartholomæo Orlandinio, quem ad tutelam caſtri Marradii conſtitutum, regionem ſitu ipſo munitiſsimam, ſub irruptionem, Nicolai Piccinini turpiter deſeruiſſe, ſupra meminimus. Quod ergo tam indigna animi abjectio, Baldaccio ſummopere diſplicuiſſet, eaque tam verbis quam literis ab eo exagitata fuiſſet, eam ob rem, Bartholomæus odio immani in illum ferebatur, vindictamque mente immotam agitabat, morte nimirum indicis, infamiam ſuam abrogari poſſe ratus. Atque iſta quidem vindictæ cupiditas, cives non latebat, adeo ut non difficile fuerit, Orlandinio necem viri perſuadere, quo tam injuriã ſuam ulciſceretur, quam univerſam Rempub. ab eo homine liberaret, quem ſeu habere, ſeu dimittere noxium pariter diſcriminiſque plenum eſſet.

Cum igitur Bartholomæus, cædem eam, apud ſe conſtituiſſet, non ultra differendum ratus, aliquot armatos adoleſcentes furtim cubiculo ſuo excepit, Baldacciumque in foro ambulantem, atque de ſtipendiis ſuis apud Magiſtratum agentem, ad ſe vocavit, cui quidem obviam factus, tanquam de ſtipendiis cum eo conventurus, per pergulam Dominorũ cubiculis contiguam, ipſum ducens, donec jam opportunitatem rei perpetrandæ adeſſe arbitraretur, teſſera Sicariis data, eos ex cubiculo evocavit, qui inermem, nihilq; tale ſuſpicantem, facile obtruncarunt, atq; interfectum per feneſtram, quæ vectigal reſpicit, præcipitarunt, unde in forum protractus, atq; capite porro plexus, integrum diem populo ſpectaculo fuit.

Et proditorie occiſus.

Reliquerat ex Annalena conjuge filiolum, paucos annos natum, qui & ipſe non diu ſuperſtes fuit. Annalena igitur, tam marito quam filio orbata, viro ſeſe conjungi deinceps nõ paſſa, ædes ſuas in monaſteriũ commutavit, multiſq; aliis nobilioribus matronis comitata, in illud ſeſe abdidit, pieque, quoad diem ſuum obiret, ibi vixit: Cuius quidem memoria, ob monaſterium ſuo nomine inſignitum, ſicut hodiernum viget,

get, ita proculdubio in æternum victurum erit.

Atque hic demum ſucceſſus, partes Nerii non mediocriter afflixit, easque tam authoritate quam amicis privavit. Neque tamen hactenus illi, qui Repub. potiebantur, ſe uſquequaque tutos rati, decreverant præterea, poſtquam nimirum decennium à Repub. eum ad modum conſtituta, jam elapſum eſſet, Dictatura porro exſpiraſſet, penesque non paucos cives, tam verbis quam opere, plus animi, quam par eſſet, depræhenderetur, adminiſtrationem illam omnino muniendam, tamque amicos authoritate firmandos, quam adverſarios denuo opprimendos eſſe.

Eam ob rem, anno MCCCCXLIIII. Conſiliorum opera novos Dictatores conſtituere, à quibus tam officia priſtinis adminiſtratoribus confirmata, quam in paucos, legendorum Dominorum poteſtas, collata fuit. Grammatophylacium præterea quod reformationum vocant, diſponendum aggreſsi, Philippo Pienizio officio ſuo pulſo, alium cuius nimirum operæ à potentũ arbitrio penderent, ſubrogavere. Exulibus inde fines, tempusq; exilii, productum, Joannes Veſpuccius, Simonis filius, vinculis mancipatus, adverſarum partium duces exauctorati interq; hos Petrus Baroncellius, Serraglii omnes, Bartholomæus Fortinus, Franciſcus Caſtellanus, multiq; præterea alii. Atque iis quidem viis, tam authoritati atq; exiſtimationi ſuæ conſuluerunt, quam adverſariis atque ſuſpectis animos ademerunt. His in urbe ſic compoſitis, ad ea quæ extra eam gerebantur, converſi fuere. *Florentini Rempub. reſtaurant.*

Nicolaum Piccininum, ab Alfonſo, ſupra memoravimus, deſtitutum fuiſſe, Comes igitur, tam eam ob rem, quam ob Florentinorum auxilia jam potentior, eum ad Emporiam adgreſſus, tanta felicitate profligavit, ut quam pauciſsimo milite ſalvo Modoeciam (Montechium vocamus) confugeret. Verum eo loci ſubſiſtens Nicolaus, caſtraque muniens, eouſque impetum hoſtis ibi ſuſtinuit, quo omnes ipſius copiæ paucorum dierum intervallo, ad ipſum reverterentur, tantaque copia undique confluerent, ut jam *Piccininus à comite profligatur.*

Comiti

Comiti par eſſe poſſet, præſertim, quod ob hyemis aſperitatem, utrique ad hyberna digredi neceſſe haberent: Quo quidem tempore, Nicolaus reſtaurandis augendisque copiis potiſsimum incubuit, à Pontifice nimirum, Regeque Alfonſo, non mediocriter ſuffultus. Verè itaq; ſuccedente, utrinque copiis productis, rem gerere cœperunt, quo quidem in bello Comes, à Nicolao, in tantas anguſtias compulſus fuit, ut niſi conſilia Nicolai, à Duce everſa fuiſſent, Comiti omnino occumbendum eſſet. Verum Dux animo ſubdolo, arcana ſibi cum Nicolao corâm tractanda obtigiſſe ſimulans, ipſum, exercitu relicto, ad ſe quam ocius properare juſsit: Nicolaus, igitur ea cognoſcere percupidus, neglecta certa victoria, incerto bono inhians, relicto ad exercitũ filio ſuo Franciſco, Mediolanum petiit: Comes interim ea re animadverſa, occaſioné pugnandi, Nicolao abſente minime omittendam ratus, manus ad caſtrum Montis Lorii cum Nicolai copiis conſeruit, easque capto inſuper Franciſco profligavit.

Vires recolligit.

Comitẽ undique circumvenit.

A Duce callide avocatur.

Nicolaus Mediolani ſe à Duce eludi animadvertens, intellecta porro ſuorum clade, filiique captivitate, ex animi mœrore diem ſuum obiit, ætatis ſuæ anno LXIIII. ſæculi vero à Chriſto MCCCCXLV. belli quidem Dux inſignis, ſed virtute potius, quá ſucceſsibus felix. Superſtites reliquit duos filios, Franciſcum & Jacobum tam virtute quam fortuna inferiores patre, adeo ut militia illa Braccii, fere penitus extingueretur, Sforziana vero, fortunæ ſubnixa, indies magis magisque emergeret.

Mœrore absumitur.

Pontifex porro, copias Nicolai deletas, ipſumque extinctum animadvertens, neq; multũ auxilii à Rege jam exſpectans, ad pacem animũ inclinare cœpit, atque Florentinis intermediis, cum Comite huncad modum tranſegit, ut ex Piceno, Auximum, Fabrianum, atque Recanatium, ad Pontificem rediret, reliqua omnia Comitis imperio cederent. Pace in Piceno confirmata, pariter univerſa Italia pacata fuiſſet, niſi Bononienſes denuo turbaſſent. Agebant id temporis

poris Bononiæ duæ potentiſſimæ familiæ, Canneſchium nimirum atque Bentivogliorum, horum Hannibal, iſtorum Baptiſta primus erat.

Atque eæ quidem, quo invicem fidem mererentur, affinitatibus neceſſitudinem firmaverant, verum *inter eos, qui eandem authoritatem contendunt, affinitas quidem firmari queat, at amicitia nunquam.* Fœdus Bononienſibus cum Venetis atque Florentinis, opera nimirum Hannibalis Bentivoglii, poſt pulſum Franciſcum Piccininum, interceſſerat, Baptiſtam porro non latebat, quantopere Dux ejus urbis amicitiam expeteret, quam ob rem inter hunc atque Ducem clam conventum, ut Baptiſta Hannibalem interficeret, eamque urbem in Ducis amicitiam pertraheret. Conſtituto igitur ad necem, vigeſimo quarto Junii die anno MCCCCXLV. Baptiſta in Hanibalem impetu facto eum oppreſsit. Ducisque nomine vocato universam urbem metu replevit. *Quarum Principes Canneſchij & Bentivoglij.*

Atque legati quidem, tam Venetorum quam Florentinorum, qui id temporis Bononiæ agebant, ſeſe in arcem fuga primitus receperant, poſtquam vero populum, magno numero, in forum armatum, necemque Bentivoglii ultum confluere animadverterent, confirmato & ipſi animo ad hos conceſſere, agminique Canneſchiorum obviam progreſsi, non magno poſt intervallo id devicerunt, partemque eorum interfecerunt, partem urbe expulerunt. *Hannibal Bentivoglius à Canneſchiis interfectus.*

Baptiſta porro, cui nec aufugiendi, nec etiam inimicis ejus interficiendi poteſtas fuiſſet, ædibus ſuis exceptus, atque in tumba, frumento recondendo facta, deliteſcens, integrum diem ad necem fruſtra quæſitus fuit, poſtquam vero urbe non elapſum ſatis conſtaret, minis tandem ii, qui ejus perveſtigandi curam ſumſerant, effecerunt, ut à puero, metu perterrito, proderetur. Productus ergo, eumque quo armatus erat, ad modum, interfectus, tractusque per urbem, tandem igne abſumptus fuit. Ergo Ducis quidem victoria, conatibus iſtis vires ſuppeditavit, verum ejusdem potentia perficiundis iisdem tempore excluſa fuit. *Canneſchij urbe à civibus pulſi.*

A morte igitur Baptiſtæ, reliquorumque Canneſchiorum fuga, Bononia confuſionis undique plena manſerat, quod nimirum neminem, ex Bentivogliorum familia, ad Remp. adminiſtrandam idoneum, ea ſuperſtitem haberet. Licet etenim ex Hannibale filius ſexennis, cui Joanni nomen, ſupereſſet, metuebatur tamen, ne inter Bentivogliorum amicos, diſsidia ex adminiſtratione orirentur, eaque Canneſchiis, cum exitio urbis atque partium, reditum patefacerent.

In Bentivoglios propēſſimis.

At Comes Franciſcus, quem Pompilii foro excidiſſe ſuperiore libro narravimus, id temporis Bononiæ degens, in tanta animorum ſuſpenſione, potioribus civium convocatis, ſibi quendam, ex Hannibalis familia oriundum, certo conſtare dixit, atque Bononienſibus porro, Bentivogliorum adminiſtrationem deſiderantibus, narrare cœpit, qua ratione nimirum Hercules, Hannibalis ſobrinus vigeſimum ante annum, penes ſe Pompilii agens, cum adoleſcentula ejus caſtri conſueviſſet, exque ea filium, cui Santio nomen, gnatum ſuum eſſe, quam ſæpiſsime apud ſe teſtatus fuiſſet, quod quidem ita ſe habere, vel inde facile firmari queat, quod maximam, inter utrumque, eſſe ſimilitudinem, omnibus, quibus amborum conſpiciendorum facultas fuerit, manifeſto appareret.

Memoranda Bentivoglij nothi fortuna.
Eius origo.

Adhibuere Bononienſes verbis fidem, nullaque interpoſita mora, Florentiam ablegatis quibusdam civibus, cum ut adoleſcentem explorarent, tum à Coſmo Nerioque eundem deinceps obtinerent, curavêre. Obierat jam dudum diem ſuum is, qui Santii pater habitus eousque fuerat, Santiusque apud Antonium Caſceſium, patruum agebat, qui quidem Antonius opibus pollens, proleque deſtitutus, Nerio amico utebatur, viſum ergo Nerio, occaſionem iſtam nec plane contemnendam, neque etiam temere arripiendam eſſe, eam ob rem, unà cum Coſino, conſtituit, ut Santius, ipſis teſtibus, cum Bononienſibus colloqueretur. cum igitur conveniendi

Parens putaticius.

A Bononiēſibus poſtulatur, Lanā exercens.

veniendi Santii, Bononienſibus legatis copia facta fuiſſet, illi eum conſpectum, non modo honore affecerunt, ſed etiam, ab eo adorando, vix ſibi temperarunt, tantum nimirum ſtudium partium apud eos poterat: verum eo die nihil concluſum, præterquam quod Coſmus, ſevocatum Santium, ſic hortari cœpit.

Nemo equidem Santi, hac in re, melius te ipſo, ſententiam ferre queat, id enim tibi faciendum cenſeas ad quod, animum tuum, te exſtimulare ſenſeris: quod ſi etenim Herculis Bentivoglii filius ſis, tum ea tibi adgredienda eſſe noris, quæ illuſtri familiæ, patreque tuo Hercule digna ſunt, at ſi Agnolo Caſceſio ſatus ſis, tum tibi Florentiæ commorandum, atque lanificio vitam impendendam conſtituas. *A Coſmo prius excuſſum.*

Moverunt hæc verba non mediocriter animum adoleſcentis, adeo, ut qui jam, de omittenda ea conditione, ferè certus eſſet, tandem Coſmi Neriique ſententiæ acquieſcere ſe cupere diceret: re itaque cum Bononienſibus confecta, mox veſtibus, famulitio, equisque pro dignitate illuſtratus, paulo poſt magno cum comitatu, Bononiam conductus, atque liberorum Hannibalis Bentivoglii tutelæ præfectus fuit: Cui quidem muneri, adeo ſingulari prudentia præfuit, ut licet omnes, qui ipſum anteceſſerant ab inimicis circumventi extinctique fuiſſent, ipſe non modo tutus quietusque ageret, ſed etiam maximo in honore vitam deponeret. *Pro Bentivoglio habitus.* *Hannibalis liberis custodias.*

A morte Nicolai Piccinini, paceque in Piceno conſtituta, Philippus de duce, cui exercitum ſuum deinceps tuto concrederet, ſecum deliberare, eamque ob rem cum Ciarpellonio, potiſsimo copiarum Franciſci Comitis duce, clam agere cœpit. Re itaque inter hos transacta, Ciarpellonius, tanquam ad arces quasdam, à Philippo olim ipſi donatas, conceſſurus, miſſionem à Comite rogavit: at Comes, rem ipſam ſubodoratus, ne Dux hujus opera in ſe ipſum uti poſſet, eum in vincula conjectum, *Reipſa ſe Bentivoglium probat.*

quod nimirum contra ſe conſpiraſſe eum diceret, tandem exſtinxit: quæ quidem res Philippi odium in Comitem maximopere provocavit, eò tamen Florentinis ac Venetis gratior, quod nimirum quantum à copiis, Philippi, ſi eas cum Comitis viribus conjungi contingeret, ſibi metuerent.

Atque ex iſto quidem odio, novum bellum Picenum agitare cœpit. Imperabat id tempore Ariminenſibus, Sigismundus Malateſta, qui affinitate Comitis fretus, ejus ſiquidem filiam duxerat, Piſauro (quod Peſarum vocamus) inhiabat, at id Comes occupatum, Alexandro fratri ceſſerat, quod Malateſta peſsime excepit, præſertim quod, præter hanc injuriam, Fridericus à Montefeltro, Sigismundi hoſtis, opera Comitis Urbinatum ditionem occupaſſet. Hinc igitur Sigismundus in Ducis partes conceſsit, indeque Pontificem Regemque ad bellum Comiti movendum inſtigavit. Atque Comes quidem, quo in Sigismundum primi ex bello, quod tantopere deſideraverat, redundarent fructus, præveniendum ratus, improviſo ipſius ditionem invaſit, eaque ratione, univerſum Picenum, Flaminiamque commovit, ſiquidem unà cum Philippo, Pontifex atque Rex, Sigismundo ſuppetiis præſto erant, Veneti vero atq; Florentini Comitem, ſi non copiis, at ſaltem opibus levabant.

Bellum in Flaminia ſuſcitatum.

Neque ea ex parte, Comiti diſcrimen maturaſſe, Philippus contentus, inſuper eundem Cremona Appuaque exuere nitebatur, verum illi à Venetis, hi vero à Florentinis ſtrenue propugnati fuere. qua tamen ratione etiam in Longobardia bellum reſuſcitatum, cujus ſucceſſu, variosque in agro Cremonenſi poſt caſus, Franciſcus Piccininus, Ducis imperator, prope Caſalenſes, à Michaele Venetum imperatore profligatus fuit, quæ quidem victoria Venetos in ſpem erexit, poſſe Ducem univerſa ditione pelli, adeo ut legato Cremonam verſus amandato, omnem Ghiarradaddam provinciam, præter Cremonam

Ducis copiæ profligatæ.

occuparent,

occuparent, indeque Addam trajicientes, ex univerſa regione, usque ad muros Mediolanenſium, prædas agerent: easque in anguſtias Ducem compellerent, ut non modo ab Alfonſo ſuppetias rogaret, ipſumq; proprii diſcriminis, ſi forte Longobardiam Venetis cedere contingeret, commonefaceret, verum etiam apud Comitem precibus inſtaret, utpote ſine cujus aſſenſu, ſuppetiæ ab Alfonſo impetratæ, vix tuto pergere poterant, ne ſocerum, ſeneƈtute laborantem orbumque, deſtituere vellet. *Ipſeq; in anguſtias redactus.*

Licet igitur Comes à Duce laceſſitus, belloque difficillimo implicatus fuiſſet, quod tamen Venetorum potentiam reformidaret, nervoque præterea militiæ pecuniâ deſtitueretur, animo in utramtramque partem fluƈtuabat. Fœderati ſiquidem parcius pecuniam ſubmittebant, quod à Duce nimirum Florentini ſibi minus jam metuerent, Comitisque eam ob rem non adeo magnam rationem haberent, Veneti vero ejusdem potius exitium ſpeƈtarent, utpote à quo ſolo Longobardiam ſibi eripi poſſe arbitrarentur. Nihilominus, poſtquam hi Ducem cum eo paciſci, atque imperium univerſi exercitus, (modo à Venetorum Pontificisque amicitia diſcederet,) ipſi deferre animadvertiſſent, ne ſibi deeſſent, etiam ipſi, oratoribus ad Comitem miſsis, Mediolanum, ſi id aliquando in ipſorum manus devenire contingeret, perpetuumque copiarum Venetarum imperium, ipſi obtulerunt, modo bellum in Flaminia duceret, atque Alfonſum à Longobardia arcere pergeret. *Precibus Comitem emollit.* *Imperium exercitus ipſi defert.* *Idem & Veneti addito Mediolano.*

Atque Venetorum quidem pollicitationes, ut maximæ, ita eorum officia erga Comitem ingentia erant, utpote, qui Cremonæ protegendæ gratia, bellum iſtud Duci moviſſent, è contra Ducis injuriæ, recentem memoriam fodicabant, fides præterea ipſius fluxa atque infirma agnoſcebatur.

Dubius itaque Comes, atque utras in partes concederet ambiguus, hinc fœderatorum pactis, fide præterea ipſis præſtita, officiis recentibus, pollicitationibusque, inde vero ſoceri precibus urgebatur, inprimis vero à Venetorum fraudibus ſibi metuebat, manifeſtum nimirum eſſe, ſi quando ipſos victoria potiri contingeret, ut tam pollicitationum, quam provinciarum quæ ſibi obtuliſſent ratione, omnia in ipſorum arbitrio ſint futura cui quidem ſeſe tuto committere velle, minime prudentis ſit, neque unquam à quoquam Principe, niſi neceſsitate adacto, factitatum fuerit

Verum tot ambagibus, Venetorum ambitio tandem viam aperuit: ii ſiquidem clam, deditionem Cremonenſium, cum quibusdam in urbe pacti, porro quaſi aliud agerent, exercitu ad urbem ducto, antequam conatus ſuos perficerent, ab iis, qui ibi pro Duce ſtabant, detecti, eadem opera tam ſpe potiundæ Cremonæ, quam Comite ipſo excidére, utpote qui eam ob rem commotus, confeſtim ad Ducem concederet.

Nicolaus V. Papa. In fata id temporis conceſſerat Papa Eugenius, ſucceſſoremque habuerat Nicolàum V. Comesque univerſis cum copiis, jam Cotignolam pertigerat, quo inde in Longobardiam deſcenderet, *Philippi Ducis obitus.* cum rumor ad ipſum deferretur, Ducem ſub finem Auguſti (annus is erat MCCCCXLVII,) diem ſupremum exegiſſe. Atque hic quidem nuncius, Comitem non mediocriter perculit, nam præterquam quod copiis non adeo inſtructis eſſet, utpote quibus ſtipendia non integra obtigiſſent, tum maximopere à Venetis ſibi metuebat, quos nuper admodum inſtructiſsimos neglexerat, atque in Ducis partes conceſſerat. Angebatur porro ob Alfonſum, perpetuum ſuum hoſtem, tum neque in Papa, neque in Florentinis, quidquam ſpei ipſi ſupererat, in his quidem, quod Venetis fœdere jungerentur, in illo vero, quod

Pontificum

Pontificum provinciam ipſe occupaſſet. Interim animum minimè deſpondendum ratus, fortunam opperiendam, atque ex occaſione conſilia capienda duxit, nimirum *ſæpe inter agendum conſilia erumpere, quæ deſidendo nunquam emerſura fuisſent.*

Neque porro non animadvertebat, quod ſi Mediolanenſibus, Venetorum ambitioni reſiſtendum eſſe videretur, ipſis neceſſario ad ſua auxilia confugiendum eſſe. Ergo non parum animo inde confirmatus, Bononiam perrexit, inde Mutinam, Regiumque petiit, adque Lenzam ſubſiſtens, Mediolanenſibus copias ſtudiaque ſua obtulit.

Et Mediolanenſium quidem alii libertatem, alii Principem expetebant, horum iterum alii in Comitem, alii in Alfonſum inclinabant: Verum cum ii, quibus libertas placebat, magis uniti ſtarent, inde horum ſententia prævaluit, Remque publicam, qua melius poterant ratione, conſtituere adgreſsi ſunt, quæ quidem ratio à multis civitatibus repudiata fuit, utpote quorum aliæ æque libertatem, ac Mediolanenſes amplectℯrentur, aliæ vero aliud quam Mediolanenſium imperium ſibi expeterent. Ergo Lodinii atque Placentini ad Venetos conceſſere, Parma vero atque Ticinum (quod Paviam dicimus) in libertatem ſeſe vendicavere. *Mediolanēſes libertati ſeſe vindicant.*

Rebus eum ad modum turbatis, Comes Cremonam conceſsit, ibique tandem cum Mediolanenſium legatis pepigit, ut iisdem conditionibus, quibus à Duce nuper receptus fuerat, Mediolanenſibus militaret, inſuper Breſciam teneret, eam tamen occupata porro Verona, Mediolanenſibus cederet, Veronamque ſibi haberet. *Comitem ad ſtipendia vocant.*

Conſtituerat Papa Nicolaus, anteque Dux in fata conceſsiſſet, pacem univerſæ Italiæ reſtituere, eamque ob rem, cum Florentinorum oratoribus, qui eum ſalutatum iverant, de Comitiis Ferra-

Comitia Ferraria. riæ agendis, quibus quidem vel diuturnæ induciæ, aut firma pax concluderetur, convenerat. Profecti ergo erant legati Pontificis, Venetorum, Ducis, atque Florentinorum. Alfonſi vero oratores non comparuerant. Atque is quidem prope Tiburtinos,ſatis inſtructo cum exercitu conſederat, indeque Duci opitulabatur, perſuaſumque plerisque erat poſtquam Dux Comitem in partes ſuas pellexiſſet, pactum inter ipſos bellum in Venetos atque Florentinos eſſe,interea vero donec Comitis copiæ in Longobardiam deſcenderent,ipſos pacis ſpe reliquos ludificare, ſiquidem Alfonſus ad Comitia teſtatus fuerat, quæ Duci placuiſſent ſeu pacem perpetuam, ſeu inducias in quinquennium ſpectarent, ea etiam ſibi rata fore. Cum vero legati Ducis Mediolanum, ad explorandum ipſius ea de re animum, regreſsi eſſent, jam Ducem in fata conceſſiſſe, reverſi comperere.

Et Mediolanenſes quidem Comitiorum decretis acquieſcere cupiebant, id vero Venetis minus placebat, utpote qui ingenti jam ſpe univerſam eam provinciam ſibi devoraſſent. Poſtquam nimirum Lodinios atque Placentinos, mox ab obitu Ducis, imperium ſuum amplexos animadvertiſſent: ſperabant ſiquidem, Mediolanenſes haud difficulter univerſa provincia exui, urbemque ipſam, non multo inde intervallo, eas in anguſtias redigi poſſe, ut ea, omnium opinione atque auxiliis citius, opprimeretur: idque eo firmius animo ſuo perſuaſerant, quod Alfonſum Florentinosque bello implicari animadverterent.

Hærebat Rex eo tempore prope Tiburtinos,indeque Tuſciam,ex rationibus cum Philippo initis,invadere propoſuerat,cum ergo ex bello, in Longobardia jam ſuſcitato, occaſionem indies opperiretur, ſibique non parum conducturum arbitraretur, ſi in Florentinorum ditionem aliqua arte antequam manifeſto in ipſos moveret, penetrare poſſet,

poſſet, eam ob rem arcem Cenninam, ſupra vallem Arni ſitam, tentare adgreſſus, eam proditione occupavit. Atque Florentini quidem, inopinata iſta invaſione non mediocriter perculſi, mox militem ſcribere, Decemviros legere, atque pro more bello ſeſe accingere cœperunt. *Alfonſus Florentinis bellum infert.*

Interim Rex ad Senenſes uſq; penetraverat, omnique arte atque ſtudio hos in partes ſuas pellicere nitebatur: Verum Senenſes, in amicitia Florentinorũ, firmi permanſere, adeo ut nullum municipiorũ Regem exciperet, licet commeatu illum non arcerent; imbecillitatem ſuam Regisque vires cauſati. Eam ob rem, non integrũ amplius Regi viſum, per Arni Vallem, quâ primo conſtituerat, in Florentinum agrum irrumpere, tam quod arce Cennina iterum excidiſſet, quam quod Florentini aliquibus jam copiis inſtructi eſſent, verſus Volaterram deflectens, multas eius regionis urbes & municipia occupavit: inde in Piſanos movens, favere Henrici atq; Bonifacii Ghirardeſcię Comitum, non paucas arces ibidem cœpit, porroque Campiglium obſidione cinxit, verum fruſtra, quod nimirum id tam à Florentinis ſtrenue defenderetur, quam hyems ipſius copiis moleſtus eſſet. Diſtributis ergo Rex hinc inde per agrum Senenſem, præſidiis, reliquas copias ad hyberna reduxit.

Interim Florentini maximo ſtudio exercitũ coëgerant, atque huic Fridericum Urbinatium dominũ Fridericumq; Malateſtam præfecerant, ac licet inter hos non bene conveniret, fuere tamen eorum animi, prudentia Nerii Ginii atque Bernardetti Medicei legatorum ad exercitum, eum ad modum moderati, ut nondum hyeme elapſo, pari conſenſu, copias producerent, omnemque Piſanam ditionem, tum in agro Valaterrano regionem, quæ à malis medicis nomen ſortitur, omnem reciperent, Regiaque præſidia, quæ antea ad littus uſque maris prædas abegerant, in eas anguſtias compellerent, ut vix jam arces ſibi concreditas tuerentur.

Vere poſtmodum adpropinquante, Florentini

omnibus ſuis copiis productis, quæ quinque circiter equitum, peditum verò duo millia complectebantur, ad Spedallettum ſubſiſtere, Rex vero cum exercitu quindecim circiter millium, tres ad Campiglium miliaribus, tanquam id denuo obſeſſurus, conſedit, verum præter exſpectationem verſus Plumbinũ quã celerrime movens, id à ſe, maximo ſuo commodo, facile occupari poſſe ſperaverat, quod nimirum ſatis neglectum comperiſſet, porro occupatum, Florentinis perniciem allaturum eſſet certiſsimam, utpote qui inde diuturno bello exhauriri, Piſana porro regio omnis prædæ exponi, ad ipſum caſtrum, à Regia claſſe indies auxilia habere poſſet. Summopere, eam ob cauſam conatus iſti Florentinos ſollicitos tenuere, verum re diligentius deliberata, arbitrari cœperunt, ſi exercitum ſuum ad Senticetum, prope Campigliam, tuto habere poſſent, aut Regi omnino inde diſcedendum, aut ipſi cum ignominia occumbendum eſſe.

Quatuor ergo triremibus, quas in Ligurino portu habebant, inſtructis, trecentos milites impoſitos Plumbinum tuto expoſuere, inde ad Caldanas, (ſiquidem ad Senticetum in planicie periculoſum videbatur,) caſtrametati, ne facile ab hoſte invadi poſſent, ſibi proſpexere.

Petebat Florentinorum exercitus annonam, ex vicinis municipiis, quæ quidem, quod ea rara eſſent, neque incolis abundarent, difficulter ſubvehebatur, indeque exercitus annona, potiſsimum vero vino laborabat, nam cum ea vicinia eius ferax non ſit; neque id aliunde commode ſubveheretur, fieri non poterat, ut omni militi vinum ſuppeditaretur. Regius è contra exercitus, licet à Florentinis obſeſſus, omni re, (ſtramine excepto) quod nimirum ex claſſe omnia copioſe peteret, abundabat: eam ob rem Florentini periculum facturi, num eadem maris via exercitui ſuo proſpicere poſſent, quatuor triremibus rem adgreſsi ſunt, at earum duæ, à Regiis ſeptem triremibus captæ, duæ in fugam actæ fuere, atque hæc

Florentinorum triremes à Regia claſſe profligata.

hæc quidem clades, Florentinis ſpem reſtaurandi exercitus omnem ademit, ducentiſque circiter gregariis militibus anſam ſuppeditavit, ut deſerto Florentinorum exercitu, in caſtra Regis ſeſe fuga reciperent, reliquus præterea exercitus ad ſeditionem ſpectaret, nimirum locis calidiſsimis ſeſe diutius expoſitos eſſe nolle, ubi tam vino deſtituantur, quam aquæ ipſæ corruptiſsimæ ſint.

Viſum igitur legatis locum mutare, arceſque aliquas recuperare, quæ eouſque penes Regem manſerant: qui quidem altera ex parte, licet tam annona abundaret, quã numero præſtaret, nihilominus contagione infectum exercitum ducebat, quam loca maritima id temporis producere ſolent, qua quidem indies multi extinguebantur, fereque omnes laborabant.

Eam ob rem de compoſitione agi ceptum, petitaque Regis ex parte, quinquaginta Hungaricorum millia, tum ut Plumbinum à Florentinis ipſius arbitrio exponeretur. Quæ quidem poſtulata, multis Florentinorum pacem deſiderantibus, amplectenda videbantur, neque etenim animadvertere ſe poſſe, qua ratione ex bello iſto victoria ſperetur, cui gerendo tam immenſi ſumptus requirantur.

At Nerius Capponius Florentiam digreſſus, tam evidenti ratione eam ſententiam refutavit, ut uno ore eam conditionem omittendam, Plumbinique Dominum in clientelam ſuam recipiendum, eumque, tam pacis quam belli tempore tuendum ſibi eſſe decernerent, modo ipſemet ſibi deeſſe nollet, ſed ſeſe, quod hactenus ſtrenue egiſſet, defendere pergeret. Eam igitur ſententiam cum Rex intellexiſſet, deque Plumbino, ob exercitum contagione tabeſcentem, expugnando, jam deſperaret, tandem obſidionem ſolvere, atque cum reliquis copiis, duo ſiquidem circiter millia lues abſumſerat, in Senenſium agrum, pauloque

poſt

poſt in regnum ſuum ſeſe recipere coactus fuit, novo vere novum bellum Florentinis ſeſe moturum, nō obſcure ſignificans.

Hæc dum eum ad modum in Tuſcia gererentur, Comes interim Franciſcus, Mediolanenſium jam imperator, ante omnia Franciſcum Piccininum, qui eodem tempore apud Mediolanenſes merebat, ſibi devinciendum eſſe conſtituit, quo nimirum eo benevolo, vel ſaltem minus adverſo uteretur. Inde cum exercitu, in Ticinenſes movere cœpit, qui quidem tam inſtructis copiis impares, atq; Mediolanenſium imperium faſtidientes, Comitis clientelæ ea conditione, ne ipſos Mediolanenſibus reſtitueret, ſeſe dedidere.

Et ardebat quidem Comes, eorum obtinendum, deſiderio ingenti, quod nimirum conatibus ſuis, magnum momentum allaturi viderentur, neque porro vel metu, vel verecundia, quod fidē fregiſſe dici poſſet, inde arcebatur. Siquidem *magni viri, id vitio ducunt, ſi quid amittant, non ſi quid actu dolóve obtineant*: Verum hoc potius metuebat, ne Mediolanenſes eo facto in ſe concitati, Venetis ſeſe dederent, aut ſi ipſe hanc conditionem non amplecteretur, Ticinenſes fortaſsis Sabaudum reciperent, utpote ad quem multorum animi ſpectarent, adeo, ut utroque caſu, imperio Longobardiæ excidere, non præter rationem, timeret.

Ticinum Sfortiæ cedit. Re tamen diu multumque ponderata, tandem minore cum diſcrimine urbem ſe recipere, quam pati poſſe, ut ea ab alio occuparetur, apud ſe conſtituit, præſertim quod Mediolanenſibus, perſuaſionibus ſuis, imponi poſſe ſperaret, quibus quidem ob oculos poſuit, quanto in diſcrimine ſumma rei conſtituta fuiſſet, ſi Ticinenſes, vel ad Sabaudum, vel ad Venetos, concedere contigiſſet, cæterum Mediolanenſibus ſuam potius amicitiam, quam alterutrius iſtorū expetendam eſſe.

Non leviter caſum iſtum Mediolanenſes habuere, quod nimirum Comitis ambitionem ſcopumq; inde non obſcure deprehendere ſibi viderentur: Verum id pro

id pro tempore diſsimulandum rati, ſiquidem præter Comitem nil niſi Veneti excipiendi ſupererant, quorum interim ſuperbiam maximopere averſabantur, in huius amicitia perſiſtendum, malisque quantum eius fieri poſſet, alia via obviam eundum eſſe, decreverunt. Facile nimirum occurrere poſſe, ut à Venetis liberi, tandem etiam huius imperium excuterent. Uno eodemq; ſiquidem tempore, non modo à Venetis, ſed etiam à Genuenſibus, atque Sabaudo, Coroli Aurelianenſis nomine, qui ex Philippi Sorore natus eſſet, petebantur, quos quidem motus omnes Comes facile oppreſsit. Soli itaque Veneti, qui inſtructiſsimo exercitu provinciam invaſerant, atque Lodinio, Placentiaque potiebantur, propulſandi ſupererant.

Placentiam ergo Comes aggreſſus, eam poſt diuturnam obſidionem cepit atque diripuit, inde in hyberna copiis diſtributis, ipſe Cremonam petiit, unaque cum conjuge hyemem ibi exegit. *Comes Placentiam cepit.*

At ineunte vere tam Venetorum quam Mediolanenſium copiis iterum productis, Lodinium Mediolanenſibus expugnandum videbatur, quo ſi potiri daretur, pacẽ cum Venetis conſtituere decreverant, ſiquidem tam ſumptuum pertæſi, quam fides imperatoris ipſius ſuſpecta erat, adeo ut publici nomine pacem expenderent, quo nimirum & quieſcere & Comitem à cervicibus ſuis amovere, tandem daretur. Eam ob rem, caſtrum Caravaggianum ſibi potiſsimum expugnandum eſſe duxerant, quo nimirũ occupato, Lodinium deditione obtineri facile poſſe arbitrarentur. Atque paruit quidem ea in re Comes Mediolanenſibus, licet Addã trajicere, Breſcianumque agrum invadere ſatius duxiſſet. Caravaggio igitur obſidione cincto, foſsis præterea valloque ductis, Comes eum ad modum caſtra ſua munivit, ut Venetis, eorũ oppugnandorum facultas, pene omnis adimeretur. *Caravaggii obſidet.*

Veneti contra exercitum ſuum, Micheletto imperatore, caſtris iſtis tam prope locaverant, ut jaculi duplicat

plicato ictu vix inter ſe utraque diſtarent, atque ſæpius velitationibus alii alios laceſſerent, nihilominus Comes caſtrum eas in anguſtias jam redegerat, ut indies eius deditionem merito expectaret, quod quidem Venetos adeo angebat, ut ex huius rei ſucceſſu, de ſumma rerum decretum eſſe arbitrarentur.

Diſputatum eam ob rem, magno conatu, inter belli duces, quanam ratione obſeſsis ſuppetiæ ferendæ eſſent? neque interim alia via patebat, quam ſi hoſtis, intra munimenta ſua, peteretur, quod iterum manifeſtiſsimo diſcrimine non carebat. Verum tantum momentum ipſis, in Caſtri iſtius expugnatione, ſitum videbatur, ut Senatus Venetus, alioquin timidiſsimus, atque ab omni conatu, vel tantillum dubio, alieniſsimus, ne caſtro illo exciderent, potius ſummam totius rei diſcrimini exponere, quam eo amiſſo, etiam omni conatu excidere conſtitueret.

Decretum igitur, quacunque tandem via, irruptionem in caſtra Comitis faciendam eſſe: cui rei perficiundæ, ſummo quodam mane in munimenta, qua illa minus ſedulo cuſtodiebantur, irruere cœpere, ſubitaque ea invaſione, omnem Sforziæ exercitum, (ut in iis, quæ minus exſpectes, ut plurimum occurrere ſolet) non mediocriter turbavêre: verum Comitis induſtria omnia mox reſtituta, Venetorumque copiæ, poſtquam eæ Vallum ſuperare ſæpius fruſtra conatæ eſſent, non modo repulſæ, verum etiam eum ad modum profligatæ fuere, ut ex univerſo exercitu, qui duodecim equitum millibus conſtabat, vix mille fuga ſalutem adipiſcerentur, reliqui omnes, una cum omnibus impedimentis, in hoſtis poteſtatem devenirent: adeo ut non conſtet, in eum usque diem, majore atque pernicioſa magis clade, Venetos unquam affectos fuiſſe.

Venetorum clades inaudita.

Cæterum inter captivos deprehenſus fuit quæſtor Venetus, qui ante prælium ſæpius, extremis injuriis,

Comi-

Comitem, tanquam Spurium vilemque provocaverat: atque is quidem in vinculis, provocationis iſtius non immemor, ſummopere à Comite, ne pro rei atrocitate haberetur, ſibi metuebat, eam ob rem, cum Comiti ſiſteretur, animo plane muliebri atque conſternato, (quod nimirum *ſuperborum proprium eſſe* " *ſolet, ut in proſperis elati, in adverſis vero timidi abjectique* " *ſint*) in genua provolutus, veniam rogare, Comitisque clementiam invocare cœpit. Comes eum, porrecta dextera, humaniter erectum, bono animo eſſe, beneque ſperare juſsit, poſtea ſermone ad ipſum converſo, mirari ſeſe dixit, qui fieri potuerit, Virum tantæ prudentiæ atque gravitatis, quantam is ſibi tribuere, nimirum conſueſſet, eò dementiæ proruere, ut injuriis eos laceſſeret, qui eas nulla ratione promeruiſſent, Nam quod ad ea ſpectaret, quæ ſibi ab ipſo exprobrata fuiſſent, ignorare quidem ſeſe, quid Sforziæ patri ſuo cum Lucia matre fuerit, neque etenim ei ſe rei interfuiſſe, aut de ratione, qua illi ſeſe conjunxiſſent, conſtituere potuiſſe, adeo quidem, ut earum rerum, quæ illi inter ſe egiſſent, nec laudem, nec ignominiam, in ſe redundare poſſe, perſuaſum haberet, id vero certo ſibi conſtare, ea quæ ipſemet egiſſet, eum ad modum adminiſtrata fuiſſe, ut nullius repræhenſionem merito incurrere debeat, cuius quidem rei ipſemet, unà cum ſuo Senatu, veriſsimum, adeoque recentiſsimum teſtimonium exhibere queat: Hortatus tandem, ut in poſterum & modeſtius loqui, & cautius agere diſceret.

Ab iſta victoria, Comes in Breſcianum agrum cum copiis profectus, omnem iſtam oram, facile occupavit, caſtriſq; poſtmodum prope Breſciam collocatis ſubſtitit. At Veneti, id futurum ominati, eam præſidiario milite, qua melius poterant, poſt cladem, ratione, firmaverant, omniq; porro celeritate copias ſcripſerant, reliquiasque exercitus his conjunxerant, tum à Florentinis ex pacto auxilia petierant,

atque

atque ab iis, quod Alfonſus in regnum jam reverſus eſſet, mille pedites, duoque equitum millia obtinuerant, quibus quidem copiis ſubito coadunatis, Veneti de compoſitione cogitare agereque cœperunt.

Status Reip. Venetæ. Erat id temporis Venetorum Reipub. propemodum fatale, ut in bello occumberent: porro ea, quæ pugnando amiſiſſent, per compoſitionem uberius utplurimum recuperarentur. Non latebat ergo Venetos, Mediolanenſes de Comitis fide ambiguos eſſe, neque porro ignorabant, Comitem non imperatorem, ſed Dominum Mediolanenſium eſſe cupere, in ſuo demum arbitrio eſſe, pacem, vel cum his, vel cum illo, firmare, utpote quam hic ambitione, illi formidine moti, utrique cupidè amplexuri eſſent. Decrevere igitur cum Comite ea de re agere, auxiliaque ſua, ad occupandum Mediolanum, ipſi offerre, perſuaſi, Mediolanenſes à Comite eluſos atq; deceptos, vindictæ ſtudio, in cuiusvis potius, quam ipſius clientelam, conceſſuros, porro in eas anguſtias delapſos, ut nec ſeſe ipſi defendere, nec Comiti ſalutem ſuam committere tuto poſſent, neceſſario tandem (omni alia ſpe excluſos) in ipſorum manus deventuros.

Veneti cum Sforzia paciſcuntur. His ita conſtitutis, animum Comitis tentare cœperunt, atque eum quidem pacis percupidum nacti ſunt, utpote qui victoriam ad Caravaggium, ſuam potius, quam Mediolanenſium eſſe mallet. Ergo tandem tranſactum, pactumque, ut Veneti in ſingulos menſes, quouſque Comes Mediolano potiretur, XIII florenorum millia ipſi penderent, præterea quatuor equitum, duo peditum millia auxilio ſubmitterent: Comes vero omnia, quæ in bello iſto occupaſſet, omnesque eo bello captos, Venetis reſtitueret, iisque finibus acquieſceret, qui in Ducis Philippi poteſtate, ſub eius obitum fuiſſent.

Atque hæc quidem transactio, longe majorem luctum apud Mediolanenſes excitavit, quam ii, ex victoria apud Caravaggium, lætati fuiſſent. Lugebant principes, mœrebat populus, lachrymis fœminæ, pueri, puellæque, madebant, atq; univerſim omnes Comiti

miti fidem atque proditionem exprobrabant. Licet vero nec precibus nec pollicitationibus, eum ab ingrato animo revocari poſſe quidquam ſperarent, nihilominus oratores ad ipſum ablegandos, vel eam ob rem cenſuere, ut ipſis ſaltem liqueret, qua fronte, quibusve verbis, ſcelestum iſtud facinus excepturus atque illuſtraturus eſſet. Atque eorum quidem unus Comitem hunc ad modum allocutus fertur.

Mediolanenſium apud Comitem expostulatio.

Solent illi, qui aliquid impetrare cupiunt, aut precibus, aut præmiis, aut minis animos adgredi, quo illi vel miſericordia, vel utilitate, vel metu permoti, ad ea, quæ poſtulantur, concedenda inclinentur. Verum cum apud homines crudeles avarosque, præſertim ſi potentia præſtare ſibi videantur, iſtiusmodi rationibus locus plane nullus ſuperſit, equidem fruſtra ii laboraverint, qui vel precibus emolliri, vel pollicitationibus provocari, vel minis exterreri iſtiusmodi homines poſſe arbitrentur. Poſtquam ergo (licet ſero nimis) crudelitatem, ambitionem, ſuperbiamque manifeſto deprændimus, equidem non ideo te convenimus, ut quidquam vel à te petere, vel ſi quid petendum ſit, id abs te obtineri poſſe conſtituerimus ſed potius ut tibi in mentem revocemus, quot quantisque beneficiis, à populo Mediolanenſi affectus fueris, quantaque porro ingratitudine ea penſaveris, quo nimirum inter tot calamitates, quæ undique nos circumvallant, vel hoc levamenti, ea exprobrando, deguſtemus. Neque porro te latere queat, quænam, ab obitu Ducis noſtri Philippi, tua conditio fuerit: Pontificem nimirum Regemque habebas hoſtem, Venetos porro atque Florentinos deſertor abalienaveras, iisque, eam ob rem, juſto dolore iraque percitis, tum quod tua opera amplius non indigerent, propemodum hoſtibus utebare, redieras ex bello quod cum Pontifice geſſeras, exhauſtus, exiguis cum copiis, amicis, opibusque deſtitutus, omnique plane ſpe vacuus, poſſe te deinceps dignitatem tuam ditionemque, pro exiſtimatione tua, defendere, quæ porro etiam ipſa peſſum iviſſent, niſi ſimplicitas noſtra tibi

præſto fuiſſet, ſoli ſiquidem nos gremio noſtro te excepimus, ob eam nimirum Venerationem, quâ feliciſsimi noſtri quondam Ducis memoriam proſequebamur, perſuaſi nimirum eramus, poſtquam affinitate, recentique amicitia eum contingebas, etiam ipſius amorem in hæredes tranſiiſſe, ipſiusque beneficia noſtris cumulata, non modo firmam, ſed etiam perpetuam atque indiſsolubilem amicitiam noſtram reddere poſſe, quàm quidem ob rationem, antiquis ipſius pactis, nos Veronam aut Breſciam cumulavimus. Quid porro, Deum fidem! tibi aut dare, aut polliceri, in noſtra poteſtate fuiſſe dicas? quid etiam obſecro, non dicam à nobis, ſed pro temporum ratione, à quovis deſiderare ne dicam petere potuiſſes? Ergo inſperato beneficio à nobis te illuſtratum, nos contra, in ejus vicem, inſperata calamitate à te remuneratos, inficiari vix queas. Neque porro iniquum tuum animum in hunc usque diem omnino nos celatum voluiſti, quin vix imperatoria authoritate à nobis auctus fueras, quin contra jus atque fas omne Ticinum in clientelam tuam reciperes: quod quidem facinus monere nos debuerat, quis finis de tua amicitia ſperandus nobis eſſet, tulimus tamen injuriam iſtam, quod nimirum arbitraremur, poſſe ambitionem tuam, magnitudine iſtius præmii tandem exſaturari. Verum eheu! quî queat aliqua pars illis ſatisfacere, qui toto inhiant? Pollicebare quidem, omnia quæ deinceps occupares, in noſtra poteſtate futura, ſcilicet te non latebat, quæ ſucceſſu temporis nobis elargires, ea una opera nobis à te eripi facile poſſe, quod quidem victoria apud Caravaggium manifeſtum fuit, ea ſiquidem, primo ſanguine opibusque noſtris parta deinceps exitio noſtra confirmata fuit. O infelices urbes! quibus libertas ſua contra ambitionem eorum, qui eam oppreſſam cupiunt, defendenda eſt, at pol longe infeliciores, quibus neceſſe eſt, milite mercenario atque infido, ſicut modo tuo, eam tueri. Sit modo hoc exemplum admonitione

poſteris

poſteris,poſtquam Thebarum atque Philippi Macedonis nos minus erudire potuit, qui quidem poſt victoriam,ab eorum hoſte partam, ex imperatore in hoſtem, poſtmodum in Principem ipſorum abiit, Ergo nulla amplius culpa nobis merito imputari queat, quam quod nimiam fidem in eum congeſsimus,cui minus nobis fidendum fuerat, vita ſiquidem tua anteacta, animus tuus vaſtus, nullo hactenus gradu ſorteque contentus, nos admonere, neque porro illi fidem habere debueramus,qui Luccenſium Dominum prodidiſſet, Florentinos atque Venetos exſuxiſſet,Ducem parvi æſtimaſſet, Regem floccifeciſſet,atq; quod iſthæc omnia longo intervallo ſuperat,Deum ſummum ,atque ejus Vicarium, tot injuriis proſecutus fuiſſet neque unquam in animum noſtrum inducere,tot tantosq; Principes minore authoritate penes Franciſcum Sfortiam,quam ipſos Mediolanenſes,vel etiam his fidem ſervatam fore, quæ toties aliis violata fuiſſet. Interim imprudentiam hanc noſtram, perfidiam tuam quidquam excuſare, minime arbitrere, nec te ea liberatum iri, à tanta infamia, quam juſtiſsimæ noſtræ lachrymæ, per univerſum Orbem,in te provocaturæ ſunt:neque etiam conſcientiæ ſtimulum te minus perſecuturum,ſi quando arma noſtra ,nobisque ad defenſionem noſtram, aliorumque populſionem parata, in viſcera noſtra convertere tibi viſum ſit, ſiquidem ea ipſa tibi abunde ſuggeret inculcabitque, te eadem pœna, quam Parricidæ commeruerunt, æque dignum eſſe: aut ſi ambitione tua obcæcatus, ea minus perſpicere queas, nihilominus univerſus orbis, perfidiæ tuæ teſtis locupletiſsimus, oculos tibi aperturus eſt,imò Deus ipſe, modo perjuria,modo violatam fidem,modo proditiones averſetur,modoq; deinceps,quod,quidē hactenus occulti alicujus boni cauſa ſedulo fecit, ſceleratorum hoſtis eſſe pergat. Noli igitur victoriam tibi certam hactenus polliceri, ſiquidem, tam juſto Dei judicio, ab ea ex-

X 2

cludêre,quam etiam nos parati ſumus,non niſi cum morte libertati noſtræ valedicere , eamque (ſi ea tandem defendi amplius nequeat) cuivis potius Principi, quam tibi ſubjicere: quod ſi vero peccata noſtra promeruerint,ut præter omnem noſtram voluntatem,in tuas tandem manus deveniamus, hoc tibi nihilominus quam perſuaſiſsimum habeas, imperium iſtud, quod fraude atque infamia cœpiſti, in teipſo,aut ad ſummum in filiis tuis, cum ignominia atque clade finem habiturum.

Ad ea Comes, licet multifariam ſeſe morderi intelligeret, nihil vel verbis vel geſtu turbatus, ſic reſpondit,Cupere ſe commotis ipſorum animis,atrociſſimas imprudentis ſermonis injurias condonare, ad quas quidem particulatim reſpondere paratus ſit, ſi coram competente judice lis agenda foret,manifeſto ſiquidem demonſtrari poſſe non ſe Mediolanenſes injuria affeciſſe: ſed ſaltem caviſſe, ne illi injurii in ipſum eſſe poſſent, neque etenim ambiguum eſſe, qualiter à victoria apud Caravaggium ſeſe geſſerint, atq; loco promiſſæ Breſciæ aut Veronæ, cum Venetis paciſci atque tranſigere conati ſint, quo nimirum penes ſe ſolum, onus graviſsimum tantæ inimicitiæ, apud ipſos vero fructus victoriæ, pacisque jucunditas,omneque ex bello emolumentum remaneret: adeo, ut nulla ratione dolere queant, eam ſe pacem amplexum eſſe, ad quam ipſemet primi adſpiraverint,quam quidem,ſi firmare vel tantillum diſtuliſſet, non jam ipſis,ſed ſibi de ingratitudine iſta, quam modo tot verbis illuſtraſſent,expoſtulandum apud ipſos fuiſſe,quæ quidem, an vero an falſo prætexatur, id porro eventu ejus belli,eundem Deum, quem vindicem injuriarum poſtulent,probè demonſtratum,unde nimirum liquere tandem poſsit , quænam partium Deo propitio atque benevolo, juſtoque titulo pugnaverit.

Digreſsis oratoribus , Comes ad expugnandos Mediolanenſes,illi vero ad ſua defendenda ſeſe accingere cœpere, conductis ſiquidem Franciſco atque

Jacobo Piccininis, utpote qui ob antiquum, inter Braccios,Sforzianosque,odium,in fide Mediolanenſium permanſerant, libertatem ſuam, vel eousque tuendam ſumſere,donec Venetos à Comitis amicitia forte avellerent,utpote quos nec fidos nec diuturnos ipſi amicos fore, arbitrarentur.

Ex altera parte Comes ejusdem rei non ignarus, ſapientis eſſe judicavit,eosdem,quos pacta in officio continere vix poſſent,præmio firmare: eam ob rem, cum de bello gerendo inter ipſos ageretur, non difficulter ceſsit,ut Veneti Cremonam, ipſe vero reliquam ditionem invaderet. Atque ea quidem aſtutia effecit,ut Veneti eousque in amicitia perſiſterent, quo ipſe omnem Mediolanenſium provinciam ſub poteſtatem ſuam redegiſſet, urbemque ipſam in eas jam anguſtias compuliſſet, ut nihil rerum neceſſariarum,ad eam commeare, deinceps poſſet. *Cremam legendum duce.*

Eam ob rem Mediolanenſes,omni auxilio opéque deſtituti,oratum Venetias oratores miſêre,ut conditionis ſuæ miſereri,atque pro conſuetudine Rerumpub.libertatem ſuam potius quam Tyrannum, tueri mallent, cujus quidem ferociam,ſi Mediolanum occupare ipſum contingeret, vix pro arbitrio cohibere poſſent, neque ſibi perſuadeant, eum finibus iis, quos pacta conſtituunt, acquieturum, ſed antiquos potius Mediolanenſium terminos vendicaturum. Hæc dum apud Venetos agerentur,neque illi Crema hactenus potiti eſſent,publice quidem oratoribus reſponderunt,non licere ſibi à pactis recedere: privatim vero ſpem fecerunt, qua confiſi Mediolanenſes in compoſitionem ſecuri recumbere poſſent.

Atq; Comes quidem eousq; obſeſsionem duxerat, ut in ipſis ſuburbiis jam pugnaretur,cum Veneti Cremenſium potiti,neq; ultra differendum rati,cum Mediolanenſibus transigerent, atque eorum libertatem defendendam potiſsimum ſibi ſumerent. *Veneti, Sforzia deſerto, cum Mediolanēſibus tranſigunt.*

His eundem ad modum transactis, Veneti copiis ſuis,quæ Comiti militabant,ſignificarunt, ut eo neglecto,in Venetorum ditionem pedem referrent,Co-

mitis etiam poteſtati reliquere, intra vigeſimum diem eadem pacta amplecti. Neque id quidem Comiti mirum fuit, utpote qui jam dudum artes iſtas perſpexiſſet, atque eas maturius expectaſſet, interim efficere non potuit, quin rem iſtam ægerrime ferret, neque adeo minus doleret, quam Mediolanenſes, ob ipſius deſertionem, affecti fuiſſent. Nihilominus recollecto animo, Venetorum oratores, qui transactionem ad ipſum detulerant, bidui ſpatium, tanquam deliberaturus, petiit, interim de oppugnatione continuanda apud ſe certus, licet publice tranſigere ſe cupere ſimularet, eamque ob rem oratores, ad pacem firmandam, ampliſsimis mandatis inſtructos Venetias ablegaret, quibus tamen ſecreto injunctum erat, ne ulla ratione eam cofirmarent, ſed novis ſubinde cavillationibus potius eluderent. Quo vero Venetis magis magisque imponeret, eosque plane dementaret, in menſem porro cum Mediolanenſibus inducias pepigit, copiasque ſuas hinc inde, in vicina illis loca, quæ hactenus occupaverat, diviſit.

Comite [illegible] vici [illegible]

Atque hæc quidem aſtutia, tam ipſi victoriam, quam Mediolanenſibus exitium peperit: Veneti ſiquidem pacis jam apud ſe certi, inde quæ ad bellum neceſſaria erant, ſegnius proſpiciebat, Mediolanenſes vero, quod exercitum abductum Venetosque ſibi amicos cernerent Comitem ab incepto deſtituturum omnino perſuaſi erant: quæ quidem opinio, duplici nomine Mediolanenſibus nocumento fuit, primo, quod defenſioni ſuæ eò minus proſpicerent, ſecundo, quod agrum ab hoſte deſertum, (ſementis ſiquidem tempus erat) copioſe conſererent, qua quidem ratione factum eſt, ut poſtmodum eò facilius, ob famem, à Comite occuparentur. Comiti contra eæ res omnes, quæ hoſti nocebant, maximo emolumento fuere, ut taceam, eadem via eum & reſtaurandi exercitus, & auxilii conquirendi copiam nactum fuiſſe.

Cæterum Florentini hactenus huic bello ſeſe non immiſcuerant,

iſnmiſcuerant, neque Comiti quidquam auxilii, vel pro Mediolanenſibus, vel contra ipſos ſuppeditaverant, neque etiam Comes, utpote opis non admodum indigus, ea inſtantius expetierat: licet illi poſt cladem ad Caravaggium, Venetis ex fœdere auxilia ſubmiſiſſent. Poſteaquam vero Comes ſeſe undequaque deſertum animadverteret, neceſſe plane habuit, eorum opem tam publice, quam privatim apud amicos, præſertim apud Coſmum, implorare, utpote cum quo hactenus conſtans amicitia ipſi interceſsiſſet, & à quo, in omni diſcrimine, tam conſilio quam opibus, quam fideliſsime adjutus fuiſſet. Neque ſane in extremo iſto periculo à Coſmo neglectus, ſed potius largiter habitus, atque ut in cepto perſiſteret, monitus fuit. Quin etiam à Rep ipſi ſubveniri cupiebat, quod tamen difficilius ſuccedebat. *Qui Florentinos auxilia rogat.*

Erat ſiquidem Nerius Ginius Capponius potentiſsimus, cui inter primos, non è re publica futurum videbatur, Mediolanenſes à Comite occupari: ſed conſultius, atque ex commodo univerſæ Italiæ eſſe, à Comite pacem ratihaberi, bellumque componi, quod nimirum inprimis metueret, ne forte Mediolanenſes, ex nimio erga Comitem odio, penitus ad Venetos concederent, quod quidem omnibus univerſim exitioſum futurum ſit. Quod ſi vero Comitem Mediolano potiri contingeret, non eo minus tantam potentiam formidini eſſe debere, poſtquam nimirum facile judicari queat, quod ſi hactenus eò, tanquam Comite intollerabili uti contigiſſet, porro longe intollerabiliorem, tanquam Ducem, ſeſe eum proculdubio exhibiturum. Eam ob rem ſatius non ſaltem Reipub. Florentinæ, ſed adeo univerſæ Italiæ eſſe, ut Comiti imperatoria ſua authoritas conſtet, atque Longobardia in duas Respub. dividatur, quæ quidem nunquam adeo inter ſe uniri queant, quo aliis inde quidquam extimeſcendum ſit, porro ſeparatæ, minus nocere poſſent: eam ob rem *Oratio contra Comitem.*

Comitem negligendum, atque fœderi cum Venetis, ſuo quidem judicio, inſiſtendum eſſe, porro rationes iſtæ, qui Coſmo ſtudebant, minus ſatisfaciebant, utpote quibus videretur, Nerium non amore Reip. ad ea ſuadenda, moveri, ſed metuere potius, ne Comes, Coſmi amicus, tanta authoritate potiretur, atque Coſmi authoritas inde immenſum excreſceret.

Oratio pro Comite.

Coſmus ergo contra demõſtrabat, univerſæ Italiæ, atque Reipub. adeo Florentinæ, utiliſsimum eſſe Comitem Mediolano potiri, parum prudentis ſiquidem eſſe exiſtimare, Mediolanenſes libertatem ſuam tueri poſſe, ſiquidem tam civium iſtorum ingenia quam ratio vivendi, partium præterea ſtudia extincta, omni rationi civilis adminiſtrationis manifeſto repugnarent, ut tandem omnino neceſſum ſit, eos vel à Comite, vel à Venetis occupari. Atque alterum quidem ſi fiat, tum neminem adeo deſipere, qui non facile dijudicare queat utrum horum præſtet, habere nimirum vicinum amicum potentem, aut habere hoſtem propinquum infenſiſsimum. Neque porro, ſuo quidem judicio, metuendum eſſe, ne Mediolanenſes, quod bello à Comite petantur, ad Venetos concedant, ſiquidem Comes, in ipſo Mediolano, ſuos fautores, eousque tanto numero habeat, ut quotiescunque de libertate ſua cives actum eſſe viderint, ipſi omni procul dubio potius in Comitem, quam in Venetos propenſuri ſint.

Atque hæc quidem ſententiarum diverſitas diu Rempub. Florent. ambiguam habuit. Verum tandem decrevêre, oratores ad Comitem ablegandos, conditionesq; transactionis explorandas: præterea, ſi Comitem vincere poſſe veriſimile ſit, pacem firmandam, ſin minus, cavillis eludendam eſſe. Cæterum oratores illi, vix Regium Lepidi attigerant, cum ipſis renunciaretur, Comitem Mediolano jam potitum eſſe.

Poſtquam etenim induciarũ tẽpus elapſum eſſet, non diutius Comes diſsimulandum ratus, copias ſuas iterum

iterum ad urbem admoverat, eam invitis Venetis occupari poſſe confiſus, quod nimirum illi, nulla alia ex parte, quam verſus Addam, Mediolanenſibus ſuppetias ferre, at ea via facillime arceri poſſent, neque porro metuebat, quod hyems eſſet, ne Veneti iterum cum copiis ſibi infeſti eſſent, antequam vero hyems effluxiſſet, victoriā eo certius ſibi pollicebatur, quod Franciſcus Piccininus diem ſuum obiiſſet, ſolusque Jacobus, ipſius frater, exercitum Mediolanenſium moderaretur. Veneti, eam ob rem, oratorem ſuum Mediolanum ablegaverant, quo tam cives eos, ad defendendam libertatē ſuam, exhortaretur, quam porro certa atque propinqua auxilia ipſis polliceretur.

Interea temporis, durante adhuc hyeme, aliquot velitationibus Veneti Comesque rem egere, at vere jam propinquo, Veneti Pandolfo Malateſta imperatore, ſupra Addam caſtra poſuere, ibique ambigui, num fortunæ alea tentanda, Comesque invadendus eſſet, diu multūq; diſceptavere. Viſum tandē Pandolfo, ob Comitis peritiam, roburque ſuorum, militum, haud temere quidquam periclitandum; præſertim quod citra pugnam debellari poſſet, poſtquam nimirum Comitem, tam ſtramine quam frumento laborare, ſatis conſtaret. Eam ob rem eo loci ſubſiſtendum, animumque inde Mediolanenſibus addendum, ne conſilii inopes, atque ab auxiliis plane excluſi, ad Comitem deficerent. Atque id quidem conſilium Venetis placuit, tam quod id omnium tutiſsimum arbitrarentur, quam quod ſperarent, Mediolanenſes eum ad modum ſuſpenſos, neceſſario Imperiū ipſorum amplexuros, neque unquam ad Comitem, à quo nimirum tot injuriis affecti eſſent, conceſſuros.

Hæc dum eum ad modum ducerentur, interea Mediolanenſes in extremas anguſtias redacti erant, permultique eorum, præſertim quod urbs illa mendicis ut plurimum abundet, fame indies peribant, quod quidem lamentationibus atque querimoniis hinc inde anſam ſuppeditabat, adeo ut magiſtratus neceſſe haberet, omni ſtudio, ne aliqui conqueſtum

" confluerent, cavere. *Conſtat magnam hominum fre-*
" *quentiam haud facile ad perpetrandum quidpiam mali*
" *diſponi, verum poſtquam eo inclinare jam cœpit, omne mo-*
" *mentum, quantumvis minimum ad eam movendam ſuffi-*
" *cere.*

Fortuna Sforzia Mediolanũ conciliat.

Acccidit ergo, ut civium duo tenuis conditionis ad portam novam, de calamitate urbis, atq; extrema ſua miſeria, amice confabularentur, atque qua ratione ad ſalutẽ via inveſtigari poſſet, unâ conferrent, ad quos paulatim alii, inſuperq; alii acceſsêre, adeo ut tandẽ eorũ numerus ſic ſatis augeretur, hinc rumor per urbem increbuit, eam urbis partem, in magiſtratum armatam concitari, ad quam famam univerſus populus, utpote qui occaſionem ſaltem turbandi præſtolaretur, mox arma corripuere, duceque ſibi Caſpare Vicomercatio conſtituto, tanto impetu in magiſtratum irruptionem fecere, ut nemo iſtius ordinis, niſi qui fuga elapſi eſſent, eorum manus evaderet, inter quos etiam Leonhardus Venetus, Legatus Venetorum, tanquam miſeriæ iſtius atque calamitatis author atque dux, interemptus fuit.

Hac ergo ratione, imperio fere univerſæ urbis potiti, deliberare porro cœperunt, qua tandem ratione ex tot miſeriis eluctarentur, priſtinamque tranquillitatem recuperarent. Cæterum inter omnes conveniebat, poſteaquam libertatem tueri minime poſſent, ſub Principis cuiuſdam imperium redeundum eſſe, cuius nimirum ductu atque potentia defendi poſſent, nec defuere, qui in Regem Alfonſum, alii in Sabaudiæ Ducem, in Regem Galliæ alii inclinarent: Comitis qui mentionem hactenus faceret, nemo erat, adeo nimirum odium in ipſum valebat.

Verum poſtquam de reliquis inter ipſos minus conveniret, Caſpar Vicomercatius, collecto animo, primus fuit, qui Comitem nominaret, atque copioſiſsime demonſtraret, nulla alia ratione, quam ſi Comes vocaretur, bellum ab urbe amoveri poſſe, Mediolanenſem

lanenſem nimirum populum certa, atque præſentanea pace, opus habere, neque ſpe futuri auxilii lactari debere; inde ad excuſandos Comitis conatus digreſſus, modo Venetos, modo reliquos Italiæ proceres, perſtringere cœpit, quorum alii ex ambitione, alii ex avaritia, libertatem ſuam ipſis invidiſſent: poſtquam ergo eo deventum ſit, ut libertas ipſorum neceſſario cuipiam concedenda ſit, præſtarè ſane, ut ea in talem conferatur, qui ipſos defendere poſsit atque noverit, ut ſaltem ex ſervitute pacem, non majores calamitates periculoſumque magis bellum venarentur. Fuere ipſius rationes magno cum ſilentio exceptæ, vixque ſermonem ad exitum perduxerat, cum omnes clamare, ut Comes vocaretur, eique legationi Caſparem præficere.

Atque is quidem juſſu populi, ad Comitem profectus, tam læti proſperiq; ſucceſſus ſeſe nuntiū exhibuit, Comesque non ultra moratus, tanquam Dux Mediolani urbem confeſtim petiit, ibique ad vigeſimum ſextum Februarii diem, ſumma cum lætitia, atque applauſu, ab iiſdem receptus fuit, qui ipſum non adeo dudum tam immani odio inſectati fuerant. *Franciſcus Sforzia Dux Mediolanenſium.*

His ergo Florentiam delatis, injunctum oratoribus Florentiorum fuit, ut qui pacis tractandæ cauſa ablegati fuiſſent, nunc porro Duci, ob victoriam, congratularentur. Fuere legati à Duce honorifice excepti ſummaque in dignitate habiti, utpote cui conſtaret, contra Venetorum potentiam, nec fides, nec promptos magis amicos, quam Florentinos, ſibi obtingere poſſe, certoque perſuaſum haberet, poſtquam ii à metu Viſcontiorum immunes eſſent, nō paulo poſt ipſis Arragonenſium atq; Venetorum arma excipienda fore: illorum quidē, quod Regibus Neapolitanis ſatis conſtaret, quanta Florentini benevolentia, Gallos proſecuti ſemper fuiſſent: horum vero, quod Venetos non lateret, metum illum Viſcontiorum jam apud Florentinos antiquatum, novi timoris, à Venetorum potentia, ipſis cauſam

fore,

fore, neque dubitarent, non minore animi obſtinatione eoſdem deinceps in ſe, quam olim in Viſcontios pugnaturos, eamque ob cauſam horum exitium proculdubio cupere.

Has igitur ob rationes non illibenter, novus Dux, cum Florentinis in fœdus conſenſit, quod quidem vix pactum, confeſtim aliud fœdus inter Venetos atque Alfonſum provocavit, ut ii nimirū contra communes hoſtes Florentinos, Veneti vero in Ducem eodem tempore pariter moverent, præſertim quod vix crederent, Ducem recenti imperio potitum, ſeu propriis viribus, ſeu alienis auxiliis, potentiæ ipſorum reſiſtere poſſe.

Poſtquam vero fœdus inter Venetos atq; Florentinos nondum exſpiraſſet, Rexque ipſe, poſt bellum apud Plumbinium geſtum, pacem Florentinis dediſſet, eam ob rem haud adeo commodum ipſis videbatur, eam violare, niſi titulo aliquo honeſto bellū probari poſſet. Oratoribus igitur Florentiam miſsis, utrique de fœdere ſuo verba fecerunt, nihil nimirum, quam mutuam defenſionem, nullius vero ad injuriam iſtud ſpectare.

Inde Venetorum Prætor deflectens, queri cœpit, quod Florentini, Alexandro Sforziæ, per ditionem ſuam agrumque Lunenſem, cum copiis ad fratrem proficiſci conceſsiſſent, præterea pacis inter Ducem, Mantuæque Marchionem, ſuaſores extitiſſent, quæ quidem omnia in perniciem Venetæ Reipub. vergerent, atque veteri amicitiæ inter ipſos contrairent. monere ergo amice, eum qui præter jus injuriam infert, id nimirum agere, ut bono jure ipſemet lædatur, pacemque violantem, bellum provocare.

Venetorū apud Florentinos expoſtulatio.

Injunctum Coſino, ut quærimoniis iſtis reſponderet, qui quidem longa atq; prudenti oratione, omnia, quæ à Florentinis, in Rempub. Venetam, profecta hactenus fuiſſent beneficia, recenſuit, monuitque, poſtquam tam arcta inter ipſos neceſsitudo, à Florentinis originem duxiſſet, nunquā ſane inimicitiæ cauſam, ab iiſdem profecturam, qui quidem, quod pacis

ſemper

ſemper cupidi extitiſſent, tranſactionem inter Venetos Regemq; non improbarent, ſi nimirum ea pacis, non belli gratia, ſuſcepta ſit. Interim non poſſe ſe, ipſorum querimonias, non mirari, quod nimirum videat, adeo inſignem Rempub. tam vanis frivolisq; de rebus moveri, quod ſi tamen eæ fortaſsis conſiderationem mereantur, cupere ſeſe omnibus manifeſto conſtare, provinciam ſuam omnibus liberam eſſe atque patere. Ducem vero quod attineret, eſſe nimirum eum eiuſmodi conditionis, ut ad amicitiam cum Mantuano ineundam, ipſorum nec conſilio nec favore opus habeat, eam ob rem vereri ſeſe, ne ſub iſtiuſmodi quærelis aliud quicpiam veneni, quam quod prima fronte apparet, lateat, id porro ſi ita ſit, omnibus facile in poſterum manifeſtum fore, amicitiã Florentinorum, ſicut utilem, ita eorum inimicitiam damnoſam eſſe.

Habita fuit res illa tum ſatis leviter, videbaturque oratoribus Venetorum aliquomodo ſatisfactum, nihilominus fœdus inter Venetos Regemque, eorumque actiones potius novi belli metum, quam firmæ alicuius pacis ſpem, Florentinis Ducique moverunt.

Inter has Florentinorum apud Ducem, congratulationes, erupere tandem Venetorum malignus animus cœpit, utpote qui non modo Senenſes in fœdus ſuum pertraxiſſent, ſed etiam omnes Florentinos imperio urbeque ſua prohibuiſſent. Horum veſtigiis inſiſtens Alfonſus, eoſdem regno ſuo, nulla vel pacis recenti, habita ratione, vel ullo veriſimili, ne dicam juſto titulo, ejecit. *Veneti Florentinos omnes ejiciunt.*

Tentarunt præterea Veneti, Bononienſes ſibi ſubjicere, ſiquidem exulum coadunato numero, ſuppeditatoque ipſis milite, nocte quadam in ipſam urbem, per cloacas adeo furtim penetrarunt, ut eos urbem occupaſſe, antequã ipſimet clamore ſeſe proderent, omnes univerſim lateret: Verum Santius Bentivoglius, rumore iſto excitatus, urbemque à rebellibus occupatam animadvertens, licet à multis ad fugam capeſſendam, vitæque proſpiciendum, poſtquam imperium *Bononienſes furtim occupant.*

perium tueri jam minus integrum eſſet, exhortaretur, ingenti tamen animo fortunæ obſiſtendum ratus correptis armis ea ratione etiã illis, qui ipſum ſequebantur, animum addidit, atque ab amicis quibuſdam ſtipatus, in rebelles tanta virtute impreſsionem fecit, ut illi profligati, partim occuumberent, partim urbe pellerentur: quo quidem egregio facinore, Bentivogliorum ſe ſanguine cretum, omnibus manifeſto perſuaſit.

A Santio Bentivoglio repulſi.

Atque hi demum conatus, bellum inſtare Florentinis non obſcure demonſtravêre, eam ob rem, priſtinum ad morem, ad ſua defendenda converſi, Decemviros legere, novosq; imperatores copiasq; conducere: Oratoribus præte ea Romam, Neapolim, Venetias, Mediolanum, Senasque amandatis, tam ab amicis auxilia rogare, quam dubiorum animos explorare, ambiguos ſibi conciliare, hoſtiumque conſilia venari cœpere.

Florentinorũ vigilantia.

Atque à Pontifice quidem, nihil præter verba animumque pacis cupidum, retulere. Rex vanis excuſationibus Florentinorum expulſionem mitigare, ſalvumque conductum, ſi qui eo opus haberent, offerre, omnique ſtudio belli conſilia, licet ab oratoribus ſatis explorata, occultare nitebatur. Apud Ducem recentioribus, variiſque pactis, fœdus firmatum, ipſiusque interventu, amicitia cum Genuenſibus inita, multaque, quæ iſtas Reſpub. hactenus diſtraxerant, ſublata atque compoſita, licet Veneti, variis artibus, eam compoſitionem evertere conarentur, quos interim non puduit, (tanto nimirum odio ad bellum iſtud deſcenderant, tantumque penes ipſos imperandi cupiditas valebat, ut eos ipſos extinctos cuperent, quorum opera ad eam potentiam evaſiſſent) apud Imperatorem Conſtantinopolitanum precibus inſtare, ut Florentini univerſa Græcia pellerentur, quæ quidem res, ab Imperatore neglecta ſucceſſu caruit.

In quos Venetorum immane odium.

Apud Venetos porro Orator Florentinorum finibus

nibus prohibitus fuit, utpote qui prætenderent, ob eam quam cum Rege haberent, amicitiam, non ſibi licere, abſque ipſius conſenſu eum admittere. Seneneſes vero benigne oratores habuerunt, quod nimirum metuerent, prius ſe opprimi, quam à fœderatis auxilia ſubmitti poſſe, eamque ob rem, declinare ea arma nitebantur, quæ ſuſtinere minus poterant. Decreverant Veneti, unaque Rex (ſicuti ſuſpicari licebat) per oratores bellum ſuſceptum apud Florentinos purgare. Verum, quod Venetorum orator finibus Florentinorum arceretur, indeque Regius ſolus mandata peragere dubitaret, legatio illa eventu caruit, qua quidem ratione Venetis cognoſcere licuit, minorem ſui, penes eos ipſos Florentinos æſtimationem eſſe, quos ipſi non adeo dudum parvi feciſſent.

Fridericus III Imperator Romæ coronatur.

Inter iſtos motus metumq; Fridericus tertius Imperator, quo Regno inauguraretur, Italiam petit, Januariique die trigeſimo Anni MCCCCLI. Florentiæ, mille quingentis equitibus ſtipatus, honorifice exceptus habitusque fuit, ibique usque ad ſextum Februarii diem ſubſtitit. Inde Romam profectus, poſtquam inauguratus, nuptiæque cum Imperatrice, quæ claſſe Romam advecta fuerat, celebratæ eſſent, confeſtim Germaniam repetiit iterumque à Florentinis pari honore habitus fuit, inde Marchionem Ferrarienſem, à quo humaniter exceptus eſſet, Mutina Regioque donavit.

Ferraria Marchio Regio ab Imp. donatus.

Interim Florentini res ſuas ad bellum curavêre, porroque unà cum Duce tam ſuæ exiſtimationi, quam hoſtium terrori, fœdus cum Rege Galliæ, ad communem nimirum provinciarum defenſionem, pepigere, idque per univerſam Italiam, magno cum apparatu atque lætitia, celebravêre.

Veneti Duci bellum movent.

Jamque anni MCCCCLII, menſis Majus aderat, cum Veneti minime amplius differendum rati inſtructiſsimo exercitu, qui equitum ſedecim, peditum vero ſex millibus conſtabat, verſus Lodinium,

in

in Ducatum Mediolanenſem impreſsionem facere. eodemque tempore Montisferrati Marchio, ſeu propria ambitione, ſeu à Venetis motus, ex parte Alexandriæ in eundem irruere, inciperet. Ex altera parte Dux exercitum XVIII. equitum, peditum vero III. millium coëgerat, firmataque præſidiis Alexandria, Lodinio, omnibusque præterea locis, qui hoſti expoſiti eſſent, in Breſcianum ipſe agrum invaſerat, magnoque damno Venetos affecerat, adeo ut utrinque ager, atque municipia infirmiora, depopulationibus atque vaſtationibus exponerentur. verum poſtquam Marchio Montisferrati, ad Alexandriam, à copiis Ducis profligatus fuiſſet, inde Duci, viribus jam conjunctis, majore conatu Venetos invadere licuit.

Ipſe eorum viciſſim agrũ invadit.

Dum igitur hi in Longobardia, vario Marte, licet nihil præclari ageretur, pugnarent, interim in Tuſcia bellum, inter Alfonſum & Florentinos, pariter agi cœptum, equidem non majore, ſeu virtute, ſeu diſcrimine, quam in Longobardia gerebatur. Trajecerat in Tuſciam Ferdinandus, Alfonſi nothus, exercitu XII. millium, qui à Friderico Urbinatium domino regebantur, inſtructus. Fluvianum, in valle Chianenſi ſitum, primum ab ipſis oppugnari cœptum, quod nimirum per Senenſium fœderatorum agrum, eà ipſis aditus pateret. Erat id caſtrum exiguum, murisque non ſatis munitum, eamque ob rem non frequenti cive habitatum, qui tamen id temporis, à ferocia fideque æſtimabatur. His porro ducenti milites, à Repub. ſubſidio miſsi fuerant.

Alfonſus vero Florentinos petit.

Fluvianum obſidet.

Atque hoc caſtrum, eum quem diximus ad modum munitum, obſidione Ferdinandus cingere voluit, verum ſeu virtute eorum, qui defendendum ſumſerant, ſeu ſuorum ignavia, id ante trigeſimum ſextum diem expugnare non potuit, quo quidem temporis ſpatio, Florentinis licuit, non modo reliqua loca præſidiis firmare. Verum etiam militem ſuum colligere, atque ad defenſionem ſeſe felicius accingere.

Eo

Eo Caſtro expugnato, in Chiantenſem agrum hoſtes profecti, à duobus exiguis municipiis, quæ privatis parebant, occupandis excluſi fuere. Intermiſſa igitur eorundem oppugnatione, Caſtellinum cinxerunt, quod quidem caſtrum, ad fines Chiāntenſis agri ſitum, decemque miliaribus Senis diſtans, nec arte nec ſitu quidquam munitum, tamen nec ipſum, ab ignavo iſto exercitu, ſuperari potuit, adeo ut poſt quadrageſimum quartum ab oppugnatione diem inde cum ignominia recedere neceſſe haberent. Tanta nimirum ferocia exercitibus, tantumque periculum à bellis iſtius temporis erat, ut ea, ſeu caſtra ſeu municipia, quæ hoc ſæculo, tanquam nullo modo ad defenſionem comparata, deſeri conſpicimus, tum temporis, quaſi nulla ratione expugnari poſſent, defenderentur. Militiæ exemplum.

Ferdinandinus igitur, eo quo in Chiantinenſibus moraretur tempore, multas ex agro Florentino prædas egit, tandemque ad ſextum usque milliare ad ipſam urbem, non præter metum cladem que eorum qui Reipub. Florentinæ parebant, acceſsit. Atque illi quidem interea temporis exercitum octo millium coegerant, eoque prope Caſtrum ad Collem, Aſtore Faventino, Sigiſmundoque Malateſta ducibus, ſatis remoti ab hoſtibus conſederant, ne forte, præter voluntatem, acie dimicandum ipſis eſſet, utpote quibus perſuaſum eſſet, niſi prælio ſuperarentur, neque ipſo bello ſuccumbere ſe poſſe, ſiquidem caſtra atque municipia neglectiora, bello amiſſa, pace utplurimum recuperarentur, de munitioribus vero locis, quod dubitarent, non haberent, utpote quæ ab hoſtis expugnatione tutæ eſſent.

Habebat præterea rex claſſem, viginti navium, tam triremium quam Myoparonum, in ſinu Piſano, eoq; quo Caſtellina oppugnabatur, tempore, milites ſuos ad arcem Vadanam expoſuerat, eamque ob negligentiam præfecti, occupaverat, quo quidem illi ex loco, viciniæ graves eſſe cœpere, cui porro moleſtiæ, per milites quoſdam, obviam itum, qui à Florentinis, ad

Campigliam præſidio miſsis,hoſtem ad littus compulerunt. Pontifex inter hæc geſta nihil movebat,præterquam quod ad pacem facere ipſi videretur, licet vero à bello externo ſibi temperaret, non parum tamen abfuit, quin eo in ipſa urbe periculiſsimo implicaretur.

Stephanus Porcarus Romam ab Eccleſiaſticis vendicare conatur.

Erat id temporis Stephanus Porcarus, civis Romanus, tam origine, quam doctrina clarus, ingenii vero præſtantia longe nobiliſsimus. Conſtitutum huic erat pro eorum more, qui gloriam appetunt, aliquid memoria dignum aut perpetrare, aut ſi id minus poſſet, ſaltem conari: neque aliud ipſi tentandum ſupereſſe videbatur, quam patriam ab *Eccleſiaſticis* vendicare, eamque priſcis inſtitutis reſtituere, qua quidem ratione, ſi id ceſsiſſet, alterum ſe urbis conditorem patremque auditurum ſperabat. Ad ea vero ſperanda, tam corruptis atque inquinatis Eccleſiaſticorum moribus, quam Baronum, populique Romani querimoniis, accendebatur, potiſsimum vero, iis Petrarchæ verſibus qui incipiunt, *Spirito. gentil.* incitabatur, quibus poëta Muſam ſuam ſic alloquitur, Obtinget aliquando, ut ſupra montem Tarpeium, virum ſtrenuum conſpicias, quem univerſa Italia honore proſequatur. Non ignorabat, ſiquidem Stephanus, poetas non raro ſpiritu divino & Prophetico agi, adeo, ut minime dubitaret, non modo ea, quæ Petrarcha ibi prædixiſſet certo ſic eventura, ſed etiam ſeipſum eum eſſe, per quem tanta cum gloria facinus iſtud perpetrari deberet, poſtquam nimirum eloquentia, doctrina, gratia, atque amicis, omnes Romanos cæteros ſeſe anteire, perſuaſiſsimum ſibi haberet.

Corrupti Romanorũ mores.

His igitur cogitationibus agitatus, non adeo caute res ſuas tractare potuit, quin non ejus ſuſpicio quædam, tam ex ipſius verbis, quam reliquo vivendi genere, Pontifici ſuboriretur: qui quidem, ut anſam male agendi homini præcideret, Bononiam ipſum in exilium miſit, prætorique ejus loci ſedulo injunxit, ut in

Bononiam relegatus.

in ſingulos dies hominem præſentem obſervaret. Neque vero Stephanus, primo hoc impedimento, abjectior, majore potius ſtudio conatibus inſiſtere cœpit, quantumq; cautiſsime id fieri poſſet, per amicos eandem rem egit, neque raro Romam tam incredibili celeritate ipſemet petiit, ut prætori, reverſus, ſeſe juſto tempore præſentem exhiberet. *Inde ideò conatur.*

Poſtquam ergo ſatis ſe viribus jam inſtructum arbitraretur, non diutius cunctandum ratus, amicis ſuis qui Romæ agebant injunxit, ut conſtituto die, cœnam ſplendidiſsimam inſtruerent, omnesq; conjuratos ad eam convocarent, quorum quidē eſſet, fidiſsimum quemq, ſibi jungere, pollicitus antequam cœnā perficeretur, ſeſe ipſis præſto futurum. Nec defuere amici, quin mandata ſollicite exſequerentur, neq; etiam ipſe, quin ad præſtitutum ſeſe ſiſteret. Ergo cœna jam peracta, ipſe purpura, auro radiante intertexta, torquibus alioq; præterea ornatu, majeſtatis, authoritatisq; conciliandæ cauſa, conſpicuus, in medios conjuratos progreſſus, eos complexos, longa accurataq; oratione confirmare, atq; ad rem adeo præclaram ſuſcipiendam exhortari, inde rationem ejus perpetrandæ diſponere cœpit, qua nimirum primo diluculo, pars Pontificis Regiam occuparet, pars populum ad arma concitaret.

Delatum omnē ea ipſa nocte ad Pontificem, incertum; an dubia eorum fide, quib. negotiū concreditum fuerat, an quod Stephanū Romæ habere innotuiſſet, quidquid vero ſit, Pontifex vix dum cœna pacta, tam Stephanū, q̄ conjuratorū pleroſq; comprehendi, atq; deinceps ſupplicio condigno affici, curavit. Atq; hūc quidē exitū, conatus iſte ſortitus fuit, qui fortaſsis apud aliquos laudē aliquā mereri poſsit, judicium ſane nunq̄ probari queat, ſiquidem *iſtiuſmodi conatus, licet agitando umbram quantam gloriæ præ ſe ferre videantur, tamen cum ad rem exſequendam ventum eſt, ut plurimum certiſsimum exitium parturire ſolent.* *Detectus atq; necatur.*

Ductum jam erat bellum in Tuſcia integrum annū, atq; ver anni MCCCCLIII exercitum utrumq;

ex hybernis evocaverat, cum Alexander Sforzia, Ducis frater duorum equitum millibus Florentinis ſubſidio comparuit, quibus quidem copiis aucto illorum exercitu, dum Regius haud mediocriter imminutum ibat, ipſi res ſuas recuperatum progreſsi, non magno molimine multa loca recepere. Inde ad Fluvianum exercitu admoto, iſtud ex negligentia legatorum deprædatum, adeoque vaſtatum occupavere, ut ejus loci incolæ hinc inde diſperſi, ægre neque absque privilegiis atq; præmiis, eo tandem reduci potuerint. Arx præterea Vadenſis recuperata, utpote quam hoſtes, defenſioni impares, deſeruiſſent, igneque injecto vaſtaſſent.

Quæ quidem ab exercitu Florentino dum gererentur, interim Arragonenſium copiæ, prælium detrectantes, ad Senas conſederant, indeque Florentinorum agrum excurſionibus, maximo damno metuque omnia replendo, vaſtabant.

Neque porro Rex negligebat, alia via hoſti, ſi fieri poſſet, nocere, ejusque vires, novis variisque ſubinde artibus diſtrahere. Imperabat id temporis iis, qui vallem, quæ à Balneis nomen habet, inhabitabant, Gherardus Gambatortius, qui quidem (ex amicitia ne, an ex pacto incertum) unà cum ſuis majoribus, Florentinis vel meruerat, vel eorum clientela uſus ſemper fuerat. Apud hunc igitur clam Alfonſus egerat, ut ſua ditione ipſi cederent, aliamque in ejus vicem, in regno Neapolitano acciperet.

Non latuere conatus iſti Florentinos, à miſſo igitur ad Gherardum oratore, quo animum ipſius explorarent, antiqua Reipub. in ejus familiam beneficia, ipſi in memoriam revocare, atque ad conſtantiam erga Florentinos eum hortavere. Mirari ſeſe ejus rei ſummopere, Gherardus ajebat, juramento inſuper addito, nunquam iſtiusmodi ſceleſtum facinus animum ſuum ſubiiſſe, neque ſe detrectare, ſeipſum in fidem Florentinis ſiſtere, interim dum id ipſi, valetudine impedito, minus liceat, tamen filium ſuum id acturum, quem quidem ſubito præhenſum, in ma-

Gherardi Gambatorti perfidia.

nus

nus oratoris conſtituit, ut obſes Florentiam migraret. Atque eo quidem modo Gherardus obtinuit, ut Florentini verbis ipſius fidem haberent, delatoremque mentitum fuiſſe arbitrarentur, eamque ob rem ſecurè in ipſum recumberent: Interim Gherardus majore ſtudio à Rege urgebatur, adeo ut tandem re inter ipſos perfecta, Rex fratri Puccio equiti Hieroſolymitano, eam provinciam demandaret, ipſique injungere, ut iis, quas ſecum ducebat copiis, in ditionis Gherardi poſſeſſionem iret.

Atque incolæ quidem ejus vallis, Reipub. Florentinæ optime deditı, invitiſsimo animo Regiis procuratoribus fidem præſtabant. Occupaverat tamen frater Puccius, univerſam Gherardi provinciam, neq; aliud præter arcem Gorzanam jam reliquum erat.

Habebat Gherardus inter familiares dum ditionem ſuam Regi cederet, Antonjum Gualandum Piſanum, adoleſcentem audacem, cuique proditio iſta maximopere diſplicebat: atque is quidem, perpenſo arcis iſtius ſitu, eorumque qui eam tenebant animo, quem ex vultu, aliiſque indiciis, ab iſta proditione alienum, animadverterat, occaſionem aucupatus, dum Gherardus, ad portam ad introducendos Regios milites conceſsiſſet, ipſe à tergo eum invadens, tanto conatu ambabus manibus incautum porta ejecit, ut antequam Gherardus ſeſe recolligere poſſet, præſidiarii Antonii iſtius hortatu, in ipſis Gherardi oculis, portam obſerarent, arcemque Reipub. Florentinæ aſſererent, quod quidem facinus, reliquis ad Balnea, locaque vicina incolis vix innotuit, quin omnes univerſim arma corriperent, atque expulſis Arragonenſibus, Florentinorum ſigna erigerent.

Cum ergo ea Florentiam delata fuiſſent, Florentini non modo Gherardi filium in vinculis habuerunt, verum etiam vallem iſtam, copiis eo ablegatis, in poteſtatem ſuam receperunt, eamque, quæ antea à Principe regi ſolita fuiſſet, per vicarium adminiſtrare cœperunt. Gherardo vero, Dominorum filiique proditori, vix fuga ſe ſubducere licuit, interim

uxore, omnique familia atque facultatibus, in hoſtium poteſtate relictis.

Eiusdem conſilij ratio & utilitas. Non contemnendi ſane momenti res iſta Florentinis videbatur, quod ſi etenim conatus iſti regi ex animo ceſſiſſent, in ipſius porro arbitrio futurum erat, exiguo ſumptu, tam vallem Tiberinam, quam Caſentinam agrum, excurſionibus vaſtare, qua quidem re id effeciſſet, ut Florentini ea in parte infeſtati copias ſuas dividere neceſſe haberent, neq; conjunctis amplius viribus, ipſius copiis ad Senas obſiſtere poſſent.

Inter hæc geſta, eosque quos hactenus narravimus bellicos apparatus, Florentini præterea, Oratore ſuo Agnolo Acciaivolo, cum Galliarum rege egerant, ut Renato Andegavenſi Regi permitteret, cum copiis Italiam petere, eaque ratione, eademque una via, tum amicis opem ferre, quam eo loci maturius de expeditione Neapolitana conſtituere, cui quidem rei tam militem, quam facultates ſuas, ipſi offerebant.

Renatus Rex in Italiam vocatur. Dum igitur bellum tā in Longobardia eū ad modū, quem ſupra diximus, quam in Tuſcia duceretur, interim inter Regem Renatum, oratoremq; Florentinum, concluſum fuit, ut Rex, antequam menſis Junius exſpiraret, teneretur, cum copiis duorum millium & quadringentorum equitum in Italia comparere, fœderati vero poſtquam copiæ Alexandriam pertigiſſent, triginta florenorum millia, atque deinceps decem millia, in ſingulos menſes quamdiu bellum duceretur, penderent. Licet vero Rex conditionibus ſatisfacere, atque in Italiam pergere conſtituiſſet, id tamen præſtare ipſi minus integrum fuit, quod nimirum à Sabaudo, Montisferratique Marchione, Venetorum amicis, aditu prohiberetur. *Rex Renatus Florent. & Ducis ſtipendiarius.* Perſuaſus eam ob rem, ab oratore Florentinorum, Rex, ut Galliam Narbonenſem repeteret, indeque cum quibusdam familiaribus, ad amicorum exiſtimationem conſervandam claſſe in Italiam ſolveret, præterea interventu Galliæ Regi apud Sabaudum copiis ſuis aditum patefaceret, paruit, atque ea via utrumque ſucceſsit, ſiquidem tam Rex mari Italiam

taliam petiit, quam ipſius copiis à Sabaudo, Galli reſpectu, aditus patefactus fuit.

Excepit ergo Regem Renatum Dux honorifice, copiisque poſtmodum Italorum Gallorumque conjunctis, tanto impetu Venetorum ditionem invaſit, ut exigui temporis intervallo, omnis circa Cremonam regio, in ipſius poteſtatem rediret, neq; his contentus, omnem præterea agrum Breſcianum occupavit, exercitumque Venetorum ſub muros Breſcianos ſe recipere coegit. Verum poſtquam Veronam obtinuiſſet, viſum fuit Duci exercitum in hyberna reducere, Regique Placentiam tribuere, adeo ut hyeme illius anni MCCCCLIII, nihil omnino gereretur. Inde cum vere redeunte Dux exercitum denuo producere, Venetosque omni ditione, in Italico ſolo exuere in animo haberet, ipſi à Rege ſignificatum fuit, neceſſario ſibi in Galliam remeandum eſſe. *Galliam Renatus repetit.*

Tulit ſane id conſilium, utpote novum atque inexſpectatum, Dux iniquiſsimo animo: interim quo Regem à ſententia dimoveret, viſum ipſi, eum confeſtim convenire, verum nec precibus, nec pollicitationibus, Rex ſe flecti paſſus, id ſolum aſſenſus eſt, ut aliqua copiarum pars penes Ducem remaneret, præterea pollicitus, ſe Joannem filium in Italiam ad fœderatos, qui ſuas vices ageret, miſſurum. Non admodum diſplicuit ea Regis abitio Florentinis, utpote qui ſuas jam arces recuperaſſent, neque jam Alfonſum ſummopere metuerent, porro nollent Ducem nova ditione augeri.

Diſceſsit ergo Rex, filiumque, prout pollicitus fuerat, in Italiam miſit, qui quidem in Longobardia ſubſiſtere noluit, ſed ad Florentinos, honorifice exceptus, ſe recepit. Nihilominus à diſceſſu Regis, tam Dux ad pacem inclinare, quam Veneti, pariterque Florentini, undique cum his Alfonſus eandem deſiderare cœpere, quam porro Pontifex ipſe percupere ſe demonſtrabat. *Conſtantinopolis à Turcis occupata.*

Siquidem eo ipſo anno Turcarũ Imperator Conſtã-

ſtinopolim,omnemque Græciam occupaverat, qui ſane ſucceſſus,univerſo orbi Chriſtiano maximo terrori fuerant, interque hos potiſsimum Venetos atq; Pontificem affecerant utpote quibus videretur, jam jam ſigna Turcarum in ipſa Italia conſpecta fore. Rogabat eam ob rem Pontifex univerſos Italiæ Principes,ut ampliſsimis mandatis per oratores ſibi præſto eſſent, quorum ſtudiis pax univerſalis conſtitueretur, atque illi quidem omnes comparuere, verum poſtquam ad rem ventum eſſet,magnis cum difficultatibus confli̇ctari negotium videbatur. Repetebat nimirum Rex ſumptus belli, quod contra Florentinos geſſerat,eosdem etiam ipſi urgebant: Veneti à Duce Cremonam,ille vicisſim Bergomum,Breſciam atque Cremam petebat,adeo ut tot difficultates amoveri poſſe vix crederetur.

Pontifex pacem ſuadet.

Verum id,quod inter multos Romæ arduum erat, id inter Venetos Ducemque facillimum factu fuit, nam dum Romæ Pontifex de pace ſollicitus eſſet, illi nono Aprilis die anni MCCCCLIIII, eam firmarunt,qua quidem quisque ad ea rediret, quæ ante ſuſceptum bellum in poteſtate habuiſſet,Duci porro liceret,bello ea repetere, quæ à Sabaudo Marchioneque Montisferrati,ipſi hactenus erepta fuiſſent.Conceſſum reliquis Italiæ proceribus,eandem intra menſem ratihabere,idque factum à Pontifice. Florentinis, Senenſibus,aliisque regulis,neque his pacti conteuti, præterea pax inter Florentinos, Ducem Venetosque in vigintiquinque annos pacta.

Pax univerſalis Italiæ.

Solus Alfonſus hanc pacem ægre ferre videbatur, quod nimirum ea,authoritati ſuæ, derogatum arbitraretur, utpote qui non inter primos, ſed tanquam acceſſorius in ea compræhenderetur: eam ob rem diutius conſilia ſua clam habuit,neutramque in partem ſeſe explicare voluit: verum poſtquam tam à Pontifice,quam reliquis Italiæ Principibus, aliquot legationibus ſolenniter urgeretur,tandem ab iis,potiſsi num vero à Pontifice,perſuaſus,unà cum filio in trigeſimum usque annum pacem rati habuit, quæ

poſtmodum

poſtmodum inter ipſum Ducemque duplici affinitate confirmata fuit, qua utriusque filii alter alterius filiam ducebat. Nihilominus quo ſemina novi belli in Italia ſupereſſent, Rex in pacem conſentire conſtanter recuſabat, niſi Genuenſes , Sigismundus Malateſta, Aſtorque Faventinus, ipſius arbitrio exponerentur.

His demum ita transactis, Ferdinandus ipſius filius, qui hactenus Senis hærebat, in Regnum regredi cœpit, poſtquam nimirum in Tuſcia nihil ſibi occupaſſet, ſed potius multum militem deſideraſſet. Pace igitur univerſali recuperata, unum id metuebatur, ne ea à Rege Alfonſo, ob odium in Genuenſes turbaretur: verum res aliter ſucceſsit, ſiquidem ea non à Rege, manifeſtè quidem, ſed quod antehac ſemper fieri conſueverat , à milite mercenario turbata fuit. *Ea ab Alfonſo turbata.*

Dimiſerant pace jam conſtituta ut fieri aſſolet, Veneti, Jacobum Picciniņum turmarum ducem, huic ſeſe alii ductores exauctorati conjunxerant, perque Flaminiam in agrum Senenſium conceſſerant. Ibi ergo Jacobus ſubſiſtens, Senenſibus bellum movere, atque quædam municipia occupare cœpit, ſub quos motus, initiumque anni MCCCC. LV. Nicolaus papa obiit, ſucceſſoremque habuit Calixtum tertium. Atque hic quidem Pontifex, quo novum vicinumque bellum extingueret, mox coadunato ſubitario milite, duce ſuo Joanne Ventimigliano, junctisque iis, quos Dux atque Florentini, ad incendium iſtud reſtinguendum, collegerant, prope Bolſenam Jacobum adortus eſt, licet vero Ventimiglianus in poteſtatem Jacobi deveniret, fuere tamen Jacobi copiæ adeo acciſæ, ut vix non profligato ipſi Caſtiglionem, quod Peſcaiæ vocatur, concedendum, eſſet extremamque proculdubio id ipſi cladem peperiſſet, niſi Alfonſo ipſum pecuniis clam ſublevaſſet, quæ quidem res haud difficulter omnibus perſuaſit conſilia iſta à Rege profecta fuiſſe. *Mors Pontificis Nicolai.* *Calixtus III. Pont.*

Quo igitur Rex, ſeſe delectum animadvertens, a-

nimos fœderatorum per pacem ſibi reconciliaret, quos inutili iſto bello penè abalienaverat, eam ob rem cum Jacobo egit, ut Senenſibus omnia quæ ipſorum ditionis occupaſſet, reſtitueret, illique Jacobo viciſsim viginti florenorum millia penderent, quibus eum ad modum peractis, Jacobum cum ſuis copiis in regnum recepit.

Pontifex orbem Chriſtianum in Turcas concitat.

Licet porro id temporis, Pontifex, in cohercendo Piccinino, occupatus eſſet, nihilo tamen ſecius, ſumma cura, res Chriſtianas, quas à Turcis oppreſſum iri animadvertebat, tractare perexit, eamq; ob rem, ablegatis per univerſum Chriſtianum orbem oratoribus & concionatoribus, omnes tam Principes quam privatos, ad arma pro religione capeſcenda, quo vel præſto eſſe vellent, ſedulo hortari cœpit, quo quidem conſilio, apud Florentinos, permulti tam liberaliter largiri, quam Crucis ſignum rubeum, in notam teſſeramq; iſtius militiæ, ſumere, properavêre: Solennibus etiam precibus ea res apud Deum acta, neque ferè quiſquam erat, qui vel publice, vel privatim, ſive conſilia, ſive ope, ſive ſeipſum ad id bellum offerendo, neutiquam poſtremus inter Chriſtianos haberi vellet.

Turcæ ad Belgradum profligati.

Verum ardor ille non mediocriter deferbuit, poſtquam compertum eſſet, Turcarum Imperatorem, in oppugnatione Belgradi, (caſtrum id eſt in Hungaria ad Danubium ſitum,) ab Hungaris profligatum vulneratumque fuiſſe: adeo ut metu illo, quem ex clade Conſtantinopolitana, tam Pontifex, quam reliqui conceperant, paulatim evaneſcente, etiam ſegnius ea, quæ ad bellum iſtud neceſſaria erant, procurarentur, ipſaque porro in Hungaria, ob obitum Joannis Vaivodæ quo duce victoria iſta parta fuerat, animi refrigeſcerent. Sed ad Italiam revertamur.

Erat annus MCCCCLVI, quo motus Jacobi Piccinini compoſiti fuerant, poſtquam ergo homines arma ſepoſuiſſent, videbatur Deum

Ipſum ea corripere velle, tanta nimirum Ventorum tempeſtate exorta, ut ea in Tuſcia, nuſquam antehac auditos, ſtupendosque proculdubio omnibus, qui aliquando hæc lecturi ſunt, effectus produxerit. Ergo vigeſima quarta Augusti die, una priusquam illuceſceret hora, ex maris ſuperi parte, Anconam verſus turbo nubis cujusdam denſæ atque craſſæ, quæ duo circiter milliaria (de Italicis loquor) quaqua verſum occupabat, oriri, atque mediam Italiam ſecando, in mare inferius, verſus Piſam, ſeſe præcipitare cœpit. Hæc nubes, vi aliqua ſuperiore (ſive naturalis, ſive ſupernaturalis illa fuerit) acta, in ſeipſa pugnabat, nubesque in partes diſsipatæ, modo ſuperiorem, modo inferiorem aeris partem petendo, ſibi invicem occurrebant, modo in gyrum incredibili velocitate agebantur, atque ante ſe turbinem, præter omnem modum impetuoſiſsimum, concitabant, interque pugnandum creberrimis fulgetris coruſcabant. Ex his porro diſsipatis, confuſisque nubibus, ventisque impetuoſiſsimis atque fulgetris, quidam fragor, crepitus, ſtrepitusque, nullo ſeu terremotus ſeu tonitrui, quantumvis inſolito, æquiparandus ſurgebat, quæ quidem ſigna tanto terrori fuere, ut omnibus videretur, jam finem mundi adeſſe, terramque, aquamque, tum eam cœli mundique partem, quæ adhuc ſupereſſet, in priſtinum Chaos reditura. Neque vero turbo iſte effectu ſuo, quaqua verſum pertigiſſet, inaudito, planeque ſtupendo caruit, inprimis vero ea, quæ circa caſtrum ad S. Caſsianum ſucceſſere, memoranda veniunt. *Horrenda tempeſtas.*

Diſtat id caſtrum VIII, à Florentia miliaribus, ſitumque in eo colle eſt, qui valles Peſanam Grevamque diſcriminat. Ergo ſævifsima iſta procella, inter caſtrum illud, ſanctique Andreæ vicum pergens, ad S. Andream non pertigit, juxtaque Caſsiani caſtrum, eum ad modum prætervecta fuit,

ut pinnas ſaltem aliquot atque vaporaria inde deraderet, verum eo, quod hæc loca interjacet, ſpatio, permultæ ædes ad fundamenta usque everſæ fuere. Tecta quæ templis ad S. Martinum Bagnoli, ſanctamque ad Mariam Pacis, inædificata erant, eum ad modum, integra compagine, ultrà miliare inde conſedére: agaſo quidam, una cum mulis ſuis, in vallibus vicinis extinctus repertus fuit: Omnes præterea proceræ arbores, ipſæq; robuſtiſsimæ quercus radicitus evulſæ, aliç alia in loca translatæ ſeſe mirando ſpectaculo conſpiciendas exhibuere, adeo ut poſt tempeſtatem, dieque jam lucido, omnes ſtupidi attonitique hærerent. Videre erat agros deſolatos atq; vaſtatos, ædes tam ſacræ quã privatæ everſæ conſpiciebantur, lachrymæ atq; ejulatus eorũ, qui vel prædiis, vel armentis, vel etiam propinquis, ea ſtrage, exuti fuerant, undique exaudiebantur, quæ quidem iis, quibus iſta & videre & audire contigit, maximæ formidini atque commiſerationi fuere.

Viſum proculdubio divino numini fuerat, terrere potius Tuſciam, quam caſtigare: quod ſi etenim procella iſta, eum ad modum, in urbem habitatam penetraſſet, quo in ædes hinc inde diſperſas, atque in arbores ſævire cœpit, facile quidem quisque dijudicare queat, quam horrenda ſtrages inde exſpectanda fuerit: Verum ſatis id Deo exempli tum viſum, quo memoriam potentiæ ſuæ hominibus refricaret.

Ergo ut tandem ad ea unde digreſſus ſum revertar, Alfonſo pax illa, quod ſupra attigimus, non adeo grata erat, eam ob rem, poſtquam bellum, quod contra fœdus Jacobo Piccinino duce minus proſpere geſsiſſet, effectu caruiſſe animadverteret, ad id animum adplicare cœpit, quod ex pactis movere ipſi licebat.

Alfonſus Genuenſes bello petit. Anno igitur MCCCCLVI, tam terreſtribus quam navalibus copiis in Genuenſes movere cœpit, quod nimirum adminiſtrationem Reip. Fregoſis ereptam, in Adornos conferre cuperet, ex altera quo-

que

que parte Troentum cum copiis, Jacobo Piccinino imperatore, trajiciens. Sigismundum Malateſtam invaſit. Atque hic quidem, quod ditioni ſuæ probe proſpexiſſet, eamque præſidiis undique firmaſſet, non adeo magni eam invaſionem fecit, adeo ut conſilium Regis, ea ex parte, effectu deſtitueretur, Genuenſis vero motus, majore ipſum bello implicaret, quam res ipſius poſtulare viderentur.

Erat nimirum, id temporis, Genuenſium Dux, Petrus Fregoſus. atque is quidem, quod Regis impetum ſuſtinere ſe poſſe dubitaret, apud ſe conſtituit, imperium iſtud, cui defendendo ſeſe imparem noviſſet, in talem transferre, qui tam ab inimicis eum defendere, quam aliquando digno præmio, beneficium iſtud penſare poſſet. Eam ob rem oratoribus, ad Galliarum Regem Carolum VII, miſsis, imperium Genuenſium ipſi obtulit. Placuit id Regi, atque poſſeſsioni adipiſcendæ, Joanni Andio Renati filio, qui paulò ante Florentia in Gallias reverſus eſſet, eam provinciam demandandam cenſuit, quod nimirum ſibi perſuaſum Carolus haberet, eam Rempub. à Joanne, utpote qui Italorum mores jam imbibiſſet, perquam dextrè adminiſtrari, indeque de regno Neapolitano recuperando, commodius conſilia iniri poſſe. Profectus ergo Genuam Joannes. honorificè ibi exceptus, caſtraque Reipub. univerſa, ſupremaque unà poteſtas in ipſum translata fuere. *Genuenſes Gallum vocant.* *Joannes Andius Genuenſium Princeps.*

Tulit Alfonſus ægerrimo animo, quod tam potentem hoſtem ſibi conciliaſſet, neque tamen eò dejectior, cœptis potius ſuis inſiſtendum eſſe conſtituit, eamque ob rem, inſtructiſsima claſſe, infra Villamarium, ad Portumſinum adpulit, ubi ſubito morbo correptus animam exſpiravit. Atque is quidem caſus, Joannem unàque Genuenſes bello difficili explicavit. Ferdinandum contra, qui patri Alfonſo ſucceſſerat, in maximas curas præcipitavit, ut qui non modo tam potentem hoſtem ſibi vicinum experiretur, verum etiam de fide multorum Baronum, ne illi fortè, novitatis cupidi, in Gallos propenderent, dubitaret. *Alfonſi Regis mors.*

taret. Præterea Pontifex ipſi non minus ſuſpectus erat,ne forte ipſum, regno nondum confirmato, exuere conaretur. Una ſpes in Duce Mediolanenſi ipſi ſupererat, qui quidem non minore ſolicitudine, quam Ferdinandus ipſe,ob ejus anguſtias tenebatur, quod nimirum metueret,ne forte Galli, ſi eos regno potiri Neapolitano contingeret, etiam ditionem ſuam aggrederentur, quam jure ad ſe ſpectare, perſuaſum ipſis eſſe, minime ignorabat. Eam ob rem, mox ab Alfonſi morte, tam literas quam copias ad Regem miſerat, atque has quidem, quo ipſius authoritati,utpote auxiliis firmato,id accederet; illas vero,quo ipſi animum adderet, atque ſubſidia ſua in omnem fortunam paratiſſima ipſi offerret.

Ac Pontifex quidem ab obitu Alfonſi, regnum Neap. in Petrum Ludoicum Borgiam, nepotem ſuum, transferre conſtituerat, quo porro honeſto aliquo titulo,conſilia iſta reliquis Italiæ principibus probaret, Romanæ ſedi ſe regnum iſtud occupaturum ſimulare eamque ob rem Ducem perſuadere cœpit, ne Ferdinando auxilia ſubminiſtraret, inque præmium iſtius beneficii,ditionem illam, quam olim in regno Neapolitano habuerat, reciperet: verum in ipſo tractatu Calixtus animam depoſuit.

Calixti obitus.

Pius II. Pontifex.

Succeſsit in Pontificatu Pius II. Senenſis. Æneas Piccolomineus,cui potiſſima hæc cura erat, ut rem Chriſtianam componeret, atque Romanæ Eccleſiæ dignitatem tueretur. Neglectis ergo privatis ſuggeſtionibus, precibus Ducis ab eo tributum, ut Ferdinando regnum maneret, perſuaſus nimirum, facilius ſe longe pacem Italiæ reſtituere poſſe, ſi poſsidentem in poſſeſsione conſervaret, quam ſi vel Gallis, ad regnum iſtud occupandum animum adderet, vel idem ſibi ipſi ſubjicere conaretur. Nihilominus, ob tam inſigne beneficium, Ferdinandus Principatum Amalphianum,in Antonium Pontificis nepotem contulit, eique porro filiam ſuam notham matrimonio junxit,Beneventumque

tumque atque Terracinam ſedi Romanæ reſtituit.

Beneventū & Terracina ad Pontif. redeunt.

Videbatur ergo tandem bellum in univerſa Italia ſopitum, jamque Pontifex cogitabat omnem Chriſtianum orbem in Turcas movere, cujus rei fundamenta à Calixto jacta olim eſſent: quando inter Fregoſos, Joannemque Genuenſium dominum, diſſidia oriri cœpere, ex quibus difficillimum longe bellum tandem exortum eſt.

Morabatur Petrinus Fregoſus, in arce quadam ſua, ad Rivieram, ipſique videbatur, pro iis, quæ in Joannem à Fregoſis profecta eſſent beneficiis, ſibi non ſatis factum, utpote quorum is opera imperium Genuenſium adeptus eſſet: quod tandem in manifeſtam inimicitiam erupit.

Fregoſi Joannem Genua pellere nituntur.

Grata ea res erat Ferdinando maximopere, utpote unica ſolaque ad ſalutem ipſius via, Petrinumque tam milite quam pecunia inſtruxerat, quod nimirum ſperaret, ejus opera Joannem inde pelli poſſe: id porro Joannes proſpectum habens, auxiliis ex Gallia petitis, res ſuas firmavit, inde in Petrinum profectus, eum adeo inſtructum expertus eſt, (undique ſiquidem ab amicis ſubſidia ad eum confluxerant) ut in urbem ſe recipere neceſſe habuerit. Hanc porro noctu Pierinus furtim ingreſſus, aliquod in ea loca occupare cœpit, verum die jam eluceſcente, à copiis Joannis expugnatus, interfectusque. Omnes præterea ipſius copiæ, aut deletæ aut captæ fuêre.

Ab eodem pulſi.

Qui porro in Neapolitanum regnum ſolvit.

Hæc ergo victoria Joanni animum addidit, ut de occupando regno ſtatueret: ſolvens igitur ſub Octobrem anni MCCCCLIX, potentiſsima cum claſſe ad Baliam adpulit, ibique expoſito milite, Pomeriam Veſtinorum petiit, atque ab ejus loci Duce exceptus fuit. Conceſſere præterea in ipſius partes, Princeps Tarentinus, Aquilegia, multæq; aliæ urbes atque reguli, adeo ut univerſo fere regno potiretur.

Ferdinandus interea à Pōtifice atq; Duce Mediolanenſi auxilia rogavit, præterea quo minus ſibi hoſtiū eſſet, cū Sigiſmundo Malateſta tranſegit, at ea quidem

ratione Jacobum Piccininum , utpote Sigiſmundi hoſtem naturalem,adeo perturbavit, ut is ſtipendiis Ferdinandi renunciaret,atque ad Joannem concederet. Præter eas belli gerendi rationes, Ferdinandus pecunia Fridericum Urbinatium Dominum inſtruxerat,adeo ut brevi ſatis copioſum militem, pro ea temporum ratione, colligeret, tandemque copias producens,ad Sarnum manus cum hoſte confereret, quo quidem in prœlio victus, multique præſtantiorum ipſius imperatorum capti fuere.

Ferdinandus profligatus.

Ab illa clade Neapolitani, paucique Principes in fide Ferdinandi perſtitere,at reliqui, urbesque maximam partem, victori ceſſere. Suadebat Jacobus Piccininus,ut victoria ea inſignis Joannes Neapolim properaret,caputque regni occupare niteretur, verum ille obtemperare monenti noluit, omni nimirum ditione occupata,expugnationem urbis eo facilius ceſſuram:quod quidem conſilium ipſi victoriam eripuit, neque etenim ignorare debebat, facilius membra caput ſequi, quam caput membris cedere.

Receperat ſeſe Ferdinandus à clade iſta Neapolim, ibique eos,qui ditionibus ſuis pulſi eſſent, colligebat, pecuniamque, quantum id fieri commode & præter injuriam poſſet,corradebat,auxilia præterea, à Pontifice Duceque rogata,majore celeritate atque copia quam prius imperaverat, utpote qui non minus eo ipſo, clade ea angerentur. Reſtitutis igitur viribus Ferdinandus copias denuo producere, atq; pedetentim aliquot urbes recuperare cœpit. porro caſus quidam inopinatus, hæc dum in regno gererentur, omnem Joannis authoritatem funditus evertit, eique victoriam è manibus excuſſit.

vires recolligit.

Pertæſi erant Genuenſes Gallorum imperii, avari atque ſuperbi, adeo ut armati præfectum Regium invaderent,eumque in caſtrum, quod Caſtellettum nuncupatur,compellerent,quo quidem in cœpto Adorni atque Fregoſi unanimes convenerant, atque à Duce,tam pecuniam quam copias, ad occupandum

Genuenſes in Gallum arma capiunt.

conſervandum imperium, obtinuerant. Renatus porro, qui inſtructa cum claſſe filio opitulatum mare trajecerat, dum copias ſuas exponere, atque Genuam per caſtrum recuperare ſperaret, profligatus adeo turpiter fuerat, ut ignominioſe Galliam repetere cogeretur. Atque hi quidem ſucceſſus, non mediocriter Joannem Andium perculêre, nihilominus cœptis inſiſtens, bellum fortiter ducere perrexit, ab iis nimirum regulis adjutus, quibus propter defectionem, nulla apud Ferdinandum ſpes, ſupereſſet. *Renati claſſem profligant.*

Tandem poſt multas pugnas, juſta acie inter utrumque exercitum, decertatum, eoque prœlio Joannes anno MCCCCLXIII, prope Trojam profligatus fuit: neque adeo clade iſta tantopere conciſus fuiſſet, niſi porro Jacobus, ipſo deſerto, ad Ferdinandum defeciſſet, ut tandem neceſſe habuerit, in Iſtriam concedere, indeque Galliam repetere. *Joannes Regno Neap. pulſus.*

Duravit id bellum integrum quadriennium, victoriaque excidere eum ipſum ex incuria contigit, qui eam virtute militum ſuorum ſæpius comparaſſet, cui quidem bello Florentini ſeſe non imniſcuere, quo id depræhendi aliquo modo poſſet. Requiſiti quidem ſolenni legatione à Joanne, nuper in Arragonenſe Regnum, ex morte Alfonſi, evecto, ut Ferdinando nepoti opem ferrent, ad quod ex pactis, nuper cum Alfonſo conſtitutis nimirum tenerentur: verum is hoc reſponſi tulit, nihil omnino ſeſe ipſi obſtrictos eſſe, neque teneri opem filio eo in bello ferre, quod pater proprio Marte ſuſcitaſſet, cœpiſſe illum bellu m, ipſis omnino neſciis atq; inconſultis, æquum ergo eſſe, ut eidem abſq; ipſorum auxilio, finem imponat. Unde legati Regis nomine, tam pœnæ quam damni ratione teſtati, irato animo urbem reliquere.

Pax igitur Florentinis, durante eâ expeditione, extra urbem fuit, licet intra urbem minime quieſcerent, quod in ſequenti quidem libro uberius narrabitur.

LIBER SEPTIMUS NICOLAI MACHIAVELLI CIVIS ET SECRETARII *Florentini, Hiſtoriam Florentinam complectens.*

Videri fortaſſe poſsit iis, qui ſuperiorem librum lecturi ſunt, res Florentinas ſcripturo, vix convenire, ad ea, quæ in Longobardia Regnoque Neapolitano geſta ſunt, narrationem ſuam extendere: verum iſtiusmodi narrationes, neque hactenus omittere volui, neque deinceps intermiſſurus ſum. Licet etenim de rebus univerſæ Italiæ me ſcripturum, nusquam pollicitus ſim, non tamen omittenda duco, quæ memoria digna in ea regione obtigêre. Siquidem ea omittendo, hiſtoria noſtra minus dilucida grataque futura eſſet, præſertim quod ex reliquorum Italiæ Principum negotiis, ut plurimum bella, quibus Florentinis intereſſe neceſſum erat, originem traxêre, ſicuti ex bello inter Joannem Andium Regemque Ferdinandum geſto, odia illa inimicitiæque capitales ſunt, quæ poſtmodum Regem illum Florentinamque, Rempub. præcipue vero familiam Mediceam exercuerunt. Querebatur ſiquidem Rex, non modo in bello iſto ſe neglectum, verum etiam hoſtem ſuum favore habitum fuiſſe, quæ quidem ſuſpiciones, maximas deinceps calamitates produxere, quas porro narraturi ſumus.

Poſtquam vero hiſtoriæ meæ ſeries, quoad res nimirum extra urbem geſtas, ad finem usque anni MCCCCLXIII, pertigit, eam ob rem neceſſe eſt, ſi res in urbe actas narrare velim, eas aliquot annis altius repetere. priusquam vero ad ea narranda accedam, lubet ex conſuetudine mea quædam ad ea præfari.

Solent

Solent ergo illi, qui Reſpub. perpetuo concordes eſſe poſſe arbitrantur, utplurimum ea opinione longiſsimè falli. Verum ſiquidem eſt, alias diviſiones Rebuspub. prodeſſe, obeſſe alias: nocent illæ, quæ partiũ ſtudiis ſeceſsionibusq; nituntur, proſunt, quæ citra partium ſtudia aluntur. Poſtquam igitur Rempub. conſtituenti, nullo pacto præcavere licet, ne inimicitiæ olim in ea ſuboriantur, at proſpiciat ſaltem, ne ad partes ſeceſsionesque proclivis ſit.

Sciendum igitur eſt, duobus potiſsimum modis, cives authoritati ſuæ conſulere poſſe, publicis nimirum & privatis rationibus. Publice authoritas parari ſolet, ſi vel prælio vincas, vel urbes expugnes, vel legatione prudenter defungaris, vel Rempub. ſagaci feliciqueconſilio juves. Privatim eam adipiſci queas, ſi modo in hunc, modo in illum civium beneficia conferas, vel ejus coràm magiſtratu patrocinium ſuſcipiendo, vel pecunia eum juvando, vel immeritum ad dignitates promovendo, & tandem donis, ludisque publicis, plebem tuam faciendo. Hinc porro ſectæ partesq; originem ducunt: quô vero authoritas hunc ad modum comparata, nocere, eô altera, ſi partium ſtudia procul abſint, Rebuspub. emolumento eſſe ſolet, utpote quæ publico, non privato commodo nitatur. Licet vero nullo pacto, inter cives eum ad modum comparatos, præverti queat, ne odia inter ipſos graviſsima oboriantur, poſtquam tamen neminem habebant, qui proprii commodi gratia ipſos ſectetur Reipub. nocere non poſſunt, ſed potius commodo ejus inſerviunt: ſiquidem neceſſe eſt, ſi alii alios vincere cupiant, ut ad Reipub. incrementum ſeſe convertant, atque ſe invicem obſervent, ne rationem civilem excedant.

Inimicitiæ poro Florentinorum, ſemper ſectis partibusq; conſtabant, eamq; ob cauſam ſemper nocebãt: ſiquidem nulla partium, quæ victoria potita eſſet, unquam unita ſtetit diutius, quam dum pars adverſa vires adhuc haberet, quamprimum vero ea devicta ex-

tinctaque eſſet confeſtim illa, penes quam victoria remanſerat, cum neque metu coherceretur, neque prudenti conſilio fulciretur, iterum in partes diſcedere cœpit.

Extitit pars Coſmi Medicei anno MCCCCXXXIIII, ſuperior, verum quod victa pars, viris magnis atque potentibus abundarent, ex metu hæc aliquandiu unita humanaque adeo manſit, ut ejus ſectatores neque inter ſeſe aberrarent, neque ullis ſiniſtris rationibus, Populi odium in ſe provocarent, adeo, ut quoties illi, qui Rempub. tum adminiſtrabant, benevolentia populi, ad ſtabiliendam muniendamque ſuam authoritatem, opus haberent, eo omnino benevolo uterentur, omnemque potentiam, totque dictaturas, quot licebat, facile obtinerent, adeo ut ab anno MCCCCXXXIIII, ad annum usque LV, hoc eſt, ſpatio XXI, annorum, Dictaturam ſexies, idque plerumque conſiliorum opera, repeterent.

Erant id temporis, quod ſæpius jam diximus, Florentiæ duo cives potentia conſpicui, Coſmus nimirum Mediceus & Nerius Capponius. Ac Nerius quidem, authoritatem ſuam publica via adeptus erat, eamque ob rem, amicos habebat multos, ſectatores autem paucos. Coſmus vero, qui tam publica, quam privata ratione, potentiam ſuam conſecutus eſſet, & ſectatores habebat quamplurimos. Porro, poſtquam hi duo, quoad ambo ſuperſtites eſſent, ſemper concordiæ ſtuduiſſent ea ratione factum eſt, ut quidquid ipſis libitum eſſet, id citra difficultatem à Populo obtinerent, quod nimirum ipſorum potentia benevolentia miſta eſſet.

Coſmianæ partes ipſæ in partes ſecedunt.

Cum vero ſub annum MCCCCLV. Nerius è vivis exceſſiſſet, adverſaque Coſmianis pars extincta eſſet, ibi porro authoritas eorum, qui viciſſent, laborare cœpit, cujus quidem rei Coſmi amici, utpote in adminiſtratione Reip. potentiſſimi, ipſimet in cauſa fuere; quod nimirum tam partem adverſam, utpote extinctam, nihil amplius metuerent, quam

hujus

hujus potentiam imminutam cuperent. Atque ea quidem animorum conſtitutio,diviſionibus illis, quæ poſtmodum anno L V. erupere,anſam præbuit, quibus nimirum ii, in quorū manibus adminiſtratio ſita erat,in Conſiliis, quibus de publica adminiſtratione agebatur,ipſimet authores exiſtere, ne Dictaturæ poteſtas repeteretur, neque ex definito numero magiſtratus peterentur,ſed ii ſorte,prout olim conſuetum eſſet,legerentur.

Ad hos conatus cohercendos, Coſmo duæ viæ patebant,una quæ aperta vi cum iis, qui partes ſuas ſequebantur,adminiſtrationem occuparet,atque adverſarios everteret, altera,qua ad eos conatus conniveret,tandemque temporis ſucceſſu amicis ſuis demonſtraret, non ſibi,ſed ipſis,tali arte authoritatem everſam ire. Atque ex his duabus viis, poſteriori inſiſtere conſtituit,neque etenim ignorabat, in iſtiusmodi Reip. adminiſtratione, nihil diſcriminis ſibi metuendum eſſe, quod nimirum urnas amicorum nominibus refertas eſſe noſſet, inque ſuo arbitrio ſitum, adminiſtrationem quandocunque viſum eſſet occupare.

Poſtquam igitur ad magiſtratuum nomina, ſorte legenda,jam deventum eſſet, ibi vero populo recuperatam libertatem videbatur, iique qui ad Rempub. ſedebant,jam non ex arbitrio potentiorum,ſed liberis ſuffragiis judicare, atque modo hunc, modo illum, potentioris cujusdam clientem,cohercere cœperunt, qua quidem ratione ſucceſsit,ut illi, qui modo ædes ſuas, tam muneribus quam ſalutatoribus refertas conſpexiſſent, iis jam undequaque vacuis uterentur: inſuper eos jam ſibi æquales haberent,quos non adeo dudum,longo poſt ſe intervallo reliquiſſent, multosque ſuperiores, qui modo æquales exſtitiſſent.

Neque jam amplius in priſtino honore haberi, imo multoties rideri atque explodi, atque tam de ipſis, quam ipſorum adminiſtratione, nulla omnino ipſorū dignitatis habita ratione,ſermones duci, adeo ut propemodum cognoſcerent, non Coſmum, ſed ſeipſos ex arce authoritatis turbatos eſſe. Z 3

Quæ quidem omnia Coſmus prudenter diſsimulabat,imo ſi quæ deliberatio, qua populo gratum foret,oriretur,ipſe inter primos qui eá ſuaderet eſse voluit.Id porro potentiores maximopere perturbavit, atq; Coſmo viam monſtravit,qua illis oculos aperiret quod ratio illa exactionis,quam Cataſtum ſuperioribus libris nuncupatam diximus, qua non ex hominũ arbitrio, ſed ex lege fortunæ cujusq; excutiebantur, revocari inciperet. Ea etenim lex rogata,magiſtratusque ad eam exequendam jam conſtitutus, eos in unum convenire, atque ad Coſimum rogatum pergere coegit, ut ſeſe, unaque pariter ſeipſum,è manibus plebis eripere,atque eam faciem Reip.reſtituere niteretur, quæ tam ipſius potentiam, quam ipſorum exiſtimationem conſervaſſet. Ad quæ Coſinus, non detrectare id ſe quidẽ, verum omnino velle, ut id legitima via,atq; populo volente fiat, de vi porro,ne verbum quidem ipſi facerent.

Tentatum igitur in Conſiliis,an Dictatura obtineri poſſet,verum id fruſtra,eam ob rem potentiores civium Coſmum denuo convenêre,eumque quam humiliter obſecravere ut ad concionem quam Parlamentum ſupra nominavimus plebem convocare vellet,quod tamen ſe facturum conſtanter negavit, utpote qui ipſos errorem ſuum manifeſtius palpare cuperet: Donatũ porro Coquum, Gonfalonem, quem vocari diximus juſticiæ adeptum, atque concionem invito Coſmo convocare conatum,tam ridiculis modis ipſe unàque qui ſecum adminiſtrabant, excepit, ut is mente excideret,atque ſtipitis inſtar domum ablegaretur. Poſtquam vero minus conſultum eſſe noverat,eousque rem protrahere, donec ea poteſtatem tuam effugiat, eam ob rem, cum Lucas Pittius, vir animoſus & audax, munus iſtud Gonfalonerii adeptus eſſet, jam tempus adeſſe ratus, quo voto potiri poſſet,hujus arbitrio rem gerendam committi commode poſſe conſtituit,ut ſi ſiniſtre fortaſsis ea caderet,culpa ejus in Lucam, non in ſeipſum conferretur.

Ergo

Ergo Lucas, ſub initium ſui magiſtratus, non ſemel apud populum, de revocanda Dictatura, agere cœpit, verum ſemper repulſam paſſus eſt. Ad minas ergo, injurias verbaque faſtuoſiſsima deveniens, tandem etiam factis rem adgreſſus eſt. Menſe ſiquidem Auguſto anni MCCCLXVIII, die S. Laurentio profeſto, poſtquam in Palatium armatos quamplurimos recepiſſet, populum in forum convocavit, atque vi armataque manu ad ea ipſos adegit, ad quæ ſua ſponte deſcendere hactenus noluiſſent.

Ergo recuperata adminiſtratione, atque dictatura, (quam Baliam vocari ſæpius diximus) conſtituta, lectoq; ex paucorum arbitrio magiſtratu, quo novum regimen, vi inchoatum, terrore porro ſtabilirent, eam ob rem Hieronymum Machiavellum, unàque cum ipſo alios relegarunt, non paucos præterea dignitatibus privarunt. Atque Hieronymus ille, quod poſtmodum fines exilii egreſſus eſſet, inter rebelles haberi cœpit, tandemque, cum Italiæ Principes, contra patriam, concitare niteretur, in agro Lunenſi, ab uno eorum proditoriè captus, atque in vinculis Florentiæ necatus fuit. *Novæ proſcriptiones apud Florentinos.*

Fuit hæc adminiſtrationis ratio, eo quo duravit octennio, plane intolerabilis & violentia: poſtquam etenim Coſmus, tam ſenii, quam valetudinis nomine imbecillior, curis publicis tam ſedulo, ac ſolitus antea fuerat, intereſſe amplius non poſſet, eam ob rem, prædæ paucorum civium, univerſa civitas exponi cœpit.

Lucas porro Pittius, ob operam Reip. præſtitam, equeſtri torque donatus, ipſe neminus gratus erga patriam, quam ea erga ipſum fuiſſet, haberetur, curavit, ut qui priores artium antea vocabantur, impoſterum Priores libertatis audirent, atq; ea ratione, amiſſæ poſſeſsionis, vel ſaltem titulo gauderent: præterea ſancivit, ut juſticiæ ſignifer, cui ad dextram amborum Rectorum locus erat, deinceps medius inter hos ſederet. Atq; quo Deum, earũ Sanctionum authorẽ habere videretur, publicis precationib. ſolenniter, pro recuperatis honoribus ipſi gratiæ actæ.

Tulit Lucas ea ob geſta, tam à Repub. quam ipſo Coſmo ſplendidiſsima dona, quæ porro, ab univerſis ferè civibus, cumulata fuere, adeo ut ea viginti Hungaricorum millium pretiũ æquare dicerentur, quã quidẽ ob rem ejus autoritas eousq; excrevit, ut jam non Coſmus, ſed ipſe urbem adminiſtraret, indeque animo adeo augeretur, ut bina ædificia, plane ſuperba atque Regia, alterum in ipſa urbe, alterum ad primum ab ea miliare, quod Rucianum nuncupabatur, exſtrueret, quorum quidem id, quod in urbe cœperat, amplitudine ſua, omnia quæ à privatis civibus hactenus exſtructa fuiſſent, facile ſuperabat, cui porro abſolvendo nullæ, quantumvis inſolitæ, rationes prætermiſſæ, adeo ut non modo cives privatique homines eo contribuerent, ſed etiam ærariorum publicorum atque populorum dona, undique eò confluerent. Præterea quotquot vel urbe pulſi eſſent, vel homicidia, furta, aliave crimina, publicis ſuppliciis plectenda, perpetraſſent, hiſce omnibus, modo eorum opera, ad ædificia iſta, quidpiam conferre poſſet, tutiſsimum apud ipſum aſylum patebat. Reliqui civium, licet non adeo ſplendide ædificarent, tamen violentia atque rapacitate ipſi nihilo cedebant, adeo ut Florentia, quantumvis publico hoſte deſtituta, à civibus propriis depopularetur.

A propriis porro civibus exhauſta. Atque ſub hæc tempora bellum, in Regno Neapolitano, geſtum, cujus ſupra mentionem fecimus, incidit, cui aliud acceſsit, quod in Flaminia Pontifex contra Malateſtas moverat, utpote quos Arimino atque Ceſena expulſos cupiebat, adeo, ut inter eos motus, conatusque de bello Turcico, Pontifex Pius vitam omnem duceret. At Florentia, diviſionibus cladibusque inteſtinis, laborare pergeret.

Diximus, paulo ante, diviſionem iſtam, ex cauſis quas narravimus, inter partes Coſmi originem anno LV. ſumſiſſe, verum id temporis ipſius prudentia ſopitam fuiſſe. Poſtquam vero morbi paulatim apud ipſum invaleſcerent, tandem anno LXIIII. vitam cum morte commutavit. Doluere ſane mortem ejus

Coſmi Medicei obitus.

ejus non modo amici, ſed etiam inimici, ii ſiquidem qui publicæ adminiſtrationis cauſa ipſum minus amaverant, poſtquam animadvertiſſent, quam avare, ipſo adhuc vivo, ab aliis deprædati fuiſſent, qui nimirũ ejus authoritati atq; exiſtimationi vel id tribuebant, ne omnino intollerabiles eſſent, non præter rationem metuebant, ne ipſo è medio ſublato, plane peſſumdarentur; neque etenim in Petro, ejus filio, magna ipſis ſpes erat, nam licet is facili eſſet ingenio, quod tamen etiã ipſe cũ valetudine adverſa cõflictaretur, præterea in rebus gerendis recens eſſet, timebant, ne iſtorum exiſtimationi cedere, neceſſe haberet, ut adeo ipſis, jam omni fræno ſolutis, ad omnes injurias via proclivior futura ſit.

Fuit Coſmus omnium civium, quos non modo Florentia produxit, verum etiam quotquot unquam Reſp. togatæ, quarũm memoria ſupereſt, extitere, celeberrimus: ſiquidem non ſolum authoritate atque divitiis, verum etiam liberalitate atque prudentia, omnes iſtius ſæculi facile ſuperavit, liberalitate etenim, inter alias ipſius virtutes, atque magnificentia, omnes alios homines prætergreſſus, iis intermediis, ſupremam Reipub. adminiſtrationem adeptus erat. Quæ quidem liberalitas, ab obitu potiſsimum ipſius, poſtquam nimirum Petrus ſuarum facultatum rationem inire cuperet, manifeſta fuit: ſiquidem nemo civium, alicujus nominis, in urbe erat, qui non magno ære ipſi teneretur, poſtquam nimirum Coſmo moris fuiſſet, quam ſæpiſsime non rogatus, neceſsitatibus virorum nobilium ſubvenire. *Coſmi vita & laudes.* *Liberalitas.*

Magnificentia porro ex ædificiis, ipſius ſumptibus paratis, patuit: In ipſa ſiquidem urbe, cœnobia, templaque S. Marci, atque Laurentii, monaſterium præterea S. Verdiani, in montibus porro Feſulanis, S. Hieronymum, Abbatiam, atque in Mugello, cœnobium Fratrum minorum, non modo reſtauravit, ſed ex fundamentis ipſis duxit. Præterea templa ad S. Crucem, ad Servos, ad Agnos, ad S. Miniatum, ſplendidiſsimis altaribus atque ſacellis illuſtravit, eaſque *Magnificentia.*

ædes porro ornamentis, quæ ad cultum ſpectant, o-mnis generis referſit.

Hiſce publicis ædificiis, privata inſuper acceſſere, unas ſiquidem in ipſa urbe ejus magnificentiæ, quæ tantum civem decebat, præterea ad Carraggium, apud Feſulanos, Cafaggiolos, Trebiumq; , palatia non privato cive ſed Rege digna, exſtruxit, neque magnificentiam ſuam, Italia ſola, comprehendi contentus, apud ipſos Hieroſolymitanos Xenodochium, quo pauperes & infirmi reciperentur, fieri curavit, atque his ædificiis, ingentem auri vim abſumpſit.

Studium in pauperes.

Quanquam vero iſthæc ipſius ædificia, resque geſtæ, omnino Regiæ, atque ipſe ſolusque Reipub. Florentinæ Princeps eſſet, nihilominus ea prudentia res ſuas moderari conſueverat, ut civilem modeſtiam, rationibus ſuis, nunquam excederet, ſed tam in colloquiis, quam vehendi, omnibusq; vivendi modis, affinitatibusque, ſemper intra modeſtiæ fines ſeſe contineret. Neque etenim ignorabat, *res communem „ modum excedentes ſi eæ indies oculis obverſentur, longe ma- „ jorem invidiam conciliare, quam ſi ſint quidem, at modeſtia „ obtegantur atque deliteſcant.* Eam ob rem, cum filiis ſuis nuptiæ quærendæ eſſent, eas non ex principum familiis petiit, ſed Joanni Corneliam Alexandriam, Petro vero Lucretiam Tornabuoniam junxit, Ex Petro, neptes, Blancam Guilielmo Pazzio, Nanninam vero Bernardio Rucellaio matrimonio locavit.

Modeſtia atq; humanitas.

Ad res porro publicas, tam perveſtigandas quam tractandas, ſagacitate omnes ſui ſeculi Principes, longo poſt ſe intervallo reliquit. Atque hinc quidem factum eſt, ut in tanta fortunæ inconſtantia, eaq; in urbe, quæ tam variis ingeniis animiſq; agitabatur, ipſe, perpetua ejusdem fortunæ ſerie, XXXI. annis uteretur. Prudentia ſiquidem ſua, res adverſas ex longinquo proſpiciebat, indeque vel earum incrementa avertebat, vel ſi forte eas vires adipiſci contingeret, ne tantopere iis offendi poſſet, præcavebat. Atq; iis quidem rationibus, non modo inteſtinam, ſed etiam multorum Principum ambitionem, tanta felicitate cohercuit

Prudentia.

cuit,ut illi qui Florentinis fœdere jungerentur, ut plurimum aut vincerent,aut æquo Marte pugnarent, qui vero ſeſe oppoſuiſſent, ii aut temporis atque facultatum, aut etiam non raro ditionum ſuarum jacturam paterentur.

Hujus rei Venetorum Reſpub., ampliſsimum teſtimonium eſſe queat, utpote quæ ipſi conjuncta, Philippo Duce ſemper ſuperior,disjuncta vero, tam ab eo,quam à Duce Franciſco, victa oppreſſaq; eoq; præterea tempore,quo ea, unà cum Alfonſo Rege, Florentinis bellum movere cœpit, tam Venetorum Reſpub.quam regnum Neapolitanum,adeo fortunis exhauſtum ejus opera fuerit,ut ipſo credita ſua repoſcente, pax ex ejus arbitrio ipſis amplectenda eſſet. *Fortuna proſperrima.*

Anguſtiæ ergo, quibuscum ipſum, tam in urbe, quam extra eam conflictari contingit,tam ipſum felici exitu,quam inimicos ejus damno affecerunt,ſiquidem, ut civiles diſcordiæ ejus authoritatem in ipſa urbe ita motus qui extra eam,ipſi potentiam atque exiſtimationem peperêre : adeo ut ejus induſtria, vicus S. Sepulchri,Monſolei,Caſentinum, Vallisque Bagni,patriæ imperio adjiceretur,ipſiusque virtute atque fortuna, tam hoſtes exſtinguerentur, quam amici,immenſum creſcerent.

Ætas. Natus erat anno MCCCCLXXXIX, ipſa Coſmi & Damiani die. Adoleſcentiam geſsit ſollicitudinis & diſcriminis plenam, ſicuti ex ipſius vinculis, exilio,mortisque præſenti periculo,videre licet, quibus acceſsit, quod ex concilio Conſtātienſi,quo Pontificem Joannem comitatus fuerat, poſt ejus exauctorationem, ipſi, aliena veſte obtecto, fuga ſalus quærenda fuerit. Verum ab anno ætatis quadrageſimo,adeo proſpera fortuna uti cœpit, ut non modo illi, qui publicæ rei cauſa ipſi jungerentur, verum etiam, qui per univerſam Europam ipſius res gerebant, ejusdem fortunæ participes fierent, multæque familiarum Florentinarum inde immenſum locupletarentur, quod Tornabuoniorum, Benciorum, Portinariorum & Saſſetto- *Diſcrimina.* *Opes immenſæ.*

rum

rum familiæ, abunde fidem facere queant, poſt quos præterea ii, qui ab ipſius conſiliis fortunisque pendebant omnes, adeo divitiis excrevêre, ut licet in templorum, aliorumque ædificiorum ſtructuras, atque eleemoſynas, immenſam, auri vim indies erogaret, nihilominus aliquoties apud amicos quereretur, ſe nunquam eousque largiendo in Dei honorem progreſſum, ut Deum rationibus ſuis debitorem haberet.

Corporis habitus. *Eloquentia.* Erat habitu corporis mediocri, colore fuſco, aſpectuque venerabili: Doctrina nulla imbutus, verum eloquentiſsimus atque naturali ſcientia dotatus, eamque ob rem erga amicos officioſus, erga egenos miſericors, in converſatione utilis, in conſiliis cautus, in exſequendo promptus, in dictis atque reſponſionibus acutus pariter & gravis. Significaverat ipſi Reinaldus Albizius, ſub initium exilii ſui, Gallinam ovis incubare: cui reſponderi curavit, haud *illam feliciter extranidum*. Aliis, qui haud ſe dormire dixerant, id ſe facile credere reſpondit, ſe etenim ipſis ſomnum excuſsiſſe. De Pontifice Pio, qui Principes Chriſtiani orbis in Turcas concitare conabatur, ajebat, eum ſenem eſſe, nihilominus ea, quæ adoleſcentum eſſent curare. Venetorum legatos, qui unà cum Regis Alfonſi oratoribus, conqueſtum ad Florentinos miſsi fuerant, detecto capite interrogavit, cujusnam coloris capillos gereret? cum illi canos eſſe reſpondiſſent, ſubjunxit, atque propediem Senatores veſtri æque canis capitibus cõſpicientur. Interrogaverat ipſum uxor, paucas ante obitum horas, cur oculos clauderet? quo eos aſſueſcam, reſpondit. Cum ab exilio reverſo, cives quidam ipſi exprobrarent, civitatem deturpari, ex qua tot viri boni expellerentur, dixit, ſatius eſſe civitatẽ deturpatam, quam everſam, habere porro ex duabus ulnis panni purpurati virum bonum exire, neque imperia, Paternoſtris conſervari. Quæ quidem voces, adverſariis occaſionem calumniandi præbuere, tanquam magis ſeipſum quam patriam, atque hanc potius quam futuram vi-

tam

tam amaret. His multa ipſius dicteria conjungi poſſent,quæ tamen, ut minus neceſſaria, omittenda duco.

Amor erga literatos. Magna porro benevolentia literatos doctosque proſequebatur,eamque ob rem Argiropolum,virum Græcum, eoque ſæculo magno in precio habitum, conduxit,quo juventus Florentina Græcas litteras edoceretur. Alebat porro in ædibus ſuis Marſilium Ficinum,alterũ Platonicæ philoſophiæ patrem: eumque ſummo amore proſequebatur, tandem quo is commodius ſtudiis ſuis vacare, ipſeque magis ex ſententia eo uti poſſet, eum amœniſsimo prædio, quod ipſius ad Carreggium contingebat,donavit. Atque hæc quidem viri prudentia,divitiæ,ratio vivendi, atque fortuna effecerunt, ut à civibus tam amaretur quam metueretur, atque porro à Principibus non modo Italiæ,verum etiam univerſæ Europæ,maxime in exiſtimatione haberetur,unde quidem ipſius poſteris licuit, non modo virtutem ipſius æquare, ſed etiam fortunis eum anteire, eaque authoritate, qua Coſinus Florentiæ pollebat, non tantum in urbe, verum etiam in orbe Chriſtiano potiri.

Animi moleſtiæ. Interim poſtrema ipſius ætas,ærumnis non caruit. Siquidem duorum filiorum alterum,Joannem nimirum, in quo ipſi plus ſpei erat,amiſit,alterum valetudinarium, eamque ob rem, neque publicis neque privatis negotiis parem,reliquit: adeo ut aliquando, poſt mortem filii,per ædes delatus, ingemiſcens diceret,atqui hæ ædes nimis amplæ ſunt tam parvæ familiæ. Porro majeſtatem animi ſui, etiam hoc non mediocriter afflixit,quod patriam non majore dominio amplificare ipſi obtigiſſet, idque eo plus doluit, quod ſe à Franciſco Sforzia deceptum arbitraretur, utpote qui ſæpius pollicitus ipſi fuiſſet, ſi eum Mediolano aliquando potiri contingeret, ſe Luccenſes imperio Florentinorum ſubjecturum, quibus tamen verbis fides defuit,ſiquidem Comes ille,cum fortuna, animum pariter mutaverat, atque Ducatu potitus, imperio quod armis adeptus erat,per pacem frui maluit:

luit: ab eoque tempore, quo eò fortunæ conſcendiſſet, vel in Coſmi, vel in cuivis alterius gratiam, bellis ſeſe implicare nunquam perſuaderi potuit, niſi forte defendendi ſeſe neceſsitate eò adigeretur. Quæ quidē res Coſmum non mediocriter, angebant, quod *nimirum* ſibi videretur, operam atque oleum, quo hominem ingratum atque perfidum eveheret, perdidiſſe. Vrgebat illum præterea, quod ob valetudinem; nec publicis nec privatis negotiis, priſtina ſedulitate tractandis, ſe jam parem animadverteret, quæ quidem utrinq; Reſpub. nimirum à civibus; fortunæ vero à miniſtris atq; filiis perperam adminiſtrarentur. Atq; eas quidem ob res, ſenectute ipſum minus tranquilla frui contigit, obiit tamen gloria cumulatiſsimus, ſummiq; nominis: ſiquidem non modo cives omnes; tam intra quam extra urbem, verum etiam univerſi Chriſtiani orbis Principes. ipſius mortem ſe dolere; apud Petrum filium teſtati ſunt, funeri porro ejus omnes cives interfuere: oſſa templum S. Laurentii excepit tumuloque inſcriptum publico *Patri Patriæ:*

Neq; verò mirari quempiam velim, qui hiſtoriam univerſalem me ſcripturum profeſſus ſum, quod hac in parte eos imitatus fuerim, qui vitas heroum deſcribendas adgreſsi ſunt, poſtquam etenim Coſinus, plane ſingularis rarusq; cives fuit, facere ſane non potui, quin extra inſtituti ſeriē, ad ejus laudes deflecterem.

Ludoicus Galliæ Rex bello petitus.

Dum ergo Italia, eum quem ſupra recenſuimus ad modum, comparata eſſet, interim Ludoicus Galliarum Rex, graviſsimo bello, quod ipſi regni proceres, Franciſco Brittaniæ Duce; Caroloque Burgundo ſociis moverat, implicatus erat, adeo ut iis neceſsitatibus impedito, Joannis Andii res, apud Genuenſes, inq; Regno Neapolitano curare ipſi minime liberum eſſet, ſed potius aliunde auxilia conquirere neceſſe haberet. Eam ob rem, urbē Sabaudiæ, quæ hactenus penes Gallos manſerat, ejusque imperium in Franciſcum Ducem contulit, ipſiq; præterea conceſsit, ut Genuenſes ſibi ſubjiceret. quæ quidem occaſio cupide arrepta, in cauſa fuit, ut Dux tan-

tā amicitia pollens, Adorniorum præterea favore adjutus, Genuēſium imperio haud difficulter potiretur. Quo ergo ſeſe Dux Regi non ingratum probaret, viciſsim ipſi M D. equites, Duce Joanne Galeazio, filio ſuo natu majore, ſubſidio ire curavit. *Dux Franciſcus Genua potitur.*

Poſtquam igitur Ferdinandus, univerſo jā Regno Neapolitano, Dux vero Ducatu Mediolanēſium atq; Genuēſiū imperio potitus, interq; ipſos amicitia, affinitate firmata eſſet, utriq; deinceps animū, adplicare cœpere, qua porro ratione ſeſe undequaq; ſic munirēt quo tā imperiis partis tuto perfui, q̄ eadē ad hæredes libere transmittere poſſent. Eam ob rem, omnino neceſſarium eſſe conſtituerunt, tam ut Rex Barones illos opprimeret, qui Joanni Andio contra ipſum militaverant, quam ut Dux operam daret, quo militia Bracciorum, utpote naturali odio ſibi adverſa, extingueretur, quæ quidem, Jacobo Piccinino duce maxima in exiſtimatione habebatur, utpote qui primus copiarum dux in univerſa Italia audiret, cæterū nulla ditione peculiari gauderet, eáq; ob rē omnib. qui imperio aliquo potiebantur, metuendus eſſet, imprimis vero Duci, ſuopte exemplo edocto, videbatur vivo Jacobo neque ſe tutum eſſe, neq; imperium tuto ad poſteros propagare poſſe.

Rex ergo omni induſtria arteque ad conciliandos circūq; veniēdos Barones ſuos uſus, felicē rei ſucceſſū habuit, ſiquidem illi ex bello manifeſtiſsimū ſeſe diſcrimen, ex transactione vero aliquatenus ambiguum manere animadvertebant. *Cum ergo hominibus naturale ſit, ut mala certiſsima potiſsimum fugiant, inde porro conſequi ſolet, ut inferiores a ſuperioribus facile circumveniantur.*

Ergo pacem à Rege oblatam, Barones, ob manifeſtiſsimū belli periculum, amplexi, inq; ipſius clientelā concedentes, poſtmodum ab eo variis modis atq; aliis aliisq; titulis paulatim exſtincti fuēre: quæ quidē res Jacobo Piccinino, qui id temporis Sulmone cū copiis agebat, maximè ſuſpicioni fuit. Ergo quo ipſe Regē præverteret, apud Franciſcū per amicos conciliationē tentavit, ab eoq;, impetratis ampliſsimis pollicitationib. tandem ad eum, centum equis ſtipatus, Medio

lanum conceſsit. Militaverat ſub patre poſtmodum unà cum fratre, primo Duci Philippo, poſtea vero ipſis Mediolanenſibus, Jacobus permultos annos, eamque ob rem, complures Mediolanenſium, amicitia ſibi junxerat, univerſæque urbis benevolentiam promeruerat, quæ quidem ex occaſione augmentum recepere, Sforziis ſiquidem ſecunda fortuna, atque potentia, invidiam conciliaverat, Jacobo contra res adverſæ, tum diuturna ejus abſentia, commiſerationem apud populum Mediolanenſem, ejusque videndi maximum deſiderium excitaverant, quæ quidem ſub ejus adventum manifeſto ſeſe prodidere, ſiquidem pauci ex nobilium ordine fuere, qui ipſi obviam non progrederentur, præterea magna eorum, qui ejus videndi deſiderio tenebantur, copia, per vias confluxerat, nomenque ipſius per univerſam urbem exaudiebatur, adeo ut ea animorum propenſio, ipſius exitium maturaret: atque Ducis alioquin ſuſpicacem animum, deſiderio ejus opprimendi eo amplius accenderet.

Jacobus Piccininus Franciſci Ducis notham ducit.

Quo vero id minus depræhendi poſſet, curavit Dux, ut nuptias Jacobus cum filia ſua notha Druſiana, quam jam dudum ipſi deſponderat, celebraret, quibus peractis deinceps cum Ferdinando egit, ut eum ad ſe reciperet, atque copiis ſuis, centum millium florenis annuo ſtipendio numeratis, præficeret.

Quibus eum ad modum peractis, Jacobus unà cum conjuge Druſiana, Ducisque legato, Neapolim profectus, honorifice & gratanter ibidem exceptus, atque ſatis diu ſolenniter habitus fuit. Poſtquam vero Sulmonam, ad copias ſuas regredi cuperet, veniamque ejus rogaſſet, à Rege ad convivium in arcem vocatus, eoque peracto, ipſe, unà cum filio Franciſco, in vincula conjectus, pauloque extinctus fuit.

A Ferdinando Rege extinguitur.

Atque hunc ad modum Italiæ noſtræ proceres, eam virtutem, qua ipſemet deſtituebantur, apud alios metuebant, atque extinctam cupiebant, qua quidem

dem re eam provinciam, tot cladibus & calamitatibus expoſuere, quibus cum illam paulo poſt conflictari contigit.

Inter hæc geſta, Papa Pius res Flaminiæ compoſuerat, inde ad bellum Turcis inferendum converſus, quod jam pace undique parta commodius licebat, eadem via, qua anteceſſores ſui inſtiterant, idem urgere cœpit, cui quidem rei omnes Principes, qua copiis, qua opibus, opem ſuam pollicebantur, inter cæteros vero Matthias Hungariæ Rex, Carolusque Burgundiæ Dux, bello ipſi intereſſe decreverant, eamque ob rem copiis omnibus præfecti fuerant, negotiumque eousque deductum, ut Pontifex ſpe rei bene gerendæ plenus, Roma Anconam commigraret, quo loci univerſus exercitus ex conſtituto convenire, atque Venetorum claſſe mare trajicere debebat. Ergo poſt Pontificem, tanta hominum copia eò confluere undique cœpit, ut paucorum dierum intervallo omnis annona, etiam quæ aliunde ſubvehebatur, conſumpta eſſet, omnesque jam fame laborarent. Præterea nec pecuniæ neceſsitatibus eorum, qui ea indigebant, ſublevandis, ſupererant, nec arma militi ſuppeditabantur, Matthias etiam ipſe unàque pariter Carolus nusquam comparuere. Veneti quidem aliquot triremibus ſub præfecto quodam claſsis, ibi ſeſe conſpiciendos exhibuere, non quod eæ ad trajiciendas copias ſufficerent, ſed potius, ut fidem obſervaſſe dicerentur. Inter quos quidem motus, labores, atque moleſtias Pontifex ſenio & valetudine confectus, vitam cum morte commutavit, à cujus porro obitu, quique ad ſua dilabi cœpere.

Novi motus Pontificis in Turcas.

Eius in curanda annona vecordia.

Succeſsit ipſi Anno MCCCCLXV. Paulus III. Venetiis oriundus. Anno poſt, hanc vitam deſeruit, (adeo ut fere fatale videretur, omnia imperia Italiæ ea tempeſtate mutationem pati) Franciſcus Dux Mediolanenſis, cui ſucceſsit Galeazius filius. Atque ab hujus quidem Principis obitu, diſsidia Florentinos manifeſtius agitare cœpere. Mortuo ſiquidem Coſino, Petrus ij ſius filius, facultatumq; omni-

Papa pius II. moritur. Pontifex Paulus III. Franciſci Ducis mors.

um atque dignitatum hæres, vocato ad ſe Dietiſalvo Nerone, ſummæ authoritatis viro, interque reliquos cives præſtantiſsimo, inq; cujus fidem Coſmus eousque recubuerat, ut moriens, ex ejus conſilio, omnes facultates, resque ſuas omnes, Petrum deinceps adminiſtrare vellet, ipſi fidem, quam Coſmus in eum collocaſſet explicavit, inde oratione deflectens, de ſe ipſo verba facere, animumque ſuum qui non minus erga cineres patris, quam erga vivum affectum eſſet, patefacere, tandemque de adminiſtratione, tam publicarum quam privatarum rerum, ejus conſilium rogare cœpit: quo vero à facultatibus initium fieret, cupere ſe omnes ſuas expenſi atque accepti rationes, ipſi concredere, quo nimirum eo certius de ſingulis ſtatuere, ſuoque conſilio ipſi adeſſe poſſet. Promiſit fidem & ſedulitatem in omnibus Dietiſalvus, verum poſtquam rationes inſpexiſſet, accuratiusque perluſtraſſet, eas omni ex parte reſtitutione opus habere animadvertit.

Petri Medicei inſtitutum.

Ergo cum hominem propria potius ambitio, quam fides erga Petrum, aut beneficia à Coſmo accepta agitarent, rediu multumq; apud ſe deliberata tandem Petri authoritatem atq; exiſtimationem, quam Coſmus ipſi ferè hæreditariam reliquerat, evertere conſtituit, eamq; ob rem eum conveniens, conſilio in ſpeciem honeſto atq; minime iniquo, verũ ſub quo exitium Petri lateret, demonſtrare cœpit, nimirũ quantũ diſperſe res ſuas habere, proſpiciẽdumq; ipſi omnino eſſe, ne unà cum tot malis nominibus, etiã de fortunis dignitateq; periclitaretur. Huic vero diſcrimini honeſtius vix obviam iri poſſe, quam ſi ſtudioſe omne æs, quod pater, tam intra quã extra urbem liberalius commodaverat, tanquam concreditũ repeteret. Poſtquã etenim Coſmus, quo multos ſibi, tam in Repub. quã extra eam, amicos pararet, omnibus fortunas ſuas liberaliſsime patere voluiſſet, eam ob rem æs quod ea ratione creditum fuiſſet, immenſum erat.

Dietiſalvi Neronis in ipſum animus ſub dolus.

Videbatur id conſilium Petro, tam utile quam honeſtum, quod nimirum diſcrimen proprio ære avertere

tere liceret, verum vix eas pecunias repetere inſtituerat, cum univerſi cives conqueri, & tanquam non propria, ſed quæ ipſorum eſſent repoſceret, nulla cujusquam habita ratione, ipſum convitiis poſcindere, atque ingratum avarumque vocare cœpere.

Eam igitur univerſalem invidiam, conſiliis ſuis in Petrum concitatam, poſtquam Dietiſalvus animadvertiſſet, clam apud Lucam Pittium, Agnolum Acciaivolum, Nicolaumque Soderinum re deliberata, Petrum univerſi authoritate atque dignitatibus emungere conſtituere. Ferebantur porro horum alii aliis de cauſis. Lucas quidem Coſmo ſuccedere optabat, ſiquidem in id faſtigium jam conſcenderat, ut Petro ſubeſſe averſaretur. Dietiſalvus vero ſperabat, poſtquam Lucam adminiſtrationi univerſæ Reipub. imparem eſſe animadvertiſſet, amoto Petro, non longo poſt intervallo, Rempub. neceſſario in ſuas manus deventuram. Soderinus optabat civitatem magis liberam eſſe, atque ex arbitrio magiſtratuum adminiſtrari. Agnolo cum Mediceis privatæ inimicitiæ interceſſerant, hanc ob cauſam. Duxerat jam olim Raphael Agnoli filius, Alexandram Bardorum, maxima cum dote, quam, ſeu ob ſuos ſeu aliorum defectus, tam ſocer quam maritus indigne habebant, eam ob rem Laurentius Hilario, adoleſcentulæ affinis miſericordia erga eam motus, nocte quadam multis armatis ſtipatus, eam ex ædibus Agnoli rapuerat. Conqueſti eam ob injuriam Acciaivoli, ad arbitrium Coſmi remiſsi fuere, atq; ab eo judicatum, ut Acciaivoli Alexandræ dotem reſtituerent, porroque in adoleſcentulæ arbitrio ſitum eſſet, ad maritum redire. Videbatur Agnolo, ſe eo in negotio non pro amico à Coſmo habitum, eamq; ob rem, quá in Coſmum evomere non poterat vindictam, in filium machinabatur. Nihilominus, in tanta amicorum diverſitate, omnes unam eandemque cauſam prætendebant, tanquam Rempub. authoritate magiſtratuum, non ex arbitrio paucorum adminiſtrari cuperent.

Eius q; in Petrum laquei.

Non præterea mediocriter odium in Petrum, e-

jusque mordendi occaſionem cumulavit, quod eodem tempore multi mercatores fidem fallerent, cujus quidem rei culpa in Petrum translata, quod nimirum præter exſpectationem credita excutiendo, tot cives, non præter ignominiam damnumque Reipub. fallere docuiſſet. Quibus inſuper & hoc acceſsit, quod de matrimonio, inter Claricem Urſiniam, atque Laurentium Petri filium maximum, ſermo erat, quod quidem pleriſque anſam calumniandi ſuppeditare ampliſsimam videbatur, manifeſto nimirum conſtare, poſtquam Petrus affinitates Florentinarum familiarum faſtidiret, jam urbem ipſum, tanquam civem, minus capere, atque proculdubio imperium ab eo queri: eum ſiquidem, qui cives inter affines habere nolit, eos ſervos ſibi eſſe malle, eoque jure amicis deſtitui. Videbatur jam conjuratorum ducibus victoria in manibus eſſe, major ſiquidem civium pars jucundo libertatis nomine, (quo illi cupiditates ſuas illuſtraverant) circumventa, eorum ſtudia ſequebatur.

Dum ergo iſtiusmodi ſtudia civitatem agitarent, viſum fuit quibusdam, qui civiles diſcordias averſabatur, conari num forte ea novis ſpectaculis coherceri ſiſtique poſſent, ſiquidem *utplurimum plebs otioſa, iis qui movere turbareque cupiunt, inſtrumento eſſe ſolet.* Quo ergo ea ab otio avocaretur, aliisque cogitationibus implicata Remp. omitteret, eam ob rem, anno jam ab obitu Coſmi elapſo non abſentaneum eſſe, publicis ſpectaculis tandem urbem exhilarari, hinc inde ingeſſere, tandemque effecere, ut ea duorum generum ſplendidiſsima inſtituerentur. Primum ſpectaculum erat Magorum, qui ſtellam, Chriſti nati indicem, ſecuti fuerant: quod quidem tanto cum apparatu ſumptuque exhibitum fuit, ut eo diſponendo, univerſa urbs aliquot menſes occuparetur. Alterum fuit haſtiludium, ad quod præcipui Italiæ equeſtris ordinis viri confluxere, unaque cum juventute Florentina eo exercitii genere concurrêre, inter quam quidem, Laurentio Petri filio palma, non quidem

dem ex benevolentia, ſed ob ejus virtutem, tributa fuit.

His ſpectaculis ad exitum deductis, priſtinæ cogitationes reviviſcere, majoreque cum ſtudio quam usquam antea agitari cœpere, unde novæ diſſenſiones, quæ Remp. graviſsimè exercuerunt, originē duxere, porroque duplici de cauſa immenſum amplificatæ fuère. Prima quidem quod Dictatura exſpiraſſet, altera quod ſub id tempus, Franciſcus Mediolanenſium Dux in fata conceſsiſſet, ejusque filius Galeazius per legatos pacta, quæ patri cum Florentinis fuerant, quibusque Reſpub. inter alia, Duci annuam pecuniam pendebat, confirmari petiiſſet.

Mediceis ſiquidem contrarii Principes, occaſionem eam nacti, in publicis conſultationibus, hiſce petitis manifeſto ſeſe oppoſuère, neque etenim cum Galeazio, ſed cum Franciſco amicitiam initam, quo jam fatis erepto, nihil eſſet, quod ad eam reſuſcitandam urgeret, ſiquidem Galeazius illa Franciſci virtute minime polleret, eamque ob rem tantundem commodi hinc ſperari, nec poſsit, nec etiam debeat, quod ſi etenim à Franciſco parum obtinere potuerit, proculdubio à Galeazio minus impetratum fore: quod ſi vero civium aliquis, privatæ potentiæ ſtabiliendæ cauſa ipſi ſtipendia pendenda cenſeat, id porro civili rationi libertatique urbis manifeſto contraire.

Ad hæc Petrus, non conſultum eſſe, ut ex avaritia ſola, tam neceſſaria amicitia negligatur, neque ullam aliam rem Reip. Florentinæ, atque adeo univerſæ Italiæ, tantopere ac fœdus cum Duce conferre, atque vel id ſaltem eo effici, ne Veneti, ſeu ficta amicitia, ſeu manifeſto marte ad ditionem illam occupandam, aſpirare poſsint, ſiquidem dubitari minime debeat, primum diſtractæ inter Ducem & Florentinos amicitiæ diem, eundem etiam belli Venetorum in Ducem initium fore, quem poſtquam adoleſcentem, recentis imperii, amicisque deſtitutum habere ipſis obtingat, haud difficulter eum, ſeu fraude, ſeu virtute,

circumveniri poſſe,quod quidem manifeſto Reipub. Florentinæ exitio ſit futurum.

Non ſatisfecêre adverſariis eæ rationes,inimicitiæque jam aperto erumpere cœpere, atq; quælibet partium noctu,diverſis in locis, Medicei ad Crucettam, adverſarii vero ad Pietatis conveniebant. Atque hæ quidem partes,ad Petrum evertendum, jam permultos civium ſibi conciliaverant,atq; ad ſubſcribendum in ejus ruinam pertraxerant. Inter alias ergo deliberationes,nocte quadam diſputatum fuit, quanam ratione potiſsimum rebus ſuis conjurati conſulerent, in q; eo ab omnibus conventum,Mediceorũ potentiã in fringendam eſſe,de modo ſaltem ambigebatur.

Altera,eademq; modeſta magis ac moderata pars, ſuadebat, poſtquam Baliæ Dictatura exſpiraſſet, eo potiſsimum laborandum,ne ea repeteretur, qua quidem re impetrata,omnium deſiderio jam ſatisfactum eſſe,ſiquidẽ ea ratione,adminiſtratio Reipub. penes magiſtratum atque conſilia ſit futura, quod quidem manifeſto authoritatem Petri imminuturum, eaq; in adminiſtratione Reipub. ejus clades etiam porro fidẽ ejus apud mercatores enervatura ſit, ipſius ſiquidem opes eum in locũ jam redactas eſſe,(ipſi modo fortiter obſiſtant) ne ſibi ad ærarium publicum deinceps via pateat,adeo ut omnino de fortunis ipſius actum ſit,quod quidem ſi impetraverint,nullum amplius ab ipſo periculum ſupereſſe,ſed potius ea via, citra exilia atque ſanguinis effuſionem libertatem recuperari poſſe,quod cuilibet bono civi potiſsimum ſpectandum ſit. At ſi per vim eo pervenire conſtituant, ſane rem ſummo diſcrimine non carere , ſiquidem
„ *non raro evenire ſoleat,ut ultro cadentem ſi negligas,ruina i-*
„ *pſius certo ſubſequatur,at ſi impellis, ille aliunde ſuſtinea-*
„ *tur.* His accedere debere, quod ſi nulla extra ordinem via in ipſum aliquid moveant, etiam ipſi anſam præverti,ne ad arma amicorumque opem confugiat,at ſi nihilominus iſtiusmodi quædam præter occaſionem conetur, tum id priſtinæ in ipſum invidiæ acceſſurum,penesq; omnes tantæ rem ſuſpicioni fu-

turam,ut inde ipſius exitium facilius maturari,ejusq; opprimendi occaſio emergere queat. Aliis vero ea procraſtinatio minime placebat,quod nimirum tempus,non ipſis,ſed Petro profuturum affirmarét,quod ſi etenim viis ſaltem ordinariis inſiſtere velint, tum Petrum nullum diſcrimen , ipſos vero quampluri- ma manere,ſiquidē magiſtratus, licet infenſus,ipſum in urbe laturus,amici vero eundem ad imperium urbis iterū promoturi ſint, ſicuti anno LVIII,eveniſſe meminerint Licet vero prius conſilium bonorum virorum ſit,at hoc prudentum eſſe.Igitur dum odia in Petrum adhuc vigeant,ipſum exſtinguendum,ejusq; rei perficiendæ hanc rationem eſſe,ut intra urbem armis ſeſe quam optime muniant,extra vero Marchionem Ferrarienſem conducant,ne ipſi inermes opprimi queant,reiq; gerendæ tempus, quo Magiſtratum ſuis partibus deditum eligi detur opperiantur. Conſtitutum ergo,ut nova dominorum optio exſpectaretur,indeque ex re nata conſilium caperetur.

Erat inter conjuratos quidam Nicolaus Fedinus, quo ipſi à ſecretis utebantur: atq; is quidem certiore ſpe ductus,rem omnē ad Petrum retulit,eiq; conjuratorum nomina & ſubſcriptiones explicavit. Obſtupuit Petrus ad tantā adverſariorum copiā, præſertim quod ii civium præcipui eſſent:re igitur apud amicos deliberata, etiam ſuorum amicorum rationem ineundam eſſe conſtituit. Cura porro ejus fidiſsimo cuidā amicorū demādata,tantā Petrus animorū varietatē & inconſtantiā expertus eſt,ut non pauci,qui cōtra ipsū nomina dediſſent, etiam pro ipſo ſubſcriberent. *Inſidiæ Petro detectæ.*

Inter has clandeſtinas molitiones, tempus inſtare cœpit,quo optio novi magiſtratus repeteretur,factūque,ut Nicolaus Soderinus,Signo juſtitiæ,quod Gōfalonē ſæpe vocavimus,potiretur. Atq; pol tū videre licuit,quanta non modo præcipuorum civium, verū etiā toties cum plebis frequentia atq; applauſu ad Palatiū eū ſiſti obtigerit, adeo ut inter eundū, capiti corona oleagina imponeretur,quo nimirū pateret,ab eo omnē ſalutem libertatēq; patriæ pendere. Exploratum

" *porro eſt,atq; hoc exemplo firmatum fuit, minime conferre,*
" *ſi ineunte magiſtratu aut imperio, præter ordinem magna de*
" *te exiſtimatione cumulêre, quodſi etenim votis ſatisface-*
" *re nequeas,cum hominum ſit, majora ſperare, quam ipſi*
" *conſequi poſsint, inde fit, ut temporis ſucceſſu ea dignitas*
" *vileſcat, tibiq; infamiam parturiat.*

Fratrem habebat Nicolaus Thomam Soderinum, qui omnibus prudentia, ille vero ferociora atque animo præſtare judicabatur. Atque Thomas quidem Petro amiciſsimus, poſtquam ingenium fratris ſatis exploratum haberet, nihil nimirum eum, quam ſolam patriæ libertatem, atque ut ea citra ullius cladem recuperaretur, deſiderare, author ipſi fuit, ut novas ſortitiones faceret, urnasq; eorum civium nominibus expleret, quibus libertas patriæ grata eſſet, qua quidem re citra turbas, ulliusve injuriam aut cladem, adminiſtratio ad ipſius votum conſtitui atque firmari paulatim poſsit. Facile conceſsit in fratris prudentioris ſententiam Nicolaus, vanisque hiſce curis diſtentus, tempus ſuæ adminiſtrationis conſumere perrexit, neque id reliquis conjurationis ducibus omnino ingratum fuit, utpote qui invidia moti, Rempub. Nicolai authoritate reſtitutam minus cuperent, atque eandem rem, alio Gonfalonerio, æque commode perfici poſſe, non dubitarent.

Elapſo igitur, quo Nicolaus imperio potiebatur, tempore, poſtquam ille multa conatus, nihil perfeciſſet, tandem majore cum ignominia magiſtratum, quam exſpectatione eum adeptus fuiſſet, depoſuit. Atque hic quidem ſucceſſus, partes Petri confirmavit, utpote quo non modo amicorũ animi roborarentur, ſed etiam ambiguorum non pauci ad eum concederent: adeo ut re jam utrinque exæquata, nihil turbaretur, partesque Petri nihilominus vires paulatim ſibi ſumerent. Quæ quidem ab adverſariis animadverſa, eô tandem eos egêre, ut quæ opera magiſtratus perficere minus voluiſſent, vel etiam potuiſſent, ea per vim conarentur certoque apud ſe conſtituerent Petrum qui ad Careggium ægrotabat, inter-

ficere,

ficere,atque ſecuritati ſuæ, Marchionem Ferrarienſem cum copiis prope urbem vocare: interfecto porro Petro,armati forum occupare, magiſtratumque ex ſuo arbitrio,opera dominorum, conſtituere,quos quidem,licet non omnes, ſuis partibus favere noviſſent,vi tamen metuque facile reliquos ceſſuros ſperabant.

Interim Dietiſalvus,quo animum ſuum profundius celaret,non raro Petrum accedere, deque concordia in urbe conſervanda, conſilia conferre. Neque tamen Petrum conatus iſti vel tantillum latuêre, à Dominico nimirum Martellio præterea edoctus, ſeipſum à Franciſco Nerone, Dietiſalvi fratre, conventum, rogatumq;,ut ab ipſorum partibus,quibus victoria certa & jam depugnata eſſet,ſtare vellet. Petro ergo viſum primo ſibi arma corripienda, occaſionemque ex iis,quæ adverſarii cum Marchione egiſſent,petendam eſſe. Eam ob rem, à Joanne Bentivoglio Bononienſium Principe, ſibi ſignificatum ſimulabat, Marchionem Ferrarienſem ſupra Albim cum copiis eſſe,atque communi omnium ore Florentiam properare: hoc igitur ſub prætextu arma Petrus corripuit,magnaque armatorum copia ſtipatus,Florentiam ſucceſsit, ſub cujus adventum univerſim omnes,qui ejus partes ſequebantur,armati ad ipſum confluxere,idem etiam ab adverſariis factum, verum Petrus eò præſtabat, quod paratus ad ea defendiſſet, illi vero nondum ſibi ſatis proſpexiſſent. *Petrus arma capit.*

Dietiſalvus, qui ædes ſuas Petro vicinas haberet, ibi ſe non ſatis tutum ratus, modo in Palatio Dominos hortari, ut cum Petro de ſeponendis armis agerent,modo ad Lucam feſtinare, quo ipſius animum partibus confirmaret; verum omnium reliquorum Nicolaus Soderinus ſeſe virum præſtare, ut qui non modo arma corriperet,ſed ferè univerſa plebe vicina ſtipatus,ad Lucam properaret,eumque ad arma capeſſenda,forumque occupandum, poſtquam Dominos propitios hactenus haberent animaret,id enim ſi

Lucas faceret,victoriam omnino certam, at ſi cunctaretur ipſi exſpectandum eſſe, ut vel ab armato hoſte abjectiſsime opprimeretur,vel poſtmodum ignominioſiſsime circumveniretur, atque tum demum ſera pœnitentia ductus ea optaret, quæ tempore excluſus præſtare amplius nequeat. Quod ſi etenim ruinam Petri ex bello deſideret,tum occaſionem ejus jam præ manibus eſſe,ſin vero ex pace eam exſpectet,tum longe proculdubio præſtare ita comparatum eſſe, ut leges dare,in propria,non in hoſtis poteſtate ſitum ſit.

Lius adverſarij diſtracti. Nihil apud Lucam rationes iſtæ quidquam potuere,utpote qui jam animo ſedatior, à Petro porro novis pollicitationibus lactatus, recentique affinitate, (ſiquidem Joanni Tornabuonio unam ipſius neptium,matrimonio junxerat) labefactus fuerat,adeo ut Nicolao author eſſet, quo arma negligere domumq; reverti mallet,hoc etenim ipſi ſufficere debere, Rempub.à magiſtratibus deinceps rectam,atque ab armis undique diſceſſum fore,Dominosque judicaturos, ſi quid porro inter partes minus conveniri queat. Cum ergo Nicolaus ipſum in aliam partem flectere nequiviſſet, domum reverti conſtituit, in hæc prius verba erumpens. Equidem ſolus patriæ meæ benefacere minime ſufficio, vero nihilominus mala ei prædicere valeo. Hæc via,qua vos inſiſtitis, efficiet, ut patria libertate,tu vero fortunis atque dignitate, ego tandem aliique patria privemur.

Inter hos motus Domini Palatium obſepſerant, ſeque una cum Magiſtratu neutram in partem proclives intus receperant. Cives porro, præcipue illi qui Lucæ partes ſequebantur, poſtquam Petrum arma occupaſſe,adverſarios vero ea ſepoſuiſſe animadverterent, jam non de evertendo Petro, ſed potius conciliando agere cœperunt. Primi ergo partium in Palatium concedentes, apud Dominos de urbis conditione, ejusque reconciliandæ rationibus copioſe diſſeruere,cum vero Petrus,valetudine impeditus, conſilio intereſſe non poſſet,uno ore, ad eum in ædibus ſuis conveniendum, præter ſolum

Nicolaum

Nicolaum Soderinum, omnes convenere, ſiquidem his liberorum prius cura fratri Thomæ demandata, rus conceſsit, ut rei exitum, quem ſibi infeliciſsimum patriæ vero damnoſum ominabatur, inde opperiretur. Ergo cum cæteri corâm Petro ſtetiſſent, ille cui perorandum erat, de motibus urbis conqueri, atque demonſtrare cœpit, eum qui primus arma cœpiſſet, majore etiam in culpa deprehendi: poſtquam igitur de Petri, qui primus ea occupaverit, animo incerti ſint, eam ob rem eum conveniri, quo ejus voluntatem cognoſcere, atque ſi ea ex patriæ commodo ſit, ad eam accedere liceret.

Ad quæ Petrus, minime vero eum, qui primus arma cœpiſſet, turbarum cauſam eſſe, ſed potius, qui ad ea capeſſenda anſam præbuerit: quod ſi igitur plus eô animum advertere ipſis libuiſſet, quo modo hactenus ſeſe erga ipſum geſsiſſent, proculdubio minori ipſis admirationi futura, quæ pro ſalute ſua conatus eſſet: animadverſuros ſiquidem, nocturna conventicula, ſubſcriptiones, inſidias in vitam ipſius ſtructas, ipſum in arma compuliſſe, quæ quidem, poſtquam à ſua domo non moviſſent, manifeſto teſtimonio eſſe poſſe, ſe nullius offendendi, ſed ſaltem defendendi ſui gratia huc confugiſſe, neque porro aliud ſeu velle ſeu cupere, quam ut ſibi ſecuro quietoque vivere liceat, ſeſe ſiquidem, exſpirato Dictaturæ tempore, nulla via præter ordinem eam reſtitutam deſideraſſe, imo ſibi placere, ut urbs à magiſtratu regeretur, modo ea re contenti ſint: noſſe eos nimirum debuiſſe, Coſimum ejusque filios, in urbe tam ſub Dictatura, quam absque ea, in honore eſſe poſſe, quam porro anno LVIII, non ſua familia, ſed ipſimet in uſum revocaverint, eam vero, ſi ipſi jam non já deſiderent, neq, ipſum eá velle: verum hæc ipſis non ſufficere, ſeſe nimirum animadvertere perſuaſos eos eſſe, ſe ſalvo, ipſos vix ſalvuos Florentiæ eſſe poſſe, rem ſane adeo ſtupendam, ut eam nunquam ſuſpicari, ne dicat credere potuerit, amicos

micos nimirum ſuos patriſque, non poſſe ſecum eadem in urbe vivere, ſiquidem nusquam, quam quieti ac pacifici civis exemplum, de ſe præbuerit.

Inde ad Dietiſalvum ejusque fratres converſus, oratione gravi ac ſubirata, beneficia, à patre Coſino, accepta, fidem in ipſos collatam, magnamq; contra eorum ingratitudinem, ipſis exprobrare cœpit, idque tanto cum animi affectu pariter & effectu, ut non pauci eorum qui aderant, manus ab ipſis vix temperaſſent, niſi à Pétro cohibiti fuiſſent. Tandem eo deſinens, omnia, quæ ipſi una cum Dominis conſtituiſſent, grata ſibi fore, neque aliud querere, quam ut ſecuritas atque quies ſibi obtingere queat. Diſputatum ad hæc diu multumque, verum nihil concluſum, præterquam reſtituendam Rempub. inque melius collocandam eſſe.

Erat id temporis Juſtitiæ ſignifer, Bernardus Lottius, vir non admodum Petro amicus, cujus ratione ipſi vix tutum videbatur, id temporis aliquid cônari, neque porro magnum, ea in re, momentum ſitum arbitrabatur, quod finis iſtius imperii inſtaret. Verum cum novi Domini, in menſes Septembrem atq; Octobrem anni MCCCCLXVI legendi eſſent, accidit, ut Robertus Leonius ſummo magiſtratu potiretur, qui quidem vix adeptus magiſtratum, poſtquam omnia in procinctu eſſe cognoviſſet, populum ad forum convocavit, novamque Baliam ſeu Dictaturam, quæ omnis Petri partes ſequebatur, reſtituit, â qua porro ii ad munia publica lecti, qui novo regimini convenire judicarentur. Quæ quidem res adeo duces adverſarum partium perculit, ut Agnolus Acciaivolus Neapolim, Dietiſalvus Neronius vero Nicolausque Sederinus Venetias ſeſe fuga reciperent: at Lucas pollicitationibus Petri novaque affinitate fretus, Florentiæ ſubſtitit.

Petri cauſa victrix.

Fuere omnes, qui fuga ſibi conſuluiſſent, inter rebelles ſcripti, univerſaque Neroniorum familia hinc inde diſperſa: inter quos Joannes, id temporis Florentinorum Archiepiſcopus (ut majus malum anteverteret)

Exilia & proſcriptiones.

verteret) voluntario exilio Romam conceſsit. Multi præterea civium, qui ſubito diſceſsiſſent, relegati: gratiæ deinceps Deo, pro reſtituta Repub. compoſitaque urbe, publicis ſolennitatibus actæ, ipſasque inter preces, quidam civium comprænenſi, quæſtionibus adhibiti, eorumque alii necati, in exilium alii acti fuere.

In ea porro fortunæ varietate, Lucæ Pittii exemplum, inter cætera, conſpicuum fuit, ſiquidem confeſtim, quantum victoria à clade, ignominia à dignitate diſtare ſoleat, depræhendere apud ipſum licuit. Nam qui antea ædes ſuas magna civium copia frequentari conſueſſet, mox eas ſolitudine mira deſeri conſpexit, parentes atque amici per viam ipſum non modo non comitari, ſed ne ſalutare quidem audebant, ſiquidem alii dignitatibus, alii fortunis ſpoliati fuerant, atque omnes pariter minis cohercerentur. Ædificia regium ad morem inchoata, ab opificibus deſeri, beneficia antea in ipſum collata exprobrari, dignitates in vituperationes verti cœptæ, adeo ut alii, qui grato animo quædam in eum antea contuliſſent, ea tanquam mutua repoſcerent, alii qui antea ad cœlum usque eum laudibus efferre conſueviſſent, modo violentum tanquam & ingratum proſcinderent, ut tandem, ſero nimis, conſilia Nicolai Soderini neglecta doleret, atque potius cum gloria occumbere cuperet.

Illi vero, qui urbe pulſi fuerant, deliberare, qua ratione quam conſervare non poterant patriam, recuperarent. Verum Agnolus Acciaivolus, antequam ad alia conanda deſcenderet, prius animum Petri tentandum cenſuit, ſi forte ad reconciliationem via ſupereſſet, eam ob rem iſtiusmodi epiſtolam ad ipſum dedit.

Rideo fortunæ ludos, ut nimirum ea ad libitum ex amicis hoſtes, ex hoſtibus amicos facere conſueverit. Meminiſſe proculdubio potes, qua ratione in patris tui exilio (cujus injuriam propriis periculis antepoſui) ego patriam amiſerim, deque vita ipſa periclitatus

tus

tus fuerim, neque unquam, quoad vixi, Coſinum tuamque familiam in honore habere deſii, neque ab ipſius obitu, tibi obeſſe unquam in animum induxi, licet ingenue fatear, adverſam tuam valetudinem, tuorumque liberorum ætatem teneram, adeo me affeciſſe, ut judicaverim, eum ad modum Remp. conſtituendam eſſe, ne poſt tuum obitum patria periclitari poſſet, hinc ea ſucceſſere, quæ egimus, non quidem contra te, ſed in patriæ meæ commodum: qua in re, ſi forte à me peccatum ſit, tamen id quod optimo ex animo profectum, præſertim ob præterita mea officia, merito obliterari debeat. Neque etenim crediderim, poſtquam nimirum familia tua, tam diu fidem meam ſibi perſpectiſsimam habuit, nullam apud te miſericordiam mihi ſupereſſe, omniaque mea merita & officia, unico delicto everſa eſſe.

Ad quæ Petrus ſic reſpondit. Riſus tuus iſthic facit, ne ego lugeam, nam ſi tu hic rideres, ego Neapoli lugerem. Fateor te patri meo bene voluiſſe: verum & tu fateare neceſſe eſt, tot tantaque ab eo te recepiſſe, ut vel inde tanto magis tu nobis, quam nos tibi obſtricti ſimus, quanto facta verbis præſtare conſtat. Poſtquam igitur ſi quid bene feciſti, præmia condigna tuleris, eo minus mirari queas, ſi etiam ob male acta plectare. Nec te amor erga patriam exculpare poſsit, nemini enim unquam perſuaſeris, hanc urbem minus à Mediceis, quam ab Acciaivolis amatam amplificatamque fuiſſe. Honore ergo vacuus illinc vivas, poſtquam hic in honore eſſe noluiſti.

Reconciliationis igitur Acciaivolus ſpe omni excluſus, Romam conceſsit, ibique ſeſe Archiepiſcopo aliiſque exulibus junxit, omni ſtudio atque cura in id pariter intenti, ut Mediceorum cauſa, de qua tum Romæ agebatur, male audiret: quibus quidem conatibus Petrus vix ægre proſpexit, verum opera amicorum eos tandem eluſit.

Ex altera parte Dietiſalvus Nicolauſque Soderinus

derimus, Senatum Venetum in patriam armare nitebantur, quod nimirum ſperarent, Florentinos novo bello implicatos, quod ratione adminiſtrationis recenti fruerentur, ſeſe vix defendere poſſe.

Agebat id temporis Ferrariæ Joannes Franciſcus, Pallæ Strozzii filius, qui anno XXXIIII, cum patre Florentia pulſus fuerat. Valebat hic inter mercatores fide, atque inter cæteros ditiſsimus habebatur. Hunc ergo novi Florentinorum exules adgreſsi, quam facile eſſet patriam recuperare, demonſtrare cœperunt, modo Veneti ea cura ſeſe onerarent: facile vero eò deſcenſuros, ſi ſumptuum pars aliunde ſuppeditaretur, aliâs vero difficillime in id conſenſuros. Facile adhibuit Joannes Franciſcus fidem horum conſiliis, poſtquam vindictæ ſtudio ingenti teneretur, eamque ob rem omnes ſuas facultates ipſis liberaliter obtulit.

Hinc illi ad Ducem Venetorum digreſsi, exilii ſui cauſam ibi agere, atque affirmare cœperunt, nullam aliam ob cauſam ſe pulſos, quam quod patriam ſuam legibus adminiſtrari atque authoritatem penes magiſtratum, non apud paucos eſſe, deſideraſſent: Petrum ſiquidem, una cum iis qui partes ejus ſequerentur, poſtquam tyrannorum ad morem vivere conſueviſſent, per fraudem arma ſumſiſſe, per fraudem eadem ipſis excuſiſſe, per fraudem denique ſeſe patria expuliſſe: neque eo contentos, etiam Deo intermedio alios, qui in urbe manſiſſent, circumveniſſe, inque ipſis publicis, ſacriſque cerimoniis atque ſolennitatibus, (quo nimirum Deum proditionum ſuarum participem haberent) magnum civium numerum in vincula conjeciſſe, atque impio nefandoque exemplo extinxiſſe. Quibus quidem rebus vendicandis, in ſolo Senatu ipſis ſpem eſſe, qui quidem libertati innutritus, merito eorum vicē miſereri debeat, qui libertate ſua excidiſſent. Ergo ſe concitare contra Tyrannos viros liberos, contra impios miſericordes, inque memoriam

Exules Venetos in patriam concitant.

moriam

moriam revocare, qua ratione familia Medicea, Venetorum Reipub. Imperium Longobardiæ excuſſerit, quando nimirum Coſinus, præter reliquorum civium ſententiam, Franciſco auxilia opemque ſubminiſtraverit, adeo ut ſi juſta ipſorum cauſa minus moveantur, ſaltem proprio odio, juſtoque vindictæ deſiderio commoveri debeant.

Veneti Florentinos bello petunt

Atque hæc quidem poſtrema verba, eousque in animos Venetorum penetrarunt, ut re deliberatâ conſtituerent, Bartholomeo Coglioneo, copiarum ſuarum duce, Florentinos quamprimum invadere: copiis igitur quam citiſsime conſcriptis, ea Herculi Eſtenſi, à Borſo Duce Ferrarienſi miſſo junxere. Atque hi quidem primo impetu, quod Florentini nondum in procinctu ſtarent, vicum Doadolanum concremarunt, regionemque vicinam aliquantum vaſtarunt. Verum Florentini, poſtquam partes Petro adverſæ urbe pulſæ fuiſſent, cum Duce Galeazio, Regeque Ferdinando, antiquis fœderis pactis redintegratis, Fridericum Urbinatium Comitem copiis ſuis præfecerant, adeo ut jam amicorum auxiliis ſtipati, inimicorum motus eò minus æſtimarent. Ferdinandus ſiquidem, Alfonſo filio ſuo duce, ſubſidia ipſis miſerat, Galeazius vero ipſe cum ſuis comparuerat, adeo ut jam juſto exercitu coadunato, ad Caſtracarum Florentinorum arcem, ad radices Alpium, quæ ex Tuſcia in Flaminiam vergunt, ſitam, conſiderent. Hoſtis interea verſus Imolam conceſſerat, adeo ut non niſi velitationibus, pro conſuetudine nimirum iſtius ſæculi, res ageretur neque ulla ex parte vel arces cingerentur, vel juſta acie confligendi copia præberetur, ſed potius tentoriis deliteſcentes, ſtupenda ignavia utrinque bellum gererent.

Atque hæc quidem res ſummopere Florentinis diſplicuit, quod nimirum eo bello ſe implicatos cernerent, quod maximos ſumptus, præter omnem commodi ſpem, poſtularet, eamq; ob rem cum legatis, quibus belli cura demandata fuerat, expoſtulavere: at illi culpa omni in Galeazium translatâ, quod is authori-

tate

tate præſtaret, verum experientia deſtitueretur, occaſiones eum negligere, beneque monentibus obtemperare nolle querebantur, neque fieri porro poſſe, eo apud exercitum conſtituto, quidquam præclari, aut ex commodo Reipub. tentari poſſe.

Eam ob rem Florentini Duci ſignificarunt, non mediocriter rebus ipſorum contuliſſe, quod ſua authoritate, atque præſentia exercitum cohoneſtare atq; amplificare voluiſſet, eamque vel ſolam rem, ad percellendos hoſtiū animos ſatis eſſe. Verum ſe longe majorem ipſius atque ditionis ejus, quam propriæ ſalutis rationem habere, eo enim ſalvo, feliciter reliqua proculdubio ceſſura, at eo afflicto, etiam res ipſorum afflictas fore. Ergo non conſultum nimis arbitrari, eum diutius Mediolano abeſſe, non tam quod recenti imperio potiatur, quàm quod hoſtes potentiſsimos atque ſuſpectos habeat, adeo ut aliquid in ipſum machinare conanti, via ſatis proclivis ſit, eam ob rem amice monere, ut relicta copiarum parte, ipſe cum reliquo exercitu ſeſe in tutum recipiat.

Placuit id conſilium Galeazio, nec aliud ſuſpicatus, Mediolanū ſuum repetiit. Obſtaculo igitur eo amoto, quo Florentinorum duces vera ſe locutos reipſa demonſtrarent, propius ad hoſtem ſucceſſere, adeo ut juſto tandem prœlio decertaretur, licet vero id in medium usque diem protractum fuiſſet, neque ulla partium hactenus inclinaſſet, nemo tamen ex tantis copiis occubuit, ſaltem equi aliquot vulnerati, præterea utrinque aliqui milites capti fuere.

Cum vero jam hyems inſtaret, atque pro more copiæ in hyberna deducendæ eſſent, Bartholomeus quidem cum ſuis verſus Ravennam conceſsit, Florentini vero in Tuſciam, Regiæ tandem Ducisque copiæ ad ſua divertêre. Poſtquam igitur hoc bello nihil in urbe, (quod exules Florentini polliciti erant) motum fuiſſet, porro ſtipendia deficerent, de tranſactione agi cœptum, quæ haud magno labore utrimque obtineri potuit. Exules eam ob rem omni tandem ſpe excluſi, alii alia in loca ſeſe recepêre. Dietiſalvus Fer-

rariam conceſsit, ibique à Borſo exceptus fuit. Nicolaus Soderinus Ravennam migravit, ibique à Venetis parce ſublevatus conſenuit, vitamque depoſuit. Obtinuerat vir ille opinionem juſti atque animoſi, verum in conſiliis dubii tardique: unde quidem factum eſt, ut juſtitiæ ſignifer, occaſionem vincendi amitteret, quam privatus recuperare poſtmodum fruſtra tentaret.

Illi porro civium Florentinorum, à quorum partibus victoria ſtetiſſet, poſteaquam ipſis viciſſe non ſatis eſſet, niſi præterea injuriis omnis generis inimicos atque ſuſpectos opprimerent, cum Bardo Altovitio, qui vexillo Juſtitiæ potiebatur, egêre, ut denuo civium alios dignitatibus, alios urbe ipſa pelleret, qua quidem re tam ſibi potentiam, quam inimicis metum perperêre, licet potentia ſua eum admodum abuterentur, ut Deum omnem civitatem, iſtorum prædæ expoſuiſſe, videretur. Quarum quidem rerum Petro raræ innoteſcebant, neque porro iis, quæ ad ipſum deferebantur, ob adverſam valetudinem obſtare poterat, ſiquidem eum ad modum lecto affixus hærebat, ut nullum membrorum, præter linguam officio ſatisfaceret, eamque ob rem nihil aliud præſtare poterat, quam ut ipſos moneret atque obteſtaretur, ut civilem ad rationem vitam inſtituere potiusque patriam ſalvam, quam peſſumdatam obtinere mallent. Quo vero aliqua ex parte plebem reſtauraret, conſtituit ſplendide nuptias filii ſui Laurentii, cui Claricem Urſinam matrimonio junxerat, inſtituere, quæ porro ea magnificentia ſumptuque peractæ fuere, quæ tantum virum decere videbantur, plurimique dies novis ſaltationum, conviviorumque priſcorum ad morem generibus, inſumpti fuere. Quibus, ad demonſtrandam Mediceæ familiæ potentiam, acceſsit conflictus equeſtris, quo prœlium ad amuſsim juſtum exprimebatur, præterea expugnatio arcis eam ad rem fabrefactæ, omnia viſu jucundiſsima, magnaque induſtria atque dexteritate confecta.

Novæ proſcriptiones.

Hæc

Hæc dum eum ad modum Florentiæ agerentur, interim reliqua Italia pace quidem fruebatur, verum ob Turcæ potentiam ſumme angebatur, qui victoriæ ſuæ inſiſtens, jam Euboiam Inſulam, maxima cum Chriſtiani nominis infamia, occupaverat. Sub id tempus animâ exhalavit Borſus Ferrariæ dux, ſucceſſore Hercule fratre relicto. Diem quoque ſuum obiit Sigiſmudus Malateſta Ariminenſium regulus, perpetuus ſedis Romanæ hoſtis, cum ſucceſsit filius nothus Robertus qui poſtea inter imperatores Italiæ clarus fuit.

Borſi Ferrar. Ducis obitus.

Exceſsit quoq; è vivis Paulus Pontifex, qui ſucceſſorem habuit Sixtum quartum, prius Franciſcum Savonenſem appellatum, extremæ conditionis fecisque virum, qui tamen ſua virtute, primo ordini univerſo S. Franciſci præfectus (Generalem vocant) poſtea Cardinalitium galerum meruit. Fuit hic primus Pontificum, qui reipſa demonſtraret, quanta Pontificum poteſtas eſſet, multasq; res, quæ hactenus errores audire meruiſſent, ſub Pontificia authoritate latere poſſe. Alebat inter familiares ſuos duos, qui omnium opinione ipſius filii erant, quos tamen magis honeſto nomine palliaverat, Petrum unum, quem utpote regularem, ad Cardinalitiam dignitatem titulo S. Sixti, evexit, Hieronymum alterum, quem Forojulio donavit, expulſo inde Antonio Ordelaffio, qui eam urbem una cum ſuis majoribus, aliquot ſæculis in poteſtate habuerat. Atque hæc quidem ambitio, ipſius authoritati apud Italiæ Principes haud mediocriter profuit, adeo ut omnes ejus amicitiam ambirent, Duxque eam ob rem Mediolanenſis, Catharinam filiam ſuam notham, Hieronymo locaret, dotis loco urbe Imola attributa, qua non adeo dudum Taddeum Alidoſsium ſpoliaverat. Præterea inter eum Ducem, Regemque Ferdinandum, amicitia nova affinitate firmata fuit, Eliſabetha nimirum, Ferdinandi ex filio Alfonſo nepte, Ducis filio Joanni Galeazio elocata.

Pauli Pontificis mors. Sixtus IIII. Pont. primus Pontificiæ poteſtatis aſſertor.

Filios provinciis donat.

Agebatur ergo in Italia ſatis quiete, maximaque eorum Principum cura, alii alios obſervare, novisque affinitatibus, amicitiis, atque fœderibus ſibi proſpicere. In tanta vero pace, Florentia à civibus ſuis miſere afflicta erat, Petrusque, morbis oppreſſus, ambitionem eorum cohercere non poterat, nihilominus, quo conſcientiæ ſuæ ſatisfaceret, atque ruborem illis incuteret, convocatis ad ſeſe omnibus, eos hunc ad modum affari cœpit.

Nunquam mihi perſuaderi paſſus fuiſſem, ea tempora mihi exſpectanda, ut mores rationesque amicorum, ad inimicos amandos, locoque victoriæ adeptæ, cladem deſiderandam me provocare poſſent: crediderам nimirum, me iſtiusmodi homines mihi conjunxiſſe, quorum cupiditates circumſcriptæ eſſent, nec termino menſuraque deſtituerentur, quibus porro ſufficeret, in patria ſecuros, honoratos, & quod ſummum eſt, ab hoſtibus immunes, & vindicta exſatiatos vivere. Verum nunc demum agnoſco, quantopere ea opinione aberraverim, utpote qui non ſatis naturalem omnium hominum conditionem, eoque minus veſtrâ, perſpectam haberem: ſiquidẽ vobis non ſufficit, tanta in urbe Principũ loco inq; vos ſolos collatas, eſſe dignitates, honores, atq; cõmoda, quę antea multorum civium honori commodoque ſatis erant, non ſufficit vobis fortunas inimicorum inter vos diviſas, non ſufficit vobis oneribus publicis immunes eſſe, iisque pro arbitrio veſtro reliquos affligere poſſe, niſi porro omni injuriarum genere quemvis inſectemini. Vos nimirum iis eſtis, qui vicinos veſtros fortunis emungitis, vos juſticiam Venalem habetis, vos liberas ſententias averſamini, vos pacificos opprimitis, inſolentes contra extollitis. Neque crediderim, in univerſa reliqua Italia, tot violentiæ avaritiæque exempla occurrere, quod in hac ſola urbe conſpicere licet. Ergo ne patria hæc noſtra nobis vitam dederit, ut eandem ei eripiamus? Victoriam nobis pepererit, ut eam evertamus? honore nos affecerit, ut eam infamemus? Polliceor ergo vobis ea fide, quæ à viris

bonis

bonis dari exſpectarique poſsit ſinceriſsima, quod ſi eum ad modum vos gerere perrexeritis, ut victoriæ meæ mihi pœnitendum ſit, tum etiam me ita res meas acturum, ut vos male victoria uſos propediem pœniteant.

Ad ea cives illi reſpondêre, quæ tempori locoque convenire arbitrarentur, verum nihil ab inſtituto ceſsêre. Adeo ut tandem Petrus Agnolum Acciaivolum, clam Cafaggiolum ad ſe evocaret, & cum eo de conditione urbis diu conferret. Neq; quidquã dubii eſt, eum niſi morte præventum, omnes exules in patriam revocaturũ fuiſſe, quo eorũ rapinas, qui in ea manſerant, ea ratione tandẽ coherceret. Verum honeſtiſsimis iſtis conatibus mors adverſata fuit, ſiquidem morbo tam corporis, quam animi anguſtiis oppresſus, è vivis exceſsit, ætatis anno LIII. Cujus quidem virtutem atque bonitatem penitus explorare, patriæ non licuit, quod nimirum Coſmum patrem, ad extremum ferè vitæ actionum ſuarum arbitrum habuerit, eosque qui ſuperfuêre annos, inter civiles diſcordias morbosque exegerit. Excepit corpus ipſius, templum ad S. Laurentium, locusque patri contiguus, funusque paratum eo ſplendore, qui tantum civem decebat. Reliquit ſuperſtites duos filios, Laurentium nimirum atque Julianum, qui licet magnam de ſe ſpem pollicerentur, eos aliquando Reip. magno uſui eſſe poſſe, nihilominus juventute eorum plerique non mediocriter angebantur. *Mors Petri Medicei.*

Erat id temporis inter primos Reip. moderatores, qui reliquos omnes longo intervallo anteiret, Thomas Soderinus, cujus prudentia atque authoritas non modo Florentinis, verum etiam univerſis Italiæ Principibus perſpectiſsima erat. Atque hunc quidem, ab obitu Petri, univerſa civitas obſervare, multique civium ad eum, tanquam caput Reipub. commeare, Principumque alii literas ad ipſum dare cœperant: verum poſtquam prudentia polleret conditionemque tam ſuam, quam Mediceæ familiæ, optime exploratam haberet, iis reſpondere recuſavit: ci-

ves vero, qui officii gratia ad ipſum commeabant, monuit, non ſuas, ſed Mediceorum ædes conveniendas eſſe. Quo vero reipſa præſtaret, quod verbis ſe velle demonſtraverat, convocatis præcipuis familiarum ducibus, ad ædes divi Antonii, præſentibus porro Mediceis fratribus, longo graviq; ſermone, de conditione urbis, de ipſa Italia, de ingeniis Italorum Principum, eorumque conſiliis, perorare cœpit, cujus hæc erat finis, quod Florentinis cōcordibus eſſe inq; pace citra diviſiones in urbe, extraq; eam ſine bellis vivere conſtitutum eſſet, tum neceſſario ambos iſtos juvenes obſervandos, atque Mediceæ familiæ authoritatem ſervandam eſſe. *Homines ſiquidem ad ea agenda, quæ facere jam aſſueverint, nunquam difficulter ferri, novas res ſicuti cito arripi, ita facile omitti negligiq́; ſolere: ſemperq́; fuiſſe proclivius, eam potentiam conſervare, quæ longinquitate temporis invidiam ſuperaverit atq́; exſtinxerit, quam novam ſuſcitare, quæ poſtmodum permultas ob rationes facile opprimi queat.*

Firmatum Mediceorū imperium.

Poſt Soderinum Laurentius, quantumvis juvenis, tanta cum gravitate atque modeſtia differere cœpit, ut omnes in ſpem erigeret, talem eum aliquando fore, qualem ſe poſtmodum exhibuit. His ergo approbatis, Laurentius atque Julianus, tanquam urbis Principes obſervari cœpere, illi vero Thomæ conſiliis obtemperabant. Igitur cum, tam intra quam extra urbem, omnia in tranquillo eſſent, neque aliquo bello communis quies interturbaretur, accidit, ut inopinati motus orirentur, ex quibus futuras calamitates ominari licebat.

Inter familias, quæ ex Lucæ Pittii partibus everſæ fuerant, etiam Nardorum comprǽhendebatur, ſiquidem Salveſter unà cum fratribus, utpote ejus familiæ ducibus, primo in exilium pulſi, poſtmodum ex bello, à Bartholomæo Coglione moto, inter rebelles ſcripti fuere. Horum fratrum Bernhardus erat adoleſcens, promptus pariter atq; audax. Atq; hic quidem, poſtquam ob egeſtatem exilium ferre non poſſet, neque, ex pace conſtituta, quidquam ſpei ſibi ſupereſſe

pereſſe cerneret, aliquid conandum ratus, quo novum bellum ſuſcitaretur, eô animum adplicare cœpit. *Sæpius ſiquidem ex infirmis initiis, res maximæ enaſcuntur magis enim proclive eſt rem cœptam ſequi, quam eam ab initius movere.*

Pollebat Bernhardus familiaritate apud Pratenſes, inq; agro Piſtorienſi, imprimis vero apud Palandranos, quæ quidem familia, licet ruſtica, hominibus, iisque, pro reliquorum Piſtorienſiû more, in armis atq; ſanguine nutritis, abundabat. Noverat præterea, hos animo abalienato eſſe, quod nimirum inter ſua diſſidia, à Florentinis male mulctati fuiſſent, Pratenſium porro ingenia explorata habebat, quod ii nimirum avare atq; ſuperbe ſe haberi putarent, nec ipſum ibi latebant, qui male erga Remp. affecti eſſent. Adeo ut ea accuratius perpenſa, ipſum in ſpem erigerent, poſſe in Tuſcia, ſi Pratenſes rebellare contingeret, incendium ſuſcitari, cui fovendo tot faces undiq; ſuppeditarentur, ut reſtinguendi illius poteſtas haud in arbitrio Florentinorum futura ſit. *Exulum contra conatus.*

Voluit hoc cenſilium Dietiſalvo commune eſſe, eûq; interrogavit, ſi ſibi Prato potiri obtingeret, quænam auxilia, ejus intermedio, à Principibus exſpectanda eſſent? Videbantur quidem Dietiſalvo côſilia ea diſcriminis plena, atq; vix ſucceſſura, verum poſtquâ alieno periculo, fortunâ ſeſe denuo experiri poſſe animadverteret, Bernhardum, ut conſtanter pergeret hortari, eiq; à Bononiêſibus, Duceq; Ferrariæ, auxilia certiſsima polliceri cœpit, modo ipſe Pratum occupatum, in quindecimum uſq; diem defenderet. In ſpê igitur optimam Bernhardus, pollicitationibus iſtis erectus, furtim Pratum ſeſe côduxit, ibiq; re cû aliquibus communicata, eos quam paratiſsimos nactus eſt: eodem animo atq; deſiderio ergo apud Palandranos depræhenſo, dieq; jam ad rem perpetrandam conſtituto, omnia accurate Dietiſalvo ſignificavit.

Regebat id temporis Pratenſes, Florentinorû nomine, Cæſar Petruccius, cui, ſicuti etiam cæteris id genus hominib. receptum erat, portarum claves ad ſe re-

cipere eaſq; egredi aut ingredi cupientibus, tempore præſertim minus intuto, committere. Id ergo Bernhardus non neſcius, congregatis die præſtituto Palandranis, ante diluculum ad portam Pratenſium, quæ Piſtoriam ſpectat, centum circiter viris ſtipatus, furtim ſucceſsit, iique qui in urbe conſilium noverant, etiam ipſi clanculum armis ſeſe munire cœperant, eorumque unus Rectorem claves petierat. Atque is quidem, eum eventum minime veritus, ſervo cuidam, cura clavium demandata, haud difficilem ſeſe præbuerat. Verum inter eundum claves ferro ereptæ, portaque urbis reſerata, Bernhardo cum ſuis, via ad penetrandum in urbem patefacta fuit: qui quidem iis, in urbe qui armati erant, conjunctus, in duas partes agmen ſuum diviſit, una quarum, à Salveſtro Pratenſe ducta, arcem occupavit, altera, Bernardo duce, Palatium cœpit, Cæſaremque unà cum omni familia cuſtodiæ mandavit. Inde in forum progresſi, libertatem vocare cœpere. Jamque dies aderat, multique Pratenſium, ad turbas iſtas, in forum confluxerant: qui quidem, cum arcem unàque Palatium occupatum, Rectoremque in vinculis eſſe audirent, attoniti ad eam rem, authoris neſcii, hærebant. Octoviri interim, penes quos rei ſumma eſſe ſolet, in æde publica congregati, quid ipſis agendum eſſet, deliberabant.

Qui Pratum furtim occupant.

Bernhardus ergo, poſtquam ſatis diu urbem circuiſſet, neminemque movere animadverteret, eodem ſeſe contulit, Octovirisque expoſuit, ſe pro libertate ipſis paranda, patriaque ſua à ſervitute vindicanda iſtud conſilii cœpiſſe, cogitarent ergo, quantæ id gloriæ ipſis ſit futurum, ſi arma cœpiſſent, ſeque libertatis vindicem, ſequerentur, eaque opera, æternam ſibi ipſis famam quietemq; compararent. Neque deſiit priſtinam libertatem, præſentemque conditionem ipſis in memoriam revocare, porro auxilia ipſis certa polliceri, modo aliquot ſaltem dies Florentinorum exiguis copiis, quas ipſi imparati cogere poſſent, obſiſtere vellent, modum præterea in ipſa

Florentia

Florentia fore, quamprimum Pratenſes defeciſſe, ii perſpectum habuerint.

Nihil octoviri his rationibus permoti, ignorare ſeſe ajebant, Florentia an libera an ſerva ageret, utpote quod ſcire ipſorum nihil referret, id vero ſcire, nunquam ſe aliam ſervitutem, quam eam, qua Florentinis obſtricti ſint, expetiviſſe, à quibus porro nunquam tanta injuria affecti fuerint, ut arma contra eos ſibi capeſſenda ſint. Monere ergo, ut Rectorem libertati reſtituat, ſeque una cum ſuis mature diſcrimini eripiat, in quod præter rationem ſeſe præcipitaſſet.

Bernardus ad ea nihilo conſternatior, ad ea, quæ precibus non poterat, minis metuque obtinenda, animum convertere cœpit, atque quo Pratenſes terreret, Cæſarem necandum eſſe duxit. Eum igitur ex vinculis protractum ad feneſtras Palatii ſuſpendi juſsit. Erat jam Cæſar, laqueo collo inſerto feneſtris, proximus, nihilque præter mortem exſpectabat, quando Bernhardum, oculis perveſtigatum, ſic compellare cœpit.

Arbitraris fortaſsis Bernharde, ſi me necaveris, Pratenſes eo facilius tibi morem geſturos, verum plane contrarium eventurum experière: reverentiam ſiquidem, qua Pratenſes Rectores, à Rep. Florentina hac miſſos, proſequi ſolent, tantam eſſe noveris, ut ſi hac atroci injuria me affici conſpexerint, id apud ipſos tam immane tibi odium concitaturum ſit, ut inde tuum exitium certo dependeat, ergo non cædes, ſed vita mea, victoriam tibi comparere poteſt. Quod ſi etenim ea, quæ tu cupis, à me ipſis injuncta fuerint, facilius meo quam tuo imperio concedent, eaque ratione, ſi ego tuam voluntatem ſequar, voto proculdubio potière.

Videbatur Bernhardo, utpote jam conſilii inopi, hanc rationem minime contemnendam eſſe, vocato ergo Cæſari injunxit, ut ex meniana, quæ ex Palatio forum ſpectabat, populum ad parendum hortaretur, quibus à Cæſare peractis, ille quidem in vincula denuo conjectus fuit.

Jamq; impotentia conjuratorum depræhendi cœpta, multos Florentinorum, qui Pratū habitabant, in forū convocaverat, inter quos Georgius Ginorius, eques Rhodius, recollecto animo primus fuit, qui arma capeſſere, atque aliis ſtipatus , in Bernhardum hinc inde diſcurrentē, modoq; precibus, modo minis populum concitantem tanta virtute moveret, ut eum tandem ſaucium in poteſtatem redigeret. Hinc facile porro fuit, Rectorē ex vinculis eripere, atq; demum cæteros profligare, nā cum illi exiguo numero hincq; inde diſperſi eſſent, ferē omnes aut capti aut interfecti fuere. Interim ejus rei fama Florentiam delata, eaq; ut fieri ſolet, in majus exaggerata fuerat, Pratum nimirum occupatum, Rectorem cum univerſa familia obtruncatum, urbem hoſtibus plenā, Piſtorienſes in armis, multosq; eorum civium conjurationis participes eſſe: adeo ut ſubito omne Palatium civibus repleretur, qui ad Dominos ea de re conſultum, conceſſerant.

Prato expulſi.

Agebat id temporis Florentiæ Robertus Sanſeverinus, dux belli celeberrimus, quem Florentini, iis cū copiis, quas ſubitarias cogere poterant, Pratum ablegandum cenſuere: huic ergo injunctum, ut quam proxime ad urbē accederet, omnēq; rē accuratiſsime exploratā Reipub. ducib. ſignificaret, idq; remedii cōferret, quod negotiū, ipſiusq; prudentia requirere videbatur. Ille vero vix arcem ad Campos prætervectus erat, cum nuncio, à Cæſare miſſo, edoceretur, Bernhardum captum, cōplicesq; partim profligatos, partim cæſos, omnemq; motum compoſitum eſſe. Florētiā ergo eo regreſſo, paulo poſt Bernhardus in vinculis eodem conductus fuit: quæſtioni porro adhibitus impotentia conatuum detecta, maluiſſe ſe Florentiæ mori, mortemq; aliquo egregio facinore illuſtrem eſſe, quam in exilio vivere, aſſeveravit.

Motu ergo iſto, nato pariter & exſtincto, cives ad priſtinum vivendi genus redire, eoq; imperio , quod ægre ſtabiliviſſent, & firmaſſent, nulla cujusquam habita ratione, pro libidino frui cœpere. Quæ quidem urbi

urbi ea mala produxere, quæ utplurimum diuturnam pacem comitari ſolent: juventus ſiquidem, præter ſolitum fræno ſolutior, in conviviorum, iſtiusque generis libidinum apparatu, ultra modum inſumebat, otioſaq; aleis, & ſcortationibus, tã tẽporis q̃ fortunarum jacturam faciebat, omneq; ſtudium eò deſinebat, ut ſplendide veſtitis, inque ſermone aſtutis atq; mordacibus eſſe liceret, ſiquidem is, qui alios dextre perſtringere noviſſet, reliquorũ prudẽtior habebatur. *Florentini mores corruptiſſimi.*

Atq; hi quidem mores, ab aula Ducis Mediolanenſis, non contemnendum incrementum ſumſere. Dux ſiquidem una cum conjuge, voti, ut dixerat, adimplẽdi cauſa, una cum univerſa aula, Florentiam conceſſerat, ibique eo ſplendore exceptus fuerat, qui tantum Principem, urbiquo tantopere amicum, decebat. Quo quidem tempore, id urbi noſtræ ſpectare contigit, quod hactenus, in eum usq; diem, viſum nunquam ibi fuerat, Ducem nimirum, omnemque univerſæ aulæ çomitatum, tempore quadrageſimali, quo à carnibus abſtinere conſtitutum eſt, nulla vel Dei, vel ſedis Apoſtoli habita ratione, carnibus exſaturari. *Dux Med. ieiunio quadrageſimali valedicit.*

Ergo cum multo apparatu varia ſpectacula, in ejus honorem, exhiberentur, interque alia in ipſa S. Sancti æde, miſsio Paracleti ad Apoſtolos, oculis conſpicienda proponeretur, multisq; ut fit, facibus res ageretur, igne fortuito latius evagante, omnis ea ædes incendio abſumpta, multisq; inde perſuaſum fuit, Deum indignatum, iſtud iræ teſtimonium nobis exhibere voluiſſe. Quod ſi ergo Duci urbem noſtram ſcortorũ, libidinis, luxus morumq; ab omni bene conſtituta Rep. alieniſsimorum, plenam oſtendere licuit, eam ſane diſcedens omni ea peſte cumulatiſsimã reliquit. Viſum ergo quibusdã bonis civibus, neceſſario libidinem iſtam legibus cohercendam eſſe, eamq; ob rem veſtibus, funeribus, atq; conviviis leges ſcripsêre. *Templum S. Sancti à Deo vindice igne abſumtum.*

In ea porro tranquillitate atq; pace, novi motus denuo Tuſciam turbavere. Offendêre forte quidã civiũ Volaterranorum, in eo agro venam aluminis, cujus ii utilitate perſpecta, [illegible] haberent, tam qui authori- *Volaterranorum defectio.*

tate eos tuerentur, quam in ſumptus convenirent quosdam Florentinorum civium in ſocietatem vocatos, ejus lucri participes eſſe voluere. Fuit res iſta ſub initium (quod utplurimum in re nova uſu venire ſolet) à Volaterrano populo neglecta, verum commodo, quod inde proveniebat, ſero tandem perſpecto, tum demum obviam eundem eſſe cenſuere. Diſputatum eam ob rem in ipſorum conſiliis, iniquumque viſum. fructus publicis in agris repertos, in privatorum commodum cedere. Tandem oratores Florentiam, ea de cauſa conſultum, misêre, negotium quibusdam civibus demandatum, quibus ſive corruptis, ſive quod æquum cenſerent, placuit, Volaterranum populum rê iniquam petere, dum cives eo lucro, quod propria induſtria atque labore paraſſent, ſpoliare cuperent, venasque illas privatorum, non populi eſſe debere. Porro æquum eſſe, ut Venarum domini, annuam pecuniam Volaterranis inde dependeant, eoque ſuperiores eos agnoſcant.

Atque hæc quidem deciſio, non modo nihil ad minuanda, ſed potius ad inflammanda odia, concitandosque motus, apud Volaterranos valuit: adeo ut nihil vel in conſiliis, vel univerſam per urbem, jam aliud ageretur, dum nimirum populus ea, quæ ſibi erepta eſſe prætendebat, repoſceret, privati vero ea conſervare niterentur, quæ induſtria ſua primum parta, poſtmodum Florentinorum ſententia ipſis adjudicata fuerant: adeo ut inter eas altercationes civium non poſtremus, cui nomen Pecorino, poſtque ipſum alii non pauci, qui ad eum conceſſerant interficeretur, ædesque ipſorum deprædatæ atque igne abſumptæ, eodemque impetu vix, à Rectoribus, qui Florentinorum nomine præerant, temperatum.

His eum ad modum perpetratis, ante omnia decrevere, legatos Florentiam mittendos atque magiſtratui Florentino rem omnem exponendam, tandemque petendum eſſe, ut ſibi antiqua pacta ſervarêtur, eoque caſu priſtinum ad imperium ſeſe reverſuros pollicerentur. Agitabatur cauſa in utramque

partem

partem Thomæ Soderino videbatur, Volaterranos recipiendos eſſe, quibuscunque tandem conditionibus ſub imperium reverti mallent, neque etenim ea jam tempora eſſe, quibus iſtiusmodi incendium, cujus impetu Florentia conflagrare haud difficulter poſſet, reſuſcitetur, metuendum ſiquidem eſſe tam ingenium Pontificis, quam Regis potentiam, neque nimium in amicitiam Venetorum Ducisque recumbendum, poſtquā non ſatis exploratum ſit, quanta vel fides penes iſtos, vel virtus apud Ducem ſperari debeat, tritum illud adagium ſubnectens, *potiorem eſſe macilentam transactionem, quam pinguem victoriam.*

Ex altera parte Laurentio Mediceo videbatur, occaſionem ſibi oblatam, qua conſilii prudentiæque vires explicare, teſtarique palam poſſet, cum ergo præterea ab iis accenderetur, qui authoritati Thomæ invidebant, omnino Volaterranorum temeritatem armis cohercendam eſſe conſtitui, niſi etenim hi, memorando exemplo, corrigerentur, etiam alios, omni metu atque reverentia excuſsis, idem pariter, ad quamvis leviſsimas occaſiones, conaturos.

Bello igitur decreto, reſponſum Volaterranis fuit, non poſſe Florentinos iis deinceps pactis inſiſtere, quæ ipſimetjam dudum violaſſent, eam ob rem, aut ſeſe arbitrio Florentinorum committerent, aut bellum exſpectarent. Domum ergo reverſis oratoribus, Volaterrani ad defenſionem ſeſe accingere, neque modo urbem munire, ſed etiam omnium Italorum Principum auxilia rogare cœpere, verum à paucis admiſsi, Senenſium ſolummodo, atque Plumbini Domini pollicitationibus onuſti, domum redierē. *Bello Volaterrani petiti.*

Florentini, quibus omnis victoria in celeritate repoſita videbatur, coacto peditum X.M. equitum vero II.M. exercitu, imperatore Friderico Urbinatium domino, agrum Volaterranum facile occupavêre: Inde obſidione urbem cinxere, quæ quidem in loco editiore, atque fere omni ex parte præcipiti abruptoque ſita, nullibi, quam verſus ædem S. Alexandri, oppugnari poterat.

Condu-

Conduxerant Volaterrani defenſioni ſuæ, circiter mille ſtipendiarios, qui quidem, cum animoſam Florentinorum oppugnationem experti eſſent, atque de urbe tuenda jam deſperaſſent, ad defenſionem *lenti*, verum ad injurias, quibus Volaterranos indies opprimebant, promptiſsimi erant. Ergo miſeri illi cives, poſtquam tam extra urbem ſeſe ſtrenue oppugnari, quam intra eam deplorandum ad modum opprimi animadverterent, omni ſalutis ſpe abjecta, de transactione cogitare cœpere, atque tandem, cum nulla conditio ipſis alia pateret, victorum arbitrio ſeſe dedidêre. Reſeratis ergo portis, Florentinorum legati, introducta maxima exercitus parte, in Palatium quo in loco priores urbis erant, ſeſe recepere, eosq; ad ſua ſe recipere juſſere: quorum quidem unus, inter eundum, à milite quodam, ignominiæ loco, ſpoliatus fuit. Ex hoc porro initio (ut nimirum homines ad mala quam ad bona proniores eſſe ſolent) calamitas urbis originem ſumſit, ut quæ integrum diem prædæ militum expoſita, ac direpta, fœminis, etiam locisq; ſacris nihil tutum eſſet, ſiquidem militum tam ii, qui eam defendendam ſumſerant, quam qui eam oppugnaverant, omnibus fortunis eam denudarunt.

Deditione recepti.

Miſere direpta.

Fuit ea victoria ſumma lætitia à Florentinis excepta, indeque Laurentio, utpote ſolo ejus conſilii authori multum exiſtimationis acceſsit, adeo ut quidam, ex intimis ejus amicis, Thomæ Soderino conſilium ſuum exprobraret, ac diceret, Ecquid nunc ais, poſtquam Volaterram cepimus? Cui ille, At pol ego eam amiſſam dixerim, quod ſi etenim ea per transactionem ad vos rediiſſet, tum vobis ea commode atque tuto frui licuiſſet, poſtquam vero per vim eam obtinetis, neceſſario conſequetur, ut tempore adverſo ea vobis oneri, debilitati, atque faſtidio, pace vero damno atque nocumento ſit.

Pontifex Spoletum diripit.

Interea temporis Pontifex, qui ditionem ſedi Pont. ſubjectam, in fide atq; obedientia perſiſtere vellet. Spoletum, quod ex inteſtinis odiis ab ea defecerat, diripi curavit, inde ad civitatem quam Caſtelli vocant,

cant, quod ea æque contumax eſſet, deflectens, eam obſidione cinxit. Imperabat eo loci Nicolaus Vitellius, cui magna cum Laurentio Mediceo amicitia intercedebat, quam quidem ob rem ejus auxilia ipſi non defuere, licet non ejus momenti, quæ Nicolaum defenderent, nihilominus quæ primis inimicitiarum inter Sixtum, familiamq; Mediceā initiis, fundamento eſſent, quæ quidem niſi morte Cardinalis S. Sixti averſæ, proculdubio confeſtim erupiſſent, Cardinalis ſiquidem ille, univerſam Italiam circumiverat, tandemque Venetias atque Mediolanum, tanquam nuptias Herculis Ferrariæ Ducis cohoneſtaturus, adierat, quo nimirum animos iſtorum Principum, qua illi ratione erga Florentinos affecti eſſent, exploraret: verum vix Romam reverſus vitam depoſuit, non præter ſuſpicionem veneni, à Venetis exhibiti, utpote quibus potentia Sixti ſuſpecta eſſet, ſi ipſi animo operaque fratris Petri, diutius uti licuiſſet.

Licet etenim natura ipſum viliſsima origine naſci, poſtmodumque intra cœnobii parietes abjecte vivere voluiſſet, vix tamen ad Cardinalitiam dignitatem aſcenderat, cum tanta ambitione atque ſuperbia efferretur, ut jam non Cardinalitia, ſed ne Pontificia dignitas quidem ipſum capere poſſe videretur. Siquidem non veritus fuit, iſtiusmodi Romæ convivium celebrare, quod vel Regibus ipſis extra fines videri potuiſſet, utpote cui parando, ultra XX florenorum millia abſumpta fuiſſent.

Cardinalitiæ ſuperbiæ & luxus exemplum.

Hoc igitur miniſtro Sixtus orbatus, conſilia ſua tardius explicare cœpit. Nihilominus cum Florentini, Dux atque Veneti fœdus priſtinum repetiiſſent, ejusque amplectendi Pontifici Regique locum reliquiſſent, maluit Sixtus cum Rege in fœdus convenire, atque eo concedendi reliquis Italiæ Principibus poteſtatem facere.

Atque jam Italia in duas partes diviſa cernebatur, indiesque alia aliaque ſuccedebant, quæ odium inter has partes augerent, ſicuti de Cypro obtigit, ad quam Rex

Italia Pontificis ambitione in duas partes diſtracta.

Rex aſpirabat, à Venetis occupatam. Quod quidem occaſioni fuit, ut Rex arctiore fœdere ſibi Papam conjungeret.

Habebatur eo tempore Fridericus Urbinatium Princeps, imperatorum Italiæ præſtantiſsimus, qui quidem jam diu Florentinis militaverat. Hunc ergo Pontifex, unaque Rex ſibi conciliandum rati, quo nimirum adverſam partẽ tanto duce privarent, hortari Pontifex, Rex vero rogare eum cœpit, ut Neapolim excurrere vellet. Atque ipſis morem geſsit Fridericus, non ſine admiratione atque ſuſpicione Florentinorum, utpote qui ipſi parem cum Jacobo Piccinino fortunam ominarentur, licet contrarium ſuccederet: ſiquidem ubique magno in honore habitus, in ducem porro iſtius fœderis lectus fuit. Animos prætereare gulorum Flaminiæ & Senenſium, Rex atq; Pontifex tentare adgreſsi ſunt, quæ ipſos nimirum ſibi conciliare, eorumque medio Florentinos eô faciliùs opprimere poſſent.

Quod quidem Florentini animadvertentes, quanto par erat ſtudio atque induſtria, ambitioni iſti avertendæ incubuere, inque locum Friderici Urbinatis, Robertum Ariminenſem ſubſtituere, fœdus cum Peruſinis priſtinum repetivere, novumque cum Faventiæ domino pepigere. Odii porro in Florentinos cauſam, Pontifex unaque Rex in eo conſtituebant, quod eos à Venetorum amicitia disjunctos, ſuasque in partes pertractos vellent, videbatur ſiquidem Pontifici, neque ſe authoritatem ſedis neq; Comitem Hieronymum ea quæ in Flaminia obtinuerat tutò habere poſſe, quamdiu Florentinis cum Venetis conveniret. Contra vero Florentini dubitabant, non quod ſuam amicitiam expeterent, ſed quo in injuriam eorum via proclivior eſſet, Pontificem fœdus cum Venetis diſtractum cupere: Adeo ut intereas ſuſpiciones, animorumque varietates, integrum biennium, antequam neutri moverent, exigeretur. Primo vero in Tuſcia, licet res exigui momenti fuerit, *turbatum*.

Supererant

Supererant ex Braccio Peruſino belli duce, quod ſæpius diximus, celeberrimo, duo filii, Otto & Carolus: atque hic quidem tum puer, ille vero in valle Meſenia, ut ſuperioribus libris demonſtravimus, occubuerat: Carolus porro jam adultior, tam ob patris memoriam, quam ſpem de ipſo conceptam, à Venetis vocatus, atque inter turmarum duces ſcriptus fuit.

Exſpiraverat eo tempore obligatio, qua Venetis tenebatur, quam porro renovari ipſemet recuſaverat, quod nimirum conſtituiſſet, de recuperando patris ſui apud Peruſinos dominio, fortunam experiri, quod quidem Veneti facile conceſsêre, utpote quibus ſuetum eſſet, inter turbas imperium amplificare. Conceſsit ergo Carolus in Tuſciam, verum quod res Peruſinas, ob fœdus cum Florentinis difficiliores, quam pro voto experiretur, nihilominus aliquid memoria dignum effectum dare cuperet, Senenſes invadere conſtituit; quod nimirum iſtos, ob patris imperia ſibi hactenus obſtrictos aſſeveraret. Ergò tanto cum impetu in eos impreſsionem fecit, ut ferè omnem eorum ditionem turbaret. Atque illi quidem, utpote quibus de Florentinis male ſuſpicari ſuetum eſt, facile ſibi perſuasêre, iſtam calamitatem ex Florentinorum conſilio prodiiſſe, eamque ob rem, tam apud Pontificem, quam Regem doluêre. Oratoribus præterea Florentiam ablegatis, de injuriis ſummopere conqueſti ſunt; dextreque demonſtrarunt, eos conatus Caroli vires excedere, habereque eum in quem tanta cum ſecuritate recumbat. Ad quæ Florentini ſeſe excuſare, atque polliceri, omni ſtudio ſe facturos, quo Carolus ab ipſorum injuriis diſcedat, eumque ad modum, quo Oratores Senenſium petiere, Carolo injunxerunt, ut à Senenſibus abſtineret.

Ægerrime id tulit Carolus, Florentinos nimirum, quod ſibi minus opem tuliſſent, tam ſeſe magno victoria, quam ipſum inſigni gloria prohibuiſſe, exigui ſiquidem temporis intervallo, urbem ipſam, in eorum

ſe poteſtatem redacturum fuiſſe tantam nimirum animi abjectionem, atque in defendendo vecordiam, ſe apud Senenſes deprædhendiſſe. Ergo inde digreſſus Carolus, ad Venetorum ſtipendia ſeſe recepit. Apud Senenſes vero, licet Florentinorum opera, inſignis iſta clades, ab ipſis adverſa fuiſſet, nihilominus maximum odium manſit, ſiquidem nihil ſeſe debere iis arbitrabantur, qui eos in calamitatem prius præcipitatos inde poſtmodum eduxiſſent.

Hæc dum eum ad modum inter Pontificem, Regem, atque Tuſcos gererentur, alia calamitas, eaque longe majoris momenti, futurique mali prænuncia, Longobardiam afflixit. Inſtituebat inde temporis primam apud Mediolanenſes juventutem publice, Nicolaus Mantuanus, vir literatus & ambitioſus. Solebat is, ſeu quod mores vitamque Ducis averſaretur, ſeu aliam quamvis ob cauſam, in omni ſuo ſermone, calamitatem eorum quibus ſub malo Principe vivendum eſſet, deplorare, eos vero felices habere, quibus in Repub. libera vivere, à natura fatoq; elargitũ fuiſſet. Omnes ſiquidem præſtantiores viros ex Rebuspub. non ex imperiis prodiiſſe, illas etenim virtutes alere, hæc vero eaſdem exſtinguere, illas virtutem ſuorum in patriæ commodum convertere, Principes vero eandem extimeſcere. Eorum vero juvenũ quibuscũ arctior ipſi familiaritas interceſſerat, Joanandreas Lampognanus, Carolus Viſcontius, Hieronymusq; Olgiatus primi erant, coràmq; his ſæpiſsime de peſſima Principis natura eorumq; calamitate, qui ejus ſub imperio degerent, diſputaverat: Tandem eô audaciæ progreſſus, ut ſtipulata fide eosdem adigeret, quamprimum id per ætatem licuiſſet, ſeſe patriam ab ejus Tyrannide vendicaturos. Cum ergo adoleſcentuli deſiderio iſto plane imbuti eſſent, idque temporis ſucceſſu ſenſim cum ipſis adoleviſſet, factum eſt, ut mores vitaque Ducis, injuriæ porro ipſiſmet ab eo illatæ, ejus effectum maturarent.

Galeazij Ducis Tyrannis.

Erat Galeazius libidinoſus pariter & crudelis, idque plurimis exemplis teſtatum, ſummum ipſi odium concitaverat,

concitaverat, ſiquidem non ſibi ſatisfactum putabat illuſtres nobileſque fœminas corrumpere, niſi porro easdem proderet, neq; nece hominum contentus, niſi novo quodam crudelitatis genere illi langueſcerent. Non præter ſuſpicionem præterea erat, quod matrem occidiſſet: poſtquam etenim ea præſente, vix ſe Principem eſſe arbitraretur, eum ad modum ſeſe erga eam exhibere cœpit, ut ea Cremonam, dotis loco adeptam, repetere conſtitueret, quo in itinere, ſubito morbo correpta, interiit, quod quidem veneni, à filio exhibiti, ſuſpicionem non paucis peperit. His accedebat, quod Dux, fœminarum intermedio, Carolo atque Hieronymo ſtuprum intuliſſet. Joannemque Andream in poſſeſsionem Abbatiæ Miramondanæ, quæ à Pontifice ejus propinquo conceſſa fuiſſet, immittere recuſaſſet.

Hæ ergo privatæ injuriæ, deſiderium liberandæ patriæ, penes adoleſcentes iſtos exacuêre, ſperabant nimirum, modo Ducis interficiendi cõatum ſuccedere contingeret, non modo nobiles, verum etiam univerſum populum ad auxilia convolaturum. Re ergo inter ipſos conſtituta, ſæpiſsime convenire (priſtina ſiquidem familiaritas ſuſpicionibus anſam præripiebat) deq; negotio deliberare, firmãdisq; animis vaginis eorum pugionũ, quos ei cædi deſtinaverant, inter ſe certare, modoque pectus, modo latus invicem ferire: tandemque de loco & tempore diſputare. In arce rem aggredi intutum, in venatione incertum pariter & periculoſum, in obambulationibus per urbem difficile, in conventibus dubium videbatur. Eam ob rem publico ſolennique die feſto, quo certo prodituruṁ conſtaret, ipſisque convocandorum eò amicorum facultas eſſet, ipſum opprimendum conſtituere, præterea que firmavere, ſi forte alterum eorum, quacunque de cauſa, à ſatellitio Ducis impediri contingeret, nihilominus reliquis, vi ferroque per medios hoſtes via patefacta, cædem omnino perpetrandam eſſe. *Inſidiæ in Galeazium.*

Agebatur annus MCCCCLXXVI, feſtusque

natalis dies Chriſti propè erat. Cum igitur Duci conſuetum eſſet, ſacro S. Stephani die, protomartyris iſtius ædes ſolenniter accedere,conſtituere conjurati eo loco & tempore rem perficere. Ergo cum ea dies adeſſet,ipſi armatis quibusdam amicis atque familiaribus, tanquam Joanandreæ ſuppetias laturi, cui nimirum decretum eſſet, contra æmulorum voluntatem aquæductum occupare, ad ædes iſtius martyris,ut à Duce veniam prius petituri,ivêre, quem porro in locum,multos amicorum atque neceſſario ruin, aliis aliisque ſubtitulis convocaverant, quod nimirum ſperaſſent, modo cædes perpetrata eſſet, omnium auxilia ipſis parata fore

Decreverant ſiquidem Duce interfecto, ea armatorum turba ſe cingere, eamque in urbis partem ſeſe recipere,in qua plebem facilius motam iri arbitrarentur, atque deinceps conjugem Ducis, principesque conſiliarios opprimere: exiſtimabant ſiquidem, plebem fame laborantem,haud difficulter moveri poſſe, præſertim ſi ædes Ceccii Simonettæ. Joannis Bottii, Franciſcique Lucani, qui inter conſiliarios primi erant,diripiendæ proſtituerentur:eaque tandem ratione tam ſibi ipſis proſpicere, quam libertatem patriæ reſtituere confidebant.

Re ergo omni ex parte conſtituta,obfirmatoq; ad cædem animo, Joanandreas unà cum reliquis ſatis mature in templo comparuere: auditis porro ſacris, Joanandreas ad ſtatuam S. Ambroſii converſus, ſic orare cœpit. *O pater præſesq; hujus urbis! tibi animus noſter finisq; ob quem tanto diſcrimini nos exponimus, abundantiſſime perſpectus eſt: ſis ergo propitius hiſce conatibus noſtris,atq; juſticiam promovendo,injuſticiam tibi diſplicere teſteris.*

Mens mali præſaga. Ducem porro, qui ad templum ſeſe accingebant, multa imminentis mortis præſagia moravere: primo etenim thorace ferreo (quod aliàs ſæpius conſueverat,) indutus, eum ſubito, tanquam impedimento eſſet,repoſuit,inde ſacra in arce peragi jubens, ſacrorum miniſtrum cum omni ſacra ſupellectile, ad

S. Stephanum

S. Stephanum conceſsiſſe, compertum habuit: Epiſcopum porro Comenſem, cum id officii ſibi ſumere cuperet, non infirmis rationibus id detrectantem, omiſit, adeo, ut fere neceſsitate ad templum inque publicum cogeretur. Antequam vero eò pergeret, vocatis prius Joanne Galeazio Hermeteque filiis, iisque complexis, iterumq; iterumq; exoſculatis, vix ægre eos dimittere viſus eſt. Tandem exeundi certus, arcem medius inter Ferrarienſem Mantuanumque Oratores egreſſus, ad templum ire perrexit.

Interea temporis conjurati, ne quam de ſe ſuſpicionem moverent, frigorique immenſo ſe ſubducerent, in cubiculum Archipresbyteri, quo amico utebantur, ſeſe receperant, verum Ducem jam adeſſe edocti, mox in templum regreſsi, Joannes quidem Andreas una cum Hieronymo dextram, Carolus vero ſiniſtram, templum ingredientibus, occupavere. Atque jam ii qui Ducem præcedebant, templum ingredi cœperant, poſtq; eos Dux ingenti turba ſtipatus, prout nimirum ſolennitate illa dignum erat. Primi Lampognanus atque Hieronymus movêre, atque hi quidem, tanquam turbam amoturi, ad Ducem penetrantes, brevibus acutisque gladiis, quos manicis occultaverant, in ipſum impetum fecerunt: Lampognanus duo ipſi vulnera, unum ad ventrem, alterum ad gulam inflixit, Hieronymus itidem gulam, pectusque hauſit. Carolus Viſcontius, quod portæ vicinior ſtetiſſet, jamque Dux ipſum præteriiſſet, à tergo eum invadens, dorſum ſcapulumque feriit: atque ſex quidem hi ictus, tanta celeritate ſeſe invicem ſubſecuti ſunt, ut Dux, priusquam à nemine quidquam ejus rei animadverſum fuiſſet, jam proſtratus exanimisque jaceret, cui vix, ac ne vix licuit, ſemel ſacræ virginis nomen occumbendo vocare. *Galeazius in templo trucidatur*

Duce igitur proſtrato, omnia tumultu miſceri, gladii evaginari, atque alii (ut in caſibus inſperatis evenire ſolet) templum deſerere, alii ad tumultum confluere. Veruntamen ii, qui Duci propinquiores fuiſſent, atque homicidas agnoviſſent, eos perſe-

qui cœpere. Ergo Joanandras, quo ex templo ſeſe ſubduceret, inter fœminas ſeſe recepit, poſtquam vero hæ pro more ſederent, ſatisque implicatæ eſſent, veſtibus earum impeditus atq; intricatus, à Ducis circumpedaneo quodam, depræhenſus interfectusq; fuit, eundem etiam exitum Carolus habuit. Hieronymus vero frequenti populo ſeſe immiſcens, atq; clàm è Templo ſubducens, poſtquam complices occubuiſſe animadverteret, conſilii inops, ædes ſuas repetiit, at à patre fratribusq; excluſus fuit. Sola mater miſericordia mota, ſeni cuidã ſacrorũ miniſtro, veteriq; amico, filii ſalutẽ commendavit: qui ſuis eum veſtibus indutum, ad ſuas ædes ſalvum recepit, ubi biduũ moratus, nõ præter ſpẽ à plebe motum iri, poſtquã nihil ſuccedere animadverteret, ſibiq; metueret, aliena veſte indutus, fuga ſibi conſulere voluit, verũ agnitus, coramq; magiſtratu protractus, omnẽ conjurationis ſeriẽ recenſuit.

Poſtq. ipsũ coniurati.

Agebat Hieronymus annum ætatis XXIII, neq; occumbendo minus conſtantẽ, q̃ in facinore perpetrãdo ſeſe exhibuit. Veſtib. ſiquidẽ jã nudatus, corãq; carnifice, qui gladiũ evaginatũ geſtabat, conſtitutus, in hæc verba, latino ſermone prolata, deſiit. *Mors acerba, fama perpetua, ſtabit vetus memoria facti.* Fuere iſta infeliciſſimorum juvenũ conſilia, ſumma fide & taciturnitate tractata, magnoq; animo perpetrata, verum quod ab iis deſtituerentur, in quorum ſubſidiis recumbebant, eum quem diximus finem calamitoſum habuere.

Diſcant ergo Principes eum ad modum agere, idq; reverentiæ atq; benevolentiæ ſibi cõparere, ut nemo cædem eorum ſitiens, in ſalute ſpem reponere queat, alii vero agnoſcant, quam vanum ſit, ſperare, populũ, licet animo affectum, periculorum facile alienorum participem ſociumque fore.

Perculit ſane caſus iſte Italorum omnium animos, at pol, longe plus illi, qui paulo poſt Florentiæ hos cõſecuti ſunt, quibus nimirum pax illa Italiæ, quæ duodecimũ jam annum duraverat, violari cœpit, ſicuti ſequenti libro demonſtrandũ ſuſcepimus, qui quidẽ, ut finem mœſtum atq; lugubrẽ, ita initium cruentũ atq; formidabile habiturus erit.

LIBER OCTAVUS NICOLAI MACHIAVELLI CIVIS ET SECRETARII *Florentini, Hiſtoriam Florentinam complectens.*

CUm initium hujus octavi libri à duabus conſpirationibus excipiatur, quarum altera, Mediolanenſis nimirum, ſuperiore libro narrata fuit, altera Florentina adhuc ſuperſit, non abs re videri poſſet, pro conſuetudine noſtra, quædam de qualitate conjurationum, earumque vi à nobis diſputari. Atque id quidem lubenti animo facerem, ſi vel alio in loco ea de re verba non feciſsem, vel materia hæc paucis abſolvi poſſet, verum quod ea uberiorem conſiderationem deſideret, atque alibi à me tractata ſit, eam hoc loco prætereundam, atque ad alia ſermonem convertendum duxi.

Ergo poſtquam authoritas Mediceorum, omnes eos inimicos ſuperaſſet, qui manifeſto ſeſe oppoſuiſſent, ne ea familia ſola authoritate in urbe potiretur, aut ab aliis familiis, ratione vitæ agendæ diſcederet inde porro neceſsitate requiri videbatur ut eadem cæteros ſuperaret, qui clam atque occulte contra eam machinabantur.

Dum etenim Medicei, cum aliis quibusdam familiis, authoritate & exiſtimatione pari, digladiarentur, licebat civibus, qui potentiæ eorum invidebant, manifeſto ſeſe ipſis opponere, neque metuendum erat, ne in principiis earum inimicitiarum opprimerentur, nam cum magiſtratus liberi eſſent, neutræ partium, antequam ea vinceretur, quidquam extimeſcendum erat.

Verum poſt victoriam anni LXVI, omnis adminiſtratio eum in modum ad Mediceos conceſsit, eo-

rumque authoritas euſque excrevit, ut neceſſe fue-
,, rit illis, quibus ea diſplicebant, aut ei conditioni cede-
,, re, aut ſi eam everſam cuperent, id *per conjurationes*
,, *furtimq́; conari, quæ quidem res poſtquam difficulter ex vo-*
,, *to cedunt, plerumq́; his qui ea machinantur exitium, illis*
,, *vero contra quos ſuſcipiuntur gloriam parturiunt. Unde*
,, *plurimum evenire videmus, iſtiusmodi Reip. principem,*
,, *à conjuratis aggreſſum, niſi ad exemplum Ducis Mediola-*
,, *nenſis opprimatur, quod quidem rarentur accidere ſolet, ea*
,, *ex re potentia creſcere, ſæpius etiam, ſi bonus ſit, malum effici.*
,, *Hæ Siquidem in cauſa ſunt ut timere incipiat, timendo ſecu-*
,, *ritatem curat, inde injuriæ emergunt, ex his odia concitan-*
,, *tur, quæ utplurimum exitium conſequitur.* Atque hunc
ad modum conjurationes, illum qui eas machinatur, ſubito opprimunt, eum vero in quem moventur omni modo temporis progreſſu offendunt.

Erat ut ſupra diximus, Italia in duas partes diviſa, ex una Pontifex atque Rex, ex altera Veneti, Dux atque Florentini ſtabant. Licet vero inter has partes bellum nondum agi cœptum eſſet, nihilominus indies quædam oriebantur, quæ faces ei ſubminiſtrabant, inprimis vero Pontifex, quidquid conaretur, id in damnum Florentinorum paratum erat. Eam ob rem, poſtquam Philippus Mediceus Piſarum Archiepiſcopus, diem ſuum extremum exegiſſet, Pontifex præter Florentiæ Reipub. voluntatem, eam dignitatem in Franciſcum Salviatum contulit, utpote quem Mediceæ familiæ infenſum eſſe noviſſet, unde quidem factum eſt, dum Reſpub. poſſeſsionem in eum transferre ambigeret, ut inde priſtinis odiis non contemnendum momentum accederet. Præterea Romæ familiam Pazziorum magna benevolentia proſequebatur, Mediceorum vero omni in negotio negligebat.

Eminebat id temporis, tam divitiarum quam nobilitatis ratione, inter Florentinos Pazziorum familia, cujus Princeps Jacobus, nobilitatis fortunarumque ratione, à populo Florentino torque equeſtri donatus fuerat. Non erant ipſi, præter filiam no-

tham,

tham, liberi, at ex fratribus Petro atque Antonio, permulti nepotes, inter quos primas tenebant, Gulielmus, Franciſcus, Renatus, Joannes, poſt hos Andreas, Nicolaus, Galeottus. Conjunxerat Coſmus neptem ſuam Blancam cum Gulielmo, quod ea affinitate familias iſtas unire, atque inimicitiarum odiique cauſis, quæ plerumque ex ſuſpicionibus oriuntur, obviam iri poſſe ſperaret. Verum res longe aliter ceſsit, (*adeo nimirum conſilia noſtra incerta ſunt ac fallacia*) ſiquidem is, qui Laurentio conſilia ſubminiſtrabat, monere eum non deſiit, nihil adeo periculoſum, ipſiusque authoritati adverſum eſſe, quam ſi in cives multum dignitatis divitiarumque conferret.

Hinc porro factum eſt, ne Jacobo ejusque nepotibus, eæ dignitates deferrentur, quas ipſi, aliorum civium reſpectu, mereri videbantur, hinc etiam apud Pazzios prima odiorum ſemina, penesque Mediceos primus metus originem ſumſit, quorum utrumque, quantum creſcendo virium acquireret, tantum materiæ alteri ad creſcendum ſuppeditabat, adeo ut Pazzii, in omnibus negotiis, quibus cum aliis civibus concurrendum ipſis erat, male à magiſtratu accepti diſcederent.

Octo viri præterea, Franciſcum Pazzium, Romæ agentem, leviſsimam ob cauſam, nullo habitæ vel ejus vel quæ ejus generis civibus debebatur reſpectu, Florentiam reverti coegerunt. Pazzii ubique non citra contumelioſas iratasq; voces querebantur, quæ quidem aliis ſuſpiciones, ſibi ipſi vero injurias provocabant.

Duxerat Joannes Pazzius in matrimonium, filiam Joannis Borromei, civis opulentiſsimi, cujus fortunæ, quod alia prole deſtitueretur, ad filiam omnes redibant. Nihilominus Carolus, ipſius nepos, quandam earum partem occupavit, resque in judicium delata, lex promulgata fuit, qua Joannis Pazzii uxor hæreditate paterna ſpoliabatur, eaque in Carolum transferebatur: quam quidem injuriam Pazzii, Mediceis ſolis acceptam ferebant. Qua de re Julianus,

Mediceus, non raro apud fratrem Laurentium ſollicite egit, vereri nimirum ſeſe, ne dum nimium amplecti conentur, omnibus excidant: Verum Laurentius, tam adoleſcentia quam potentia concitatus, omnia agere, omniaque ab ipſo dependere, haberi volebat.

Cum ergo Pazzii, tanta nobilitate atque divitiis præſtantes, tot injurias diutius ferre non poſſent, tandem rationem earum vendicandarum inire cœperunt, primusque eorum, qui ea de re tractaret, Franciscus fuit, utpote cui plus animi atque ſuperbiæ omnium reliquorum ineſſet, adeoque conſtitueret, aut iis potiri, quæ ſibi deeſſe videbantur, aut id quod ſupereſſet in diſcrimen præcipitare. Seceſſerat is Romam, quod Florentinorum adminiſtratio ipſi diſpliceret, ibique contemnenda pecuniæ vi, pro more omnium Florentinorum mercatorum, lucrum captabat: Cum ergo Comiti Hieronymo familiariſsimus eſſet, atque frequenter convenirent, non raro hi de Mediceis inter ſe dolebant: adeo ut poſt diuturnas querimonias tandē ſermo inter ipſos oriretur, omnino neceſſarium eſſe, ſi modo alter imperio ſuo tuto potiri, alter ſecure in patria vivere velit, ut adminiſtratio Reip. Florentinæ mutaretur: quod quidem Laurentio & Juliano vivis, ſuo quidem judicio, fieri neutiquam poſſet. Interim exiſtimabant, Pontificem Regemque, haud difficulter in eorum necem conſenſuros, modo facilitas rei perpetrandæ ipſis demonſtraretur.

Coniuratio Pazziorum in Mediceos.

His igitur cogitationibus implicati, rem omnem Franciſco, Salviati, Archiepiſcopo Piſano, communem eſſe voluerunt, qui quidem, quod magno animo, prætereaque non dudum à Mediceis injuria affectus eſſet, facile in in partes pertrahi ſe paſſus eſt. Dum ergo de re deliberarent, viſum ipſis fuit, Jacobum porro Pazzium ejus participem facere, utpote ſine cujus adminiculo, vix quidquam conari liceret: Decretum ergo, ut Franciſcus eam ob rem Florentiam proficiſceretur, Archiepiſcopus vero Comesque Romæ ſubſiſterent,

ſiſterent.cumque res poſtularet,omnia apud Pontificem deponerent. Habuerat Franciſcus Jacobum ſedatum ac inflexum magis,quam optaſſet,eaq; re Romam perſcripta,viſum fuerat, majore authoritate ipſum flectendum eſſe , adeo ut Archiepiſcopus Comesq; negotium omne Joanni Baptiſtæ Monteſeccio Pontificio ſtipendiario concrederent.

Erat vir ille bellica virtute ſatis celebris, tum Pontifici Comitiq;, ob beneficia accepta,obſtrictus, nihilominus ajebat,rem eſſe difficultatis, & periculi plenam, quæ quidem pericula , Archiepiſcopo minime conſideranda eſſe videbantur, quod nimirum Pontificem Regemq; ad ea conſilia concurrere diceret,quibus odia Florentinorũ civium in Mediceos , magnus præterea eorum qui Salviatos atq; Mediceos ſequebantur,numerus,facilitas etiã rei perpetrandæ, quod nimirum fratres,citra omnem ſuſpicionem,nulloque famulitio ſtipati, par urbem incedere ſolerent, accederet:quibus quidem Joannes Baptiſta fidem non adeo plenam adhibuit,utpote qui ab aliis Florentinis, longe aliter rem ſe habere, aliquando intellexiſſet.

Dum hæc contra Mediceos,eũ ad modum, diſputarentur,accidit,ut Faventini Dominus morbo implicaretur. Videbatur ergo Archiepiſcopo atq; Comiti, cõmodum ea occaſione Joannẽ Baptiſtã cum copiis Florentiã,inde Flaminiam petere poſſe,tanquã urbes aliquot ,à Faventino occupatas , Comiti recuperaturum. Voluit igitur Comes, ut Baptiſta Laurentiũ ſuo nomine conveniret,atq; de rebus Flaminiæ ejus conſilium rogaret,inde Franciſum Pazzium adiret, ejusque opera, Jacobum Pazzium in partes traducere niteretur, atque quo eum facilem magis nanciſceretur , ante diſceſſum cum Pontifice ea de re conferret, quem quidem omnem ſuam operam eô conferre cupere deprædhendit.

Ergo Florentiam delatus Baptiſta Laurentium adiit,ab eoq; humaniſsime exceptus conſilioq; tã prudẽter quã amicè adjutus fuit,adeo ut Joannes Baptiſta virum miraretur,eumq; longe alium, quã ſibi perſuaſum

ſuaſum haberet, utpote humaniſsimum, prudentiſsimum, Comitique amiciſsimum animadverteret: Nihilominus porro Franciſcum conveniendum cenſuit, verum eo abſente, Lucamque digreſſo, Jacobum adiit, quem quidem ab initio alieniſsimum expertus eſt, verum antequam illum relinqueret, Pontificis authoritate aliquanto motum agnovit. Diſcedentem ſiquidem Jacobus monuerat, ut rebus in Flaminia peractis, eò reverteretur, interim Franciſcum rediturum, ſeque cum ipſo de negotio accuratius deliberaturum.

Peracto itinere, Joannes Baptiſta Florentiam regreſſus, Laurentium ſimulatis conſiliis explorare perrexit, inde cum Franciſco Jacobum denuo adgreſſus, eum tandem in ſententiam pertraxit, porroq; iisdem modo rei perpetrandæ agere cœpit. Non videbatur Jacobo rem perfici poſſe, ſi ambo fratres Florentiæ agerent, opperiendum igitur eſſe, quousque Laurentius Romam proficiſcatur, quo propediem iturum fama ſit. Atque id quidem conſilii Franciſco non diſplicuit: verum etiamſi Laurentius Romam minus pergeret, nihilominus utrumque fratrem aut in nuptiis, aut inter ludendum, aut in templo opprimi facile poſſe cenſuit. Porro quo ad auxilia, quæ foris exſpectanda eſſent, videbatur ipſi, Pontificem tanquam Caſtellum Montonis obſeſſurum, exercitum cogere poſſe, quo caſtro Carolum Comitem mulctare, eo nomine poſsit, quod in Peruſino Senenſique agro aliquando turbaſſet. Verum id temporis nihil aliud conſtitutum, quam ut Franciſcus Pazzius, unà cum Joanne Baptiſta, Romam proficiſceretur, ibique apud Pontificem Comitemque negotium concluderet.

Deliberatum ergo ea de re iterum Romæ, atque obſeſsione Montonis conſtituta, tandem concluſum, ut Joannes Franciſcus Tolentinas, Pontificis ſtipendiarius, in Flaminiam, Laurentius vero à Caſtello, Montonem pergeret, iisque in locis uterque cum turmis ſuis, coactisque præterea ejus viciniæ incolis,

colis,accinĉti opperirentur, quæ Archiepiſcopo Salviati, Franciſcoque Pazzio ipſis injungere liberet. Atque hi quidem, unà cum Joanne Baptiſta Montefeccio, Florentiam pergerent, ibique rem omnem pro occaſione diſponerent, cui perficiundæ Ferdinandus Rex, omnem ſuam operam, per oratorem, obtulit. Ergo poſtquam Archiepiſcopus, unàque Franciſcus Pazzius, Florentiam appuliſſent, in partes ſuas pertraxêre Jacobum Poggium, adoleſcentem literatum, ſed ambitioſum novarumque rerum cupidum, binos præterea Jacobos Salviatos, quorum alter frater, alter affinis Archiepiſcopi erat, Bernardum Bandinium, Napoleonemque Franciſcum, juvenes audaciſsimos, Pazziisque obſtrictiſsimos, extraneorum vero Antonium Volaterranum, quendamque Stefanum Sacerdotem, qui Jacobi filiam linguam Latinam edocebat, ſibi aſcivêre. Renatus vero Pazzius, vir prudens pariter & gravis, qui mala optime perſpecta habebat, quæ iſtiusmodi conatus comitari ſolent, non modò in conjurationem non conſenſit, verum eam deteſtatus, qua poterat via impedire conabatur.

Alebat id temporis in ſchola Piſana Pontifex, Raphaelem Riarium, Comitis Hieronymi nepotem, ut juri Pontificio eo loci operam daret, eumque ibi degentem, Cardinalitia dignitate illuſtraverat. Hunc igitur Florentiam vocandum conjuratis videbatur, tamquo ejus adventu conjuratio lateret, multique conjuratorum in ejus famulitio occultari poſſent, quam quo inde occaſionem rei perpetrandæ opperirentur. Obtemperavit Cardinalis, fuitque à Jacobo Pazzio, in ædibus ſuis ad Montugham prope urbem exceptus. Speraverant conjurati, hujus interventu, fratres Mediceos unum in locum pellici eaque ratione opprimi poſſe. Egerunt ergo, ut fratres Cardinalem ad rus Feſulanum invitarent, verum Julianus, ſeu fortuito, ſeu ſtudioſe, convivio intereſſe noluit, adeo ut hic conatus evaneſceret.

Igitur, ſi iidem Florentiæ conarentur rem felicius ceſſuram, atque fratrem utrumque neceſſario convi-

vio interfuturum arbitrati, eam ad rem, vigeſimum ſextum menſis Aprilis diem, Anni MCCCCLXXIIX, ſibi ſumſerunt. Jamq; fratres, in ipſo convivio, opprimi poſſe rati, nocte, quæ diẽ illum antecedebat congregati, qua porro ratione rem adminiſtrarent facile convenêre. verum Franciſco poſtridie denuo renunciatum fuit, Julianum convivio non interfuturum. Ergo iterum conjurati convenientes, cædem omnino maturandã decrevêre, fieri alioquin non poſſe, quin res tot hominibus jam credita, tandem evulgaretur: Hanc ob rem fratres, in ſummo S. Reparatæ templo trucidandos, convenêre, utpote quem ad locum illi pro more, Cardinalem conventuri eſſent. Joanni Baptiſtæ provinciam, interficiendi Laurentii, demandatam volebant. Franciſco vero Pazzio, atque Bernhardo Bandinio Juliani: verum id Baptiſta conſtanter recuſavit, ſeu quod familiaritate quæ cum Laurentio ipſi fuerat, animo emollitus, ſeu alia ex cauſa motus fuiſſet. Dixit ergo, nunquam ſe in animum inducere poſſe, ut tam atrox facinus, ipſo templo committeret, proditionemq; cum Sacrilegio cumularet, quæ quidem cunctatio omnes quidem ipſorum conatus evertit. Poſtquam etenim temporis anguſtia urgerentur, neceſſum ipſis fuit ut provinciam iſtam Antonio Volaterrano, Stephanoque Sacerdoti committerent, qui tamen tam experientia, quam natura, tantæ moli omnino impares erant. "*Quod ſi etenim ullo in negotio, animus ingens firmusq; tamq; ad vitam quam mortem, multis caſibus exploratiſſimus, requiratur, eum in iſtiusmodi conatibus neceſſarium eſſe conſtat, in quibus viros in armis expertiſſimos, cædibusque innutritos, animo aliquando deficere, quam ſæpiſſime experientia comprobatum fuit.*" Ergo re eum ad modum conſtituta, voluere porro ut rei adgrediendæ ſignum eſſet, quando Sacerdos, cui in ſummo templo Sacra peragenda eſſent myſterium conſpiciendum præberet.

Myſterium Sacrum cædis.

Interim Archiepiſcopus Salviatus, unà cum ſuis, atque Jacobo Poggio, Palatium publicum occuparet, quo Dominos ſeu lubentes, ſeu vi adactos, poſt

ſedem perpetratam, propitios haberent. Tandem ad
templum progreſsi, Cardinalem Laurentiumque
jam adeſſe comperêre, Julianus tamen, licet myſte-
ria agi inciperentur, nondum comparuerat. Eam
ob rem Franciſcus Pazzius, Bernhardusque Bandi-
nius, quibus ipſius interficiendi cura incumbebat,
eum in ædibus quæſitum, precibus tandem, arteque
mira in templum protraxêre.

Dignum ſane eſt, quod memoriæ commendetur,
tantum odium, animumque tanti ſceleris conſcium
tam ingenti obſtinatione atque robore, à Franciſco
Bernhardoque adeo profunde occultari potuiſſe. Si-
quidem Julianum comitati, per viam, inque ipſo
templo, juvenili ſermone atque facetiis tædium le-
vabant, quin etiam Franciſcus, tanquam Julianum
complexurus, manibus eum ſollicite tentaverat, num
forte thorace, aut alio armaturæ genere munitus
eſſet.

Non latebat quidem Mediceos fratres Pazziorum
odium, quo adminiſtrationem Reipub. ſibi ereptam
cuperent, verum de vita minime ſolliciti erant,
quod nimirum perſuaſum ipſis eſſet, eos, ſi quid
novus in animo haberent, civilem tamen modum vix
exceſſuros, eamque ob rem, propria ſalutis cura inter-
miſſa eorum amicitiam viciſsim ſimulabant.

Ergo cum homicidæ in procinctu ſtarent, illi qui-
dem propter Laurentium, ubi nimirum, inter maxi-
mam hominum frequentiam, citra ſuſpicionem ſe re-
cipere poterant, hi vero prope Julianum, jamque ſi-
gnum præſtitutum conſpiceretur, ſubito Bernhar-
dus Bandinius, gladio ſatis brevi, eam ad rem præ-
parato, pectus Juliani trajecit, adeo ut is vix aliquot
paſſus abſcedens corrueret, inde Franciſcus Pazzius
in eum recumbens, creberrimis ictibus repetitis tan-
to fervore pugionem in illum adegit, ut furore plane
excæcatus, ſibi ipſi atrociſsimum vulnus in crure
infligeret. Ex altera parte, Antonius Stephanusque
in Laurentium impreſsionem fecerunt, crebrisque
eum ictibus petitum, leviuſculum ad gulam vulnus
ipſi

ipſi inflixerunt; ſiquidem factum eſt, ſeu ex horum negligentia, ſeu Laurentii animo, quod ſeſe defendere niteretur, ſive tandem eorum, qui ipſi præſto erant ſuppetiis, ut omnis ex hac parte conatus fruſtraneus eſſet: adeo, ut ſicarii iſti conſternati, fugam capeſſerent, atque in latebras ſeſe reciperent, ex quibus tamen poſtmodum protracti, atque ignominioſe trucidati, tandemque univerſam per urbem tracti fuêre.

Interim Laurentius, iis, quos penes ſe habebat, amicis munitus, ad Sacrarium templi ſeſe in tutum recepit. Bernhardus Bandinius, poſtquam Julianum exſpiraſſe animadverteret, Franciſcum porro Norinum, Mediceis amiciſſimum interfecit, ſeu quod antiquo in eum odio ferretur, ſeu quod is Juliano opem ferre conatus fuiſſet, neque tot cædibus exſatiatus, in partes verſum Laurentium ſe recepit, quo animo ſuo atque celeritate reſtitueret, quod illi tarditate atque animi imbecillitate neglexerant: verum quod Sacrarium obſeratum offenderet, nihil egit.

Inter hos motus atque tumultus, quibus templum ipſum corruere videbatur, Cardinalis aram complexus, vix ægre à Sacerdotibus eousque protectus fuerat, ut Dominis eum inde petere, atque in Palatium ſuum conducere liceret, ubi maximas inter ſollicitudines metumque, quoad liberaretur, ipſi commorandum fuit.

Degebant id temporis Florentiæ Peruſinorum quidam, qui à partibus urbe pulſi fuerant, eos Pazzii, reſtitutione in patriam ſtipulati, in ſuas quoque partes pertraxerant. Eam ob rem Archiepiſcopus Salviatus, qui unà cum Jacobo Poggio, ſuisque Salviatis, amicisque, Palatium occupare properabat, eos ſibi conjunxerat; atque Palatium jam ingreſſus, parte ſuorum inferius relicta (quorum eſſet portam occupare; quamprimum in ſuperiore parte tumultuatum animadverterent) ipſe, majore cum Peruſinorum parte, gradus conſcendere cœpit, verum, cum Domini pranſum iviſſent; aliquantum ipſi exſpe-

andum, ſed parvam poſt moram, à Cæſare Petruc-
o, ſignifero juſtitiæ, intromiſſus fuit. Ergo cum
aucis ſeſe intus recipiens, reliquos præ foribus reli-
uit, quorum major pars in grammatophylatium ſe-
dens, incurioſius janua obſervata, quod nimirum
tam eum ad motum fabrefactam haberet; ut ea
tra clavis adminiculum; neque intus neque extra
eſerari poſſet, ibi occluſa hæſit. Interim Archiepi-
opus, tanquam Pontificis nomine quædam apud
æſarem acturus, interrupto ambiguoque ſermone,
um allocutus, atque ex animo trepidatione tam vul-
quam voce conturbatus tantam Cæſari ſuſpicio-
em incuſſit, ut is in maximum clamorem erumpens
x cubiculo proſiliret, ibique obviam Jacobum Pog-
ium crinibus prehenſum, ſtatoribus ſuis vincien-
um obtruderet: clamore porro Dominos excita-
et, qui quidem correptis iis, quæ caſus ſuppeditabat,
elis, omnes qui cum Archiepiſcopo Palatium con-
enderant, quorum pars occluſa, pars cæterum in-
tilis erat, aut ſubito interfecere; aut vivos per fene-
ras, præcipitavere, inter quos Archiepiſcopus; bini *Archiepiſcopus laqueo ſuſpenſus.*
alviati, Jacobusque Poggius laqueo gulam fregere.
t illi, qui infra ad portam ſubſtiterant; oppreſsis ex-
ubatoribus; portam omnemque inferiorem Pa-
atii partem occupaverant, adeo ut cives licet tumul-
u eo excitati, nec armati auxilio, nec inermes conſi-
io Dominis adeſſe poſſent.

Interim Franciſcus Pazzius, Bernardusque Ban-
inius, poſtquam Laurentium evaſiſſe; alterumque
pſorum in quo nimirum omnis ſpes ſita erat; gravi-
er ſauclum animadverterent, conſternati hærebant.
Bernhardus quidem, eadem animi promptitudine de
alute ſua ſollicitus, qua in Mediceos vindicandos de-
céderat, omni ſpe victoriæ deſtitutus, fuga ſibi felici-
er conſuluit: At Franciſcus domum regreſſus, tenta-
e quidem voluit, an equo vehi poſſet, (conſtitutum
iquide erat ut per urbe ad arma, libertatemq; capeſ-
endam plebem hortarentur) verum quod vulnus al-
ius penetraſſet, multumque jam cruoris inde manaſ-

Dd

ſet, id facere dolore prohibitus fuit. Eam ob rem, poſtquam veſtibus ſepoſitis, nudus lectulo ſeſe receepiſſet, Jacobum rogare inſtitit, ut id muneris ſuo nomine exequeretur. Et Jacobus quidem, licet jam ſenex, atque id generis minime callens, quo extremam fortunæ aleam tentaret, equum inſiliens, centumque circiter armatis, quos eam ad rem conduxerat, ſtipatus, ad forum Palatii perrexit, ibique populum libertatemque vocare cœpit. Verum quod populus ad fortunam liberalitatemque Mediceorum obſurduiſſet, libertas vero Florentiæ nihil expeteretur, neminem qui reſponderet habuit. Soli Domini, qui partes Palatii ſuperiores occupaverant, ſaxis ipſum exceperunt, minisq; quantum potuere, exterruerunt. Joannes præterea Sariſtorius cognatus ipſi obvius, poſtquam ob turbas iſtas in eum acerbe invectus fuiſſet, ut domum reverteretur hortari cœpit, libertatem nimirum, populumque reliquis civibus, non minus ac ipſi, cordi eſſe.

Omni ergo ſpe Jacobus deſtitutus, poſtquam Palatium ſibi adverſum, Laurentium vivum, Franciſcum ſaucium, neminemque conatibus ſuis propitium conſpiceret, conſilii plane inops, de ſalute ſua cogitare, fugamque capeſſere conglobatoque agmine ex urbe erumpens, verſus Flaminiam properare cœpit.

Interea univerſa urbs armata confluxerat, Laurentiusque ſalvus, magna armatorum copia circumvallatus, ædes ſuas repetierat, Palatium etiam à populo recuperatum, omnesque adverſarum in eo partium, aut capti, aut cæſi fuerant. Jamque univerſam per urbem Mediceorum nomen vocabatur, cæſorumque artus aut haſtis infixi, aut per urbem tracti, Pazziique ab omnibus, tam verbis acerbiſsimis quam factis atrociſsimis, undique inſectari conſpiciebantur. Ædes præterea eorum omnes occupatæ, atque Franciſcus nudus ex ædibus protractus, inque Palatium conductus, juxtaq; Archiepiſcopum ſuſpenſus fuerat. Atq; hic quidem nulla injuria, quæ vel inter eun-

dum

dum vel ipſo Palatio ſive dicto, ſive facto, in eum ingereretur moveri, neque vel unicum verbum ab eo extorqueri potuit, ſed obfirmato vultu, citram ullam doloris notam, tacitus ſuſpiria ducebat. Gulielmus Pazzius, Laurentii cognatus, tam innocentia ſua, quam Blancæ conjugis ope, in Laurentii ædes ſalvus evaſit. Neque porro quiſquam civium fuit, qui vel armatus, vel inermis, ea in neceſsitate, ædes Laurentii negligeret, aut non omnes ſuas facultates ipſi offerret. Tantam nimirum fortunam atq; benevolentiam, ea familia, prudentia atq; liberalitate ſua, ſibi comparaverat.

Renatus Pazzius, dum ea res perpetraretur, rus cōceſſerat, ubi ſucceſſum edoctus, alienam veſtem indutus, fuga ſibi ſalutem parare nitebatur: verum agnitus, captusq;, Florentiam reductus fuit. Jacobus dum Alpes trajiceret, ab Alpium incolis, qui rem jam fama edocti erant, fuga ipſius perſpecta, captus, itidem in Florentinorum manus devenit, neq; impetrare potuit, licet id ſæpiſsime peteret, ut ab iis, qui eum cœperant, interficeretur. Ergo quatriduum à Juliani cæde, Jacobus & Renatus morti adjudicati fuere. Porro inter tantam hominum ſtragem, quorum artubus omnia compita reſperſa conſpiciebantur, nullius mors præter hujus Renati, cujusquam miſericordiam provocavit, quod nimirum vir prudens bonusq; habitus, neque ea ſuperbia, qua cæteri Pazziorum notatus fuiſſet. Pazzi morte plexi.

Ne vero tot caſus, exemplo aliquo præter ordinem vacarent, fuit primo Jacobus ſepultura avita reconditus, inde, tanquam communione ſacra interdictus, erutus inque pomœrio ſepultus, hinc iterum captus, laqueoque, quo vitam finierat, per urbem tractus, tandem cum nullibi ipſi ſepultura patêret, ab iis ipſis, qui eum ignominioſe traxerant, in flumen Arnum, id temporis tumidum, præcipitatus fuit. Exemplū ſane adverſæ fortunæ memorandum, virū nimirum tantarum opū, atq; proſperitatis, in tam extremā calamitatem adeo ignominioſe, ſubito devolvi.

Conſtat quidem, eum vitiis quibusdam non caruiſſe, inter quæ alea atque blaſphemiæ, perditiſsimo homine vix dignæ, recenſentur, verum ea vitia, eleemoſynis largiter penſabat, ſiquidem multis egenis, locisque piis, liberaliter ſubvenire ſolebat. Porro etjam hoc in ipſius laudem dici queat, quod eo Sabbathi, qui cædem præceſsit, die, ne quemquam adverſæ ſuæ fortunæ participem faceret, omne æs alienum exſolverit, omnesque merces, quas tam in ædibus, quam in Telonio alienas habebat, dominis ſuis, quam ſollicite reſtitui curaverit.

Joanni Baptiſtæ Monteſeccio, poſt multas quæſtiones, caput amputatum fuit: Napoleo Franceſius fuga ſupplicium evaſit. Gulielmus Pazzius relegatus, ejusque cognati, in turrem Volaterranam profundiſsimam, cuſtodiæ mandati fuere. Inde tumultu omni compoſito, conjuratisque punitis, funus Juliani, omnium civium lachrymis peractum fuit: ſiquidem tanta in eo liberalitas atque humanitas elucebat, quanta à nemine, ejus dignitatis, deſiderari potuiſſet. Superſtitem vidit urbs ex eo poſthumum Julium, ea virtute atque fortuna illuſtrem, quam univerſus orbis novit, ſicuti cum ad rem ventum erit, nobis vita modo ſuperſit, copioſe demonſtrabimus. Copiæ porro illæ, quæ Laurentio duce in valle Tiberina, atque quæ ſub Franciſco Tolentinate, in Flaminia exitum conjurationis opperiebantur, quo Pazziis commodum opitularentur, verſus urbem movere cœperant, verum cum calamitoſum ejus finem percepiſſent, pedem retulerunt.

Juliani ingeniũ mite.

Poſtquam ergo Pontifex atque Rex conſilia ſua ut everſa ita etiam detecta reſciviſſent, profligato omni reſpectu decreverunt ea, quæ per inſidias minus feliciter ceſsiſſent, aperto jam Marte conari. Coactis ergo maxima celeritate utrique copiis ſuis, quibus Florentinam Remp. invaderent, Laurentium Mediceum ſolum peti, neque alium Florentinorum quemquam ipſis pro hoſte eſſe, publice conſtare voluerunt. Atque copiæ quidem Regis jam Troentum trajecerant,

Pontifex everſis proditionum artibus bellum movet.

rant, Pontificis vero Peruſium uſque pertigerant; præterea Florentini quod ad defenſionem ſeſe comparaſſent fulmine anathematis percuſsi fuerant. Laurentius ergo poſtquam ſe unum bello iſto peti animadverteret, ante omnia animos civium, ſibi explorandos duxit, eosque præcipuos in Palatium convocatos, coràm Dominis ſic alloquendos cenſuit.

Florentinis ſacris interdicit.

Neſcio equidem, excelſiſsimi Domini, vosque cives magnifici, num eorum, quæ hactenus ſucceſſerunt, nomine, coràm vobis mihi dolendum, an vero congratulandum ſit. Enimvero, ſi in memoriam revocare volo, quanta cum fraude, quamque immani odio ego circumventus, fraterque meus trucidatus fuerit, facere equidem non poſſum, quin eo nomine doleã, & toto pectore atq; medullitus exhorreſcam. Poſtquam vero conſidero, quanta cum promptitudine, ſtudio, amore, urbisque univerſæ conſenſu, cædes fratris vindicata, egoque protectus fuerim, equidem fieri nequit, quin ſummopere gaudeam, imo totus lætitia perfundar, atque quodammodo extra me rapiar. Quod ſi etenim experientia me erudire voluit, plures me inimicos in hac urbe habere, quam cogitaveram, at pol eadem penes me teſtata eſt, plures me hic, atque ferventiores amicos habere, quam credideram. Ergo eô adigor, ut tam vobiſcum, ob merita in me veſtra, congaudeam, quam ob aliorum injurias condoleam, verum injuriarum eo potiorem rationem habendam duco, quo eæ raræ magis, absque exemplo, atque nusquam à nobis provocatæ ſunt. Quò porro, vos obteſtor cives magnifici, adverſum ſatum familiam noſtram præcipitaverat, ut ea ne inter amicos quidem, inter parentes, inter ipſa ſacra tuta eſſet! Solent hactenus ii, qui mortem metuunt, ad amicos, ſolent ad parentes confugere, at eosdem nos in perniciem noſtram armatos, experti ſumus. Solent ad ædes ſacras ſeſe recipere, ſi quos, ſeu publicis ſeu privatis de cauſis, ſibi metuere conſpicimus: Ergo ne ab iis, à quibus alii proteguntur, trucidati,

Laurentij oratio ad Florentinos cives.

eoque loci, ubi parricidia atque homicidia aſylum paratum habent, Medicei ſicarios offendere meruère? Verum Deus, (qui hactenus familiam noſtram nunquam deſtituit) etiam nos ſalvos eſſe, juſtamque noſtram cauſam tueri voluit. Quænam etenim, obſecro, injuria, à nobis profecta eſſe queat, quæ tam immane vindictæ deſiderium provocare debuerit? Enimvero eos, qui tanto in nos odio ſe ferri teſtati ſunt nulla unquam privata injuria affecimus: quod ſi etenim illos offendiſſemus, occaſio, qua nos offenderent, præreпta ipſis fuiſſet, quod ſi vero publicas injurias, modo aliquæ in ipſos profectæ ſint, nobis imputare velint, tum ipſi vos magis, quam nos, atque hoc potius Palatium majeſtatemque hujus ſenatus, quam familiam noſtram petunt, dum eo pacto manifeſto produnt, in noſtram gratiam, cives veſtros immerito vos opprimere. Quod quidem ab omni veritate quam alieniſsimum eſt: ſiquidem nec nos, ſi in poteſtate noſtra fuiſſet, nec vos, licet id petiiſſemus, unquam id facturi utrique fuiſſemus. Quod ſi etenim veritatem rei cuipiam explorare libeat, facile is comperiet, familiam noſtram, non aliam ob cauſam, tanto omnium conſenſu hactenus amplificatam fuiſſe, quam quod humanitate, liberalitate, & beneficiis, quemvis vincere ſtuduerit. Quod ſi ergo extraneos honore affecimus, qui obſecro in propinquos injurii eſſe poſsimus? Quod ſi vero dominandi libidine ad ea deſcendêre, (quam quidem mentem ipſis fuiſſe, quod Palatium forumque occupaverint, facile depræhendi queat) quam turpis, ambitioſa, atque condemnenda ea cauſa ſit, id porro res ipſa loquitur atq; dijudicat. Quod ſi vero odio atque invidia, ob noſtram authoritatem moti eò prorupêre, tum porro non nos, ſed vos petunt, qui eam in nos contuliſtis. Enimvero, ea authoritas odium meretur, quam homines ſibi uſurpant, non ea, quæ humanitate, liberalitate, atque magnificentia acquiritur. Vos porro teſtes eſſe poteſtis, hanc noſtram familiam, nullum unquam dignitatis gra-

dum conſcendiſſe, ad quem non ab hoc Palatio, unanimique, veſtro conſenſu, vocata fuerit. Neque etenim Coſmus avus meus, vi armataque manu, ſed conſilio unanimique conſenſu veſtro, ab exilio rediit. Neque parentem meum ſenem atque valetudinarium, ipſius dignitas, à tot hoſtibus protexit, ſed vos, authoritate atque benevolentia veſtra. Neque ego poſt obitum patris mei propemodum adhuc puer, exiſtimationi familiæ meæ tuendæ par fuiſſem, niſi conſilia benevolentiaq; veſtra me ſervaſſent. Neque familia mea, hanc Remp. hactenus regere potuiſſet, niſi vos unà cum ipſa, ei regendæ contuliſſetis. Eam ob rem, ignorare me ſane lubens fateor, quænam ipſorum odii invidiæque in nos cauſa condigna eſſe queat. Invidiam potius iſtam in anteceſſores ſuos convertant, qui ſuperbia atque avaritia ſua, ea exiſtimatione exciderunt, quam noſtri majores, plane conſilio his contrario ſtudioq;, ſibi compararunt. Verum concedamus, injurias à nobis in ipſos profectas, atroces eſſe, meritoque exitio noſtro eos invigilaſſe, quid ergo hoc Palatium offendi inde meruit? quid fœdus cum Pontifice Regeq;, contra libertatẽ hujus Reipub. ſibi vult? cur pax diuturna Italiæ evertitur? hæc quidem excuſari nulla ratione queant, ſiquidem eos offendere debebant, à quibus ipſi læſi fuiſſent, nec privatas inimicitias, publicis injuriis miſcere, unde quidẽ fit, ut etiam ipſis extinctis, mala noſtra reviviſcant, dum nimirum, eorum cauſa, Pontifex atque Rex bellum contra nos, vel quod ipſis prætendere libet, contra me potius, meamque familiam movent. Atque utinam vera dicerent! remedia ſiquidem parata certaque forent, neque tam malus civis eſſem, qui meam ſalutem, periculis veſtris anteponerem, quin potius exitio meo, incendium veſtrum extinguere. Cum vero *potentiores, quas inferunt, injurias ſemper honeſto aliquo titulo operire ſoleãt*, ideo fit, ut injurias haſce enormes, iſtiusmodi rationib. fucare conentur: quod ſi vero aliud vobis videatur, eccum me in poteſtate veſtra! penes vos ſitũ eſt, aut me tuos

dum ſuſcipere, aut deſerendum decernere, vos mihi patres, vos defenſores conſtituo, idque omnino facturus ſum, quod à vobis mihi injunctum fuerit, neque detrectabo, ſi vobis ita viſum ſit, bello huic, ſanguine finem imponere.

Non potuere cives, dum Laurentius verba faceret, ſibi à lachrymis temperare, eaque humanitate, qua ipſum orantem audiverant, porro eum erigere cœperunt. Tanta ipſius, ſuorumque in patriam eſſe nimirum beneficia, ut ea ipſum bono animo eſſe jubeat, paratas ſiquidem ſeſe eſſe, eadem promptitudine, qua mortem fratris vindicaſſent, ipſique vitam conſervaſſent, etiam porro ejus exiſtimationem, atque dignitatem tueri, aut pariter patriam, cum ipſius ſalute, amittere. Quo vero verba factis comitarentur, ipſeque à domeſticis deinceps inſidiis tutior eſſet, de ſatellitio, quod ex publico aleretur, ipſi proſpexerunt. Inde ad belli curas converſi, tam pecuniam quam militem, quanto id fieri poterat ſtudio atque celeritate coegerunt, auxilia etiam Venetos, Ducemque, ex pactis rogarunt.

Laurentius in clientelā Reip. Florentinæ recipitur.

Pontifex ex paſtore in lupum.

Porro cum Pontifex ex paſtore in lupum degeneraſſet, ne forte tamquam noxii ab ipſo devorarentur, cauſam ſuam publico ſcripto purgavere, omniq; Italiæ proditionem atq; inſidias, quibus ipſorum Reſpub. petita fuiſſet, expoſuère. Pontificem nimirum impium atque injuſtum eſſe, Pontificatumque malis artibus occupatum, pejus adminiſtrare, eos ſiquidem, quos ampliſsimis Prædaturis (prælaturis inquam) præfeciſſet, inter conjuratos atque parricidas eſſe voluiſſe qui tam ſceleratum atque proditorium facinus, in ipſa æde ſacra, in ipſo ſacrorum ritu, imo in ipſa Sacramenti celebratione perpetrarent, porro, (poſteaquam ipſi minus ſucceſſerit, cives trucidare, adminiſtrationem Reip. evertere, urbemque depopulari) inde ipſis ſacris interdicere, atque ſpiritualibus telis in ſe ſævire. Quod ſi vero Deus juſtus, ipſique violentia odio eſſe pergat, proculdubio horum Vicarii ſui ſcelerum rationem propediem habiturum

turum,neque aſpernaturum eorum preces, quibus aures hoc loco obſeratæ,eas ad ipſum dirigere videretur.

Ergo Florentini,non modo interdictionem ſacrorum non receperunt,aut ea ſe teneri voluerunt, ſed etiam ſacrorum miniſtros, authoritate ſua, adegerunt,ut ſacra pro more peragere pergerent. Concilio quoque omnium miniſtrorum, qui ipſorum Imperio parebant, Florentiæ convocato,à Pontificis injuria, ad futurum concilium provocarunt. *Florentini interdictionem reſpuunt. Concilium cogunt.*

Neq; porro Pontifici rationes,quibus cauſam ſuam etiam ipſe tueretur,defuere:S.Pontificii ſiquidē officii eſſe tyrannidem opprimere,ſceleſtos extinguere, bonosque evehere, easque res omni opportuno remedio curare ajebat. At non eſſe Principum ſæcularium, Cardinales in vinculis habere, Epiſcopos laqueo ſuſpendere, Sacerdotes interficere, deartuare,trahere,noxios pariter atque innoxios excarnificare. *A Pontifice ad futurum generale concilium provocant.*

Nihilominus, inter eas expoſtulationes atque inculpationes,Florentini Cardinalem, quem in cuſtodia habebant, Pontifici ceſſerunt, atque ea ratione idegerunt,ut jam Pontifex atque Rex eô audactius, totis viribus eos invaderent, amborumque copiæ (Alfonſo Ferdinandi filio Duce Calabriæ,Friderico que Urbinatium Comite ducibus) in Chiantenſem agrum,per Senenſium ditionem (utpote qui ab hoſtibus ſtarent) deſcenderent, eoque loci Raddam, multasque præterea arces caperent, omnemque regionem deprædarentur; Inde Caſtellinam obſidione cingerent.

Florentini porro tanto cum impetu invaſi, non mediocriter angebantur tam quod copiis deſtituerentur, quàm auxilia lentius progredi animadverterent. Licet etenim Dux auxilia ſubmiſiſſet, Veneti tamen,in cauſis privatis, ad auxilia ſeſe teneri negaverant,cum ergo bellum in privatos motum ſit, nihil ad id fœdus pertinere, neque etenim inimicitias privatas,publicam defenſionem poſtulare. Ne ergo Flo- *Veneti auxilia negant*

rentini ulla ex parte ſibi deeſſent, oratore Thoma Soderino ablegato, eos ad ſaniorem mentem revocare tentarunt, intereaque temporis copias coegerunt, iisque Herculem Ferrarienſium Marchionem præfecerunt.

Caſtellina occupata.

Hunc ad modum, dum Florentini ſeſe ad bellum pararent, exercitus hoſtium, Caſtellinam in eas anguſtias compulerat, ut ea, à quadrageſimo obſidionis die, deditione caperetur. Inde verſus Aretium flectendo, Montem Sanſavinum obſidere cœperunt. Atque jam exercitus Florentinorum, omni ex parte inſtructus, verſus hoſtes perrexerat, tribusq; ab eo miliaribus, loco tam opportuno conſederat, ut hoſti id quam incommodiſsimum eſſet; adeo ut Fridericus Urbinas, aliquot dierum inducias peteret, easque ſummo cum Florentinorum detrimento tam liberaliter conceſſas vix ſatis miraretur: ſiquidem iis denegatis, cum ignominia ipſi diſcedendum fuiſſet. Verum, cum eo induciarum tempore, rebus ſuis proſpicere licuiſſet, eo elapſo, in conſpectu Florentinorum caſtrum iſtud occupavit. Inde hyeme jam inſtante, hoſtes in Senenſium agrum ad hyberna conceſsêre, Florentinorum quoque copiæ loca magis commoda occupavêre: Marchio demum Ferrarienſis, nec ſibi nec aliis utilitate parta, ad ſua ſe recepit.

Diſſidia ob adminiſtrationem Mediol Ducatus.

Sub hæc geſta Genuenſes, à Mediolanenſis imperio, hanc ob cauſam defecere. Poſtquam à cæde Galeazii, Joannes Galeazius filius, ad Rempub. capeſſendam ætate minus idoneus eſſet, diſſenſio inter Sforzias, Ludoicum, nimirum, Octavianum, atque Aſcanium patruos, Bonamque matrem oriri cœpit, ſiquidem tam illi, quam hæc curatelam Ducis ambiebant. Verum inter eas diſſenſiones, Bona Galeazii vidua, Thomæ Soderini, id temporis Florentinorum Oratoris, tum Ceccii Simonettæ, qui Galeazio à ſecretis fuerat, conſiliis, ſuperior ſtetit. Fuga eam ob rem Sforzii arrepta, Octavianus quidem, dum Addam trajiceret, ſuffocatus periit, reliqui di-

verſa

verſa in loca,unaque Robertus Sanſeverinus, quod inter eas turbas,deſerta vidua,ad Sforzias conceſsiſſet,relegati fuere.

Dum vero poſtea in Tuſcia turbari cœptum fuiſſet,quod Principes illi novam inde fortunam aucuparentur,neglectis finibus,quisq; diverſis modis ſua recuperare conavêre. Ergo Ferdinandus, cum Florentinos nulla ex parte, quam à Mediolanenſi Ducatu, auxilia obtinuiſſe animadverteret, quo porro eos etiam hoc commodo exueret, eum ad modum viduam implicandam cenſuit, ut Florentinorum curam omittere,neceſsitate ipſa adigeretur, eamque ob rem,auxilio Proſperi Adornii, Roberti Sanſeverini aliorumq; exulum,Genuenſes imperio Mediolanẽſi ſubtraxit.Solum caſtrum,quod Caſtellettum vocant, in fide manſerat,qua occaſione freta vidua,urbem recuperari poſſe ſperaverat, verum copiæ eam ad rem ab ea miſſæ,profligatæ fuêre.Ne ergo omne Mediolanenſe imperium in diſcrimen præcipitaret,ſi id bellum perſequi pergeret,præſertim quod Florentinos, in quibus ſolis ſpes ſupererat,bello graviſsimo implicatos cerneret,conſtituit,poſtquam Genuam ſub imperio habere nequiviſſet,at ſaltem eam amicam habere. Eam ob rem Baptiſtæ Fregoſo, Proſperi Adorni hoſti,Caſtellettum ceſsit, ut is imperio Genuenſium occupato,Proſperum inde profligaret, atq; Sforzias auxiliis deſtitueret. Fregoſus ergo, Caſtelletti occaſione,partiumq; ſtudiis adjutus,facile Genuenſi Ducatu potitus eſt:adeo ut Sanſeverino atq; Sforziis inde pulſis,in agrum Lunenſem ipſis recipiẽdum eſſet.

Genuenſes ab imperio Mediol. deficiunt.

Motu ergo iſto in Longobardia compoſito, viſum fuit Regi atq; Pontifici,eorundem exulum opera, in Tuſcia,verſus Piſam turbare,quo nimirum Florentinorum copiæ ea ratione in duas partes dividerentur. Conſtituêre eam ob rẽ,poſtquam hyems præteriiſſet, ut Robertus Lunenſibus omiſsis,Piſanos invaderet. Ergo Robertus, omnem Piſanum agrum, tumultu terroreq; miſcere,multas præterea arces occupare,atque univerſa ex regione,ad portas usque urbis prædas agere cœpit.

Inter

Legati Imperatoris Regumq; Galliæ & Hungariæ pro Florentinis.

Inter hæc geſta, oratores Imperatoris, Galliæ & Hungariæ Regum, Florentiam convenerant, atque ad Pontificem miſsi, Florentinis authores fuerant, ut oratoribus ad Pontificem ablegatis, ſeſe ſubmitterent, omnia nimirum ſe facturos, ut optima pace impetrata, bellum componeretur. Neque recuſarunt Florentini ejus experimentum capere, quo nimirum omnibus innoteſceret, per eos non ſtare, quo minus pax undique parari poſſet. Verum oratores re infecta Romã rediere.

Florentini ergo, quo Regis Galliæ authoritate partes ſuas amplificarent, poſtquam nimirum ab Italis partim opprimi, partim deſeri ſe animadverterent, Donatum Acciaivolum, virum Græcarum pariter ac Latinarum literarum peritiſſimũ, in Galliam amãdarunt, verum is in itinere Mediolani animam depoſuit. Quo ergo tam memoriam viri honore afficerent, quam in liberos gratos ſeſe præſtarent, non modo publicis ſumptibus ipſius funus curarunt, ſed etiam filios oneribus publicis exemerunt, filiasque dote attributa, nuptum elocarunt: ejusque in locum Oratorem Guidantonium Veſpuccium, juris utriusque peritiſsimum, ſubſtituerunt.

Interim invaſio Sanſeverini ex partibus Piſanis, Florentinos admodum turbaverat, ſiquidem ex altera parte graviſsimo bello diſtenti, qua ratione huic porro diſcrimini obviam irent, vix ſatis perſpiciebant, tamen eo quo poterant modo, Piſanis proſpexerunt. Quo vero etiam Luccenſes in fide perſiſterent, nec hoſtem vel opibus vel annona ſublevarent, eam ob rem, Petrum Ginium Capponium oratorem eô amandarunt, qui quidem, ob antiquum Luccenſium in Florentinos odium, tot injuriis provocatum, perpetuoque metu amplificatum, tanta ſuſpicione ibi habitus fuit, ut non raro, vitæ diſcrimen, à plebe ipſi metuendum eſſet: adeo ut hæc legatio, novis potius inimicitiis, quam animorum conjunctioni, anſam ſuppeditaret.

Ergo Florentini, non modo Marchionem Ferrariæ revocarunt,

revocarunt, verum etiam Mantuanum ad ſtipendia receperunt, porro inſtantiſsime à Venetis Carolum Braccium Comitem, Comitisque Jacobi filium Deiphobum duces expetiverunt, tandemque poſt multas cavillationes eosdem obtinuerunt. Veneti ſiquidem, pace cum Turcis pacta, omnique jam ſubterfugio excluſi, fide fœderatos diutius fruſtrari, ipſimet erubeſcere cœperant.

Igitur non contemnenda cum Cataphractorum manu, Carolus Deiphobusque poſtquam Florentiam pertigiſſent, collectis omnibus Cataphractis, quorum opera, exercitus Florentinus, in Ducem Calabriæ carere poterat, verſus Sanſeverinum, qui ad flumen Serchium conſederat, movere cœperunt. Licet is verò eorum adventum exſpectaturus videretur, tamen in Lunenſem agrum, eaque in caſtra ſe recepit, unde in Piſanos prius moverat, à cujus diſceſſu omnia à Carolo recuperata fuere, quæ ea in regione Sanſeverinus occupaverat. *Florentini bellum restaurant.*

Rebus in Piſano eum ad modum pacatis, Florentini omnes copias ſuas, inter Collem Sanctumque Geminianum conjunxère, verum poſtquam eo in exercitu, adventu Caroli, tam Sfortziorum, quam Bracciorum milites convenirent, fieri non potuit, quin antiqua partium ſtudia, inter ipſos reviviſcere inciperent, manusque illi proculdubio conſeruiſſent, ſi diutius eos unà verſari contigiſſet. Verum majoris mali declinandi gratia, viſum fuit Florentinis, copias iterum disjungere, Carolumque verſus Peruſinos amandare, reliqua vero parte prope Poggibonzios ſubſiſtere, eoque loci caſtris munitis, hoſtium depopulationes ex agro Florentino avertere. Sperabant porro hac ratione exercitum etiam inimicum diviſum iri, aut enim Carolum Peruſiam, ubi amicitia pollebat occupaturum, aut Pontificem neceſſe habiturum, eam urbem magno præſidio munire. Præterea curavère, ut Nicolaus Vitellius, civitate Caſtelli, à Laurentio hoſte ſuo excluſus, ad portas ejus caſtri ſuccederet, idque Pontifici eripere conaretur.

Atque

Fortuna Flor. propitia.

Atque videbatur quidem, ſub hæc initia, fortunam Florentinis favere velle, ſiquidem Comiti in ditione Peruſina res ſatis feliciter ſuccedebant. Nicolaus etjam Vitellius, licet Caſtelli occupandi voto fruſtratus, ſuperior tamen viribus erat, hoſtemque ſeſe intra mœnia recipere coegerat. Eæ porro copiæ, quæ prope Poggibonzios ſubſtiterant, indies usq; ad Senenſium portas excurrebant. Verum tandem omnes iſti conatus in vanum abiêre. Inprimis vero Comes Carolus, in ipſa victoria, vitam efflavit, cujus quidem mors, Florentinorum conditionem amplificaſſet, ſi illi victoria inde enata, commode uti potuiſſent. Copiæ ſiquidem Pontificiæ, ejus morte intellecta, in ſpem conjectæ, poſſe ſe Florentinorum copias opprimere, relicta Peruſia, prope hoſtem ad lacum caſtra collocaverant: Ex altera vero parte Jacobus Guicciardinus, Florentinorum ad exercitum legatus, conſilio magnifici Roberti, ad quem ab obitu Caroli ſumma redierat, potiſsimusque omnium totius exercitus habebatur, perſpecta hoſtium temeritate, eos exſpectandos eſſe cenſuit, adeo ut tandem juxta lacum, ubi olim Hannibal inſigni illa victoria potitus fuerat, manus conſererent, atque Pontificiæ copiæ profligarentur. Quæ quidem victoria, magna cum laude ducum, communiq; omnium lætitia, Florentiæ celebrata fuit, porroq; maximo honori emolumentoq; Reip. ceſsiſſet, niſi turbæ apud exercitus partem, quæ ad Poggibonzios ſubſederat, excitatæ, omnia peſſumdediſſent, adeoque unius exercitus beneficium, ab altero exercitu, penitus everſum fuiſſet.

Pontificiæ copiæ profligatæ.

Accidit ſiquidē, ut, præda à Senenſibus abacta inter Marchiones, Ferrarienſem atq; Mantuanum prædæ dividendæ nomine, contentiones orirentur & eousq; excreſcerent, ut tandem hoſtiliter eam ob rem, inter ſe pugnarent, adeo ut Marchio Ferrarienſis, cum copiis ſuis, Florentinis omittendus, domumque amandandus fuerit. Exercitu ergo Florentinorum hunc ad modum imminuto, tum quod duce deſtitueretur, omni ex parte ordinem militarem deſerente, Calabriæ

Dux

Dux, qui exercitum ſuum prope Senos habebat, recollecto animo, eum imparatum opprimere conſtituit. At Florentini nulla vel virium, vel copiarum, quæ numero hoſtem anteibant, nec etiam loci, qui muniti ſsimus erat, habita ratione, eo non exſpectato, vixq; animadverſo, quē adveniens excitaverat, pulvere, in fugam ſeſe conjecerunt, hoſtiq; omnia impedimenta expoſuerunt. Tanta nimirum ignavia atq; vecordia exercitus iſtius ſæculi laborabant, ut vel ſolus equus, caput aut caudā movēdo, victoriæ aut cladi ſatis eſſet.

Vix audito hoſtis adventu Florentini fugiunt.

Replevit ea clades Regium exercitum præda, Florentinos vero ingenti formidine, urbs ſiquidem non modo bello, ſed etiam ſævisſima lue oppreſſa jacebat, quæ quidem eum ad modum graſſabatur, ut civium plerique neglecta urbe, rus ſeſe reciperent. Atq; hinc quidem, clades illa, majori longe formidini fuit, civium ſiquidem illi, qui in vallibus Peſana atq; Elſana ad villas ſuas conceſſerant, à clade illa non modo cum familiis, ſed etiam cum colonis ſuis omnibus, ſeſe in urbem receperant: adeo ut veriſimile videretur, hoſtem jam jam ad portas urbis conſpectum iri. Eam ob rem illi, quib. belli cura demandata fuerat, exercitum, qui victoriam apud Peruſium obtinuerat, inde avocarunt ut hoſtis conatibus ad vallem Elſanā ſeſe opponeret, qui quidem ab ea victoria, omnem regionem libere depopulabatur.

Ignavia Italorum militum.

Licet vero illi Peruſinos eas in anguſtias jam compuliſſent, ut eorū deditio in horas exſpectaretur, maluere tamen Florentini ſua prius defendere, quam ad aliena occupanda animum adplicare. Neceſſe ergo habuit exercitus ille, felici ſucceſſu omiſſo, ad S. Caſcianum, arcem Florentiæ ad octavum miliare vicinam ſeſe recipere, atq; eo loci reliquias profligati exercitus recolligere. Hoſtium vero illi, quibus ex diſceſſu Florentini exercitus, apud Peruſinos audacia creverat, maximas prædas, ex agro Aretino atq; Cottonenſe, indies agebant, hi vero, qui Duce Alfonſo ad Poggibonzium vicerant, primo Poggibonzium, inde vicū occupaverant, Certaldum vaſtaverant, indeq; arcē ad

Collem

Collem, id temporis longe munitiſsimam, obſidione cinxerant: quæ quidem, cum ſumma erga Florentinos fide defenderetur, tã diu obſidionem tulit, quoad Florentinorũ exercitus reſtauratus eſſet. Ergo poſtquam Florentini omnem Exercitum recollegiſſent, conſtituêre verſus hoſtem proficiſci, atque tam Collem propugnantibus animum addere, quam hoſti liberiorem eorum oppugnationem præpedire.

His ita conſtitutis, relicto S. Caſciano, ad S. Geminianum perrexêre, ubi caſtris quinto ab hoſte miliari collocatis, equite levioris armaturæ atque velite, in dies Ducis caſtra laceſſebant. Verum id auxilii Collenſibus ſatis non erat, adeo, ut omni re neceſſaria deſtituti, XIII Novembris die in hoſtium poteſtatem, magno cum Florentinorum dolore, ingenti vero hoſtium præcipue Senenſium lætitia, devenirent, utpote quibus, præter commune cum Florentinis odium, peculiare quoddam cum Collenſibus intercedebat.

Jamque hyems ingruere tempuſque à re gerenda alienum eſſe cœperat, cum Pontifex pariter ac Rex, ſeu quod pacis ſpem injicere, ſeu victoria jam parta frui cuperent, Florentinis inducias trium menſium offerre, atque decendium ad reſponſum largiri, quæ quidem avidiſsime arreptæ fuêre. Verum quod *ſemper evenire videmus, ut vulnera non tam quando infliguntur ſolent, quam quando ardor deferbuit, potiſsimum doleant*, id etiam hic animadvertere licuit. Brevis ſiquidem ea tranquillitas, Florentinis labores exantlatos luculentius ob oculos poſuit, adeo ut cives publice, præterque rationem, ſibi invicem errata, quæ bello commiſſa fuiſſent, exprobrarent, ſumptus porro fruſtraneos, exactionumque iniquitatem, alii aliis objicerent, eaq; non modo in privatis colloquiis, ſed etiam in ipſis conſiliis, contentioſe ſatis urgerent. Nec defuit, qui ad Laurentium converſus diceret. Res hæc publica jam defatigata eſt, nec bellum deinceps cupit, ergo jam æquum eſſet, ut de pace agere incipias.

Laurentius

Laurentius igitur ea neceſsitate perſpecta, ea cum amicorum parte, quam prudentia fideq; præſtare noverat, ea de re conferre cœpit, tandemque inter hos decretum, poſtquam Venetos frigeſcere, dubiæque fidei, Ducem vero minorennem, atque civilibus diſcordiis implicatum animadverterent, novos omnino amicos quærendos eſſe. Interim tamen hærebant, an in Regem potius, quam in Pontificem, ipſis recumbendum eſſet: verum omnibus ſedulo excuſsis, amicitiam Regis, utpote ſecuram firmamque magis, amplectendam cenſuêre. *Brevitas ſiquidem Pontificum vitæ, dive rſitas eorum qui in ea dignitate ſuccedunt, exigua exiſtimatio Principum apud ſedem Pontificiam, conſcientia in amplectendis ſocietatibus evanida, facit, ne* Principi *ſæculari tuto in Pontificem recumbere, aut ſuam fortunam, ſecure hujus committere fortunæ, liceat. Nam qui in bello & diſcrimine Pontifice amico utitur, ille quidem victor ſocium habet, at victus calamitatem ſolus ſuſtinere cogitur, quod nimirum Pontifex, ſpirituali præterea potentia atq; authoritate munitus, defendatur.*

Eam ergo ob rem, cum tutiorem Regis amicitiam eſſe conſtituiſſent, ad eam porro adipiſcendam, nihil adeo, ac Laurentium ipſum, conferre poſſe arbitrabantur, eò nimirum proniorem ad obliteranda antiquâ odia viam fore, quo majore liberalitate Regi obvium ſeſe exhibiturus eſſet. Obfirmato igitur ad eam profectionem animo, curàque à Laurentio Reipub. Thomæ Soderino, qui id temporis Juſtitiæ vexillo potiebatur, demandata, ſub initium Decembris Piſas perrexit, indeque rem ad Reip. proceres reſcripſit, qui quidem, quo eum vicisſim honore afficerent, oratoris munere ipſum apud Regem defungi voluere, authoritate in ipſum collata, id quod è Repub. viſum fuiſſet, decernere, atque cum Rege paciſci. *Laurentius ad Regem Neap. orator.*

Eodem tempore Sforzii fratres, unà cum Roberto Sanſeverino, denuo Ducatum Mediolanenſem invaſerant, Bertonamque occupaverant, quam quidem ob rem, quo pace frui daretur, conſtituit tandem vi-

dua, cum Sforziis adminiſtrationem imperii communem habere. Author iſtius conſilii Antonius Taſſinus Ferrarienſis fuerat, qui viliſsimo ſanguine oriundus, à Duce Galeazio in familiam receptus, tandemque conjugi à cubiculis tributus fuit. Atque is quidem ab obitu Ducis, ſeu quod formoſus eſſet, ſeu aliam occultam ob virtutem, eo authoritatis apud viduam excreverat, ut omne fere imperium ab eo adminiſtraretur, quod porro Ceccio, viro prudenti longaque experientia præſtantiſsimo, ſummopere diſplicebat, adeo, ut tam apud viduam quam alios ageret, quo authoritas Taſsini reprimi aliquando poſſet.

Ludoicus Sforzia ad adminiſtrationem Mediol. recipitur. Qua quidem re ille animadverſa, author viduæ fuit, (quo haberet nimirum, qui contra Ceccum ſe defenderet) ut Sforziàs patriæ reſtitueret, atque ea conſilium ipſius ſecuta, nulla ejus apud Ceccum facta mentione, eos in amicitiam recepit. Id videns Ceccus dixit, ſane id conſilii cœpiſti, quod mihi propediem vitam, tibi vero imperium ereptu- rum ſit, idque paulo poſt eventus comprobavit. Ceccus ſiquidem à Ludoico extinctus fuit. Taſsino porro non multo poſt Mediolano pulſo adeo iniquo id animo vidua tulit, ut Mediolano relicto, curam filioli in Ludoici manus deponeret. Ergo Ludoicus adminiſtratione Ducatus Mediolanenſis ſolus potitus, in cauſa fuit, ut Italia, ſicuti dictari ſumus, omnis peſſundaretur.

Serazana occupata. Dum igitur, Laurentius induciis nondum elapſis Neapolim contenderet, interim præter omnium exſpectationem, Ludoicus Fregoſius, occultis cum quibusdam Serazanenſibus conſiliis Serazanum furtim, occupavit, omnesque qui ibi pro Florentinis ſtabant, in vincula conjecit: Qui quidem caſus primoribus Reipub. Florentinæ ſummopere diſplicuit, utpote qui Regem Ferdinandum ejus authorem ſuſpicarentur. Eam ob rem apud Ducem Calabriæ, qui cum exercitu in Senenſi agro erat, expoſtulabant, quod induciarum tempore, novo bello peterentur. Verum is tam literis quam Ora-

toribus egit, ut culpa ea quam longiſsime à ſe patreque Rege removeretur.

Nihilominus Florentinis, in peſsima conditione ſeſe conſtitutos videbatur, quod nimirum ærarium exhauſtum, Reipub. Principem in manibus hoſtis conſtitutum, bello porro ſeſe tam cum Rege atque Papa veteri, quam novo Genuenſium implicatos; amicisque deſtitutos animadverterent, ſiquidem tam de Venetis nihil ſperabant, quam de Mediolano ambigui, potius metuebant. Sola ſpes in iis ſupererat, quæ Laurentius apud Regem effecturus eſſet.

Atque is navi Neapolim jam advectus, non modo à Rege, ſed et à ab univerſa urbe, magno cum honore atque exſpectatione exceptus fuit. Poſtquam etenim bellum adeo difficile; ipſius ſaltem opprimendi gratia ſuſceptum fuiſſet, eam ob rem potentia adverſariorum, maximum ipſi nomen pepererat. Ergo cum ad Regem admiſſus eſſet, eum in modum coràm ipſo, de conditionibus Italiæ, de ingeniis Pricipum Italorum, de populi animis, tum quæ ex pace ſperari, ex bello vero metui poſſent, diſputare cœpit, ut Rex, poſtquam ipſum coràm cognoviſſet, magnitudinem animi, ingenii promptitudinem, gravitatemque judicii in eo miraretur, quàm quod ſolus, tam gravi bello, hactenus par fuiſſet. Adeo ut non modo honoribus eum augeret, ſed etjam qua ratione eo amico potius, quam hoſte deinceps uti poſſet deliberare inciperet.

Nihilominus variis ſub cauſis, à menſe Decembri in Martium usque eum ſuſpenſum tenuit, non tam quo uberiuts experimentum de ipſo, ſed potius de urbe caperet. Siquidē non defuere apud Florentinos, qui inimico in Laurentiū animo, eū Jacobi Piccinini ad modum à Rege haberi cuperent, atq; ipſius tanquā vicem dolentes, per omnem urbem ſermones ea de re ſererent, inque conſiliis, iis, quæ Laurentio prodeſſe poterent, ſeſe opponerent: qua quidem ratione effecerant, ut fama vulgaretur, ſi eum diutius

Neapoli detineri contingeret, in urbe turbatum omnino iri. Atque id quidem cauſæ fuit, ut Rex turbas illas exſpectaturus, eum cousque ſuſpenſum haberet.

Verum poſtquam omnia Florentiæ pacata eſſe animadvertiſſet, tandem VI. Martii, Anni MCCCCLXXIX, diſcedendi ipſi copiam fecit, omniſque generis beneficiis, atque amoris ſummi teſtimoniis, eum ita ſibi devicit, ut perpetuum fœdus, ad mutuam defenſionem, inter ipſos conſtitueretur.

Pax à Rege Flor. impetrata.

Ergo Laurentius jam major, quam abiiſſet, Florentiam reverſus, ea lætitia publice exceptus fuit, quam ipſius ampliſsima conditio, tum præſens erga Rempub. beneficium, poſtulare videbatur, utpote qui propriam vitam, pro patria, diſcrimini expoſuiſſet. Biduum ſiquidem ab ipſius reditu, fœdus inter Rempub. Regemque promulgatum fuit, quo quidem mutua defenſio continebatur, regiſque arbitrio relinquebatur, ea quæ de Florentinis cœpiſſet reſtituere, porro ut Pazzii, qui hactenus in turre Volaterrana cuſtodiebantur, dimitterentur, Ducique Calabriæ, certo tempore, conſtituta pecunia penderetur.

Cæterum hæc pax, tam Pontificem quam Venetos peſsime habuit, Pontifici ſiquidem videbatur, authoritatem ſuam à Rege poſthabitam, Veneti vero dolebant, quod in bello Florentinorum ſocii, in pace ab illis neglecti fuiſſent. Atque ea quidem indignatio Florentinis metum incuſsit, ne atrociore quam antea bello implicarentur, adeo ut iis, qui Rempub. moderabantur, commodum videretur, adminiſtrationem Reipub. coarctare, atque minore civium numero, negotia difficiliora arduaque deinceps tractare, eamque ob rem conſilium ex ſeptuaginta civibus conſtituerunt, in eosque eam, quam potuerunt authoritatem maximam, contulerunt. Atque hæc quidem ratio, eorum ingenia, qui novas res ſpirabant, repreſſit, primumque, quod ab eo ordine ſuſciperetur, fuit, ut pacem, inter Regem atque Laurentium pactam,

Conſilium 70. civium Florent. conſtitutum.

ctam, ratihaberent. Inde Oratores, Antonium Ridolfum, Petrumque Naſium, ad Pontificem amandarunt.

Neque tamen hactenus Calabriæ Dux exercitum ſuum in agro Senenſi exauctoraverat, nimirum diſſenſionibus eorum civium retentus, quæ quidem eousque erupêre, ut tandem cum exercitu, in urbem vocaretur, reique arbitrium in ipſum transferretur. Atque Dux quidem, eam occaſionem adeptus, multos eorum civium pecunia emunxit, alios in vincula duci juſsit, alios in exilium egit, morteque alios punivit, adeo ut non modo Senenſibus, ſed etiam Florentinis ſuſpicio oboriretur, cupere ipſum imperium Senenſium in ſe transferre, neque quidquam remedii contra erat, quod Florentia recens cũ Rege coiviſſet, Pontificemque atque Venetos infeſtos haberet. Quæ quidem ſuſpicio, non ſolum populi Florentini animis, alioquin omnia ſubtilius rimari ſolitis, verum adeo ipſis Reipub. moderatoribus inſederat, ut uno omnium judicio conſtet, urbem Florentinam, nunquam tanto diſcrimini, amittendæ libertatis, expoſitam fuiſſe. Verum Deus, cui ejus urbis in extremis anguſtiis conſtitutæ, hactenus ſemper peculiaris cura fuerat, aliunde motus excitavit, qui Regem, Pontificem, atque Venetos majoribus curis implicarent.

Dux Calabriæ Senenſium arbiter.

Profectus fuerat Mahumetes Turcarum Imperator, inſtructiſsima cum claſſe, in inſulam Rhodum, eamque aliquod menſes jam oppugnaverat. Licet vero ingentem exercitum duceret, ſummiſque viribus obſidionem urgeret, nihilominus tanta virtute Rhodii ſeſe geſſerant, ut Turcis ignominioſe inde diſcedendum fuerit. Pars igitur illius claſsis, Jacometto Baſcia imperatore, Apolloniam navigavit, atque dum Italiam propter veheretur, ſeu quod facilitate rei perſpecta, ſeu quod id in mandatis haberet, citra omnem exſpectationem, quatuor millia militum in terram expoſuit, Hydruntumque ſubito invaſit, diripuit, omneſque incolas trucidavit; inde tam

Rhodij à Turcis oppugnatio.

Hydruntum à Turcis occupatum.

urbem quam portum munire conductoque ſatis copioſo equite, omnem vicinam oram depopulari cœpit.

Rex igitur, cum eam cladem edoctus eſſet, hoſtisque potentiam apud ſe perpendiſſet, quaquaverſum nunciis emiſsis, auxilia contra communem hoſtem rogare, Ducemque Calabriæ, cum copiis ſuis, revocare neceſſe habuit. Atque hic quidem ſucceſſus, quantum Ducem reliquamque Italiam perturbavit, tantum Florentinis atque Senenſibus gaudio fuit, his quidem quod libertatem recuperaſſe, illis vero, quod ex diſcrimine, quo eam perditum ibant, emerſiſſe, ſibi viderentur. Quas quidem ſuſpiciones, Ducis quærimoniæ non mediocriter confirmabant, qui diſcedens, fortunam inopinato atque iniquo caſu, Imperium Tuſciæ ſibi eripuiſſe, haud tacite lamentabatur.

Idem ſucceſſus Pontificis animum flexit, ut qui hactenus, nullum Oratorem Florentinum admittere voluiſſet, eousque tandem miteſceret, ut omnes, qui univerſalem Italiæ pacem ſuaderent, æquo jam animo ferre addiſceret. Adeo ut Florentinis ſignificaretur, modo veniam rogatum accederent, eos Pontificem benevolum habituros. *Florentini Pontifici ſupplices.* Minime ergo eam occaſionem negligendam rati, duodecim legatos Romam miſêre, quos quidem Pontifex, variis artibus, antequam eos admitteret, ſuſpenſos tenuit. Tandem inter partes conventum, quo pacto deinceps agendum, quantumque tam pacis, quam belli tempore, ab utriſque contribuendum eſſet. Inde ad Pontificem admiſsi, ipſum magno cum faſtu, inter Cardinales ſedentem, offendêre. Excuſare illi ergo ea quæ ſucceſsiſſent, atque modo in neceſsitatem, modo in aliorum malitiam, modo in plebem juſta ira concitatam, culpam conferre, miſeroſque eos vocare, quibus aut pugnandum aut occumbendum eſſet. Cum ergo omnia ferenda ſint, quo mortem effugias, eam ob rem ſeſe bellum potius, interdicta ſacra, aliaq; ma-

ſa, quæ inde perpeſsi ſint, ſuſtinere, quam ſervitutem, quæ Rerump. mors merito appelletur, ferre maluiſſe. Nihilominus, ſi neceſsitate ipſa adacti, fortaſsis peccaſſent, cupere ſe errorem emendare, inque ejus clementia ſpem reponere, quæ ad ſummi redemptoris exemplum, ipſos gremio miſericordiæ ſuæ excepturus ſit.

Ad eas exculpationes Pontifex, ſermone faſtuoſo atq; iratiſsimo, reſpondere, omniaque in memoriam revocare cœpit, quæ Florentini olim in ſedem Pontificiam admiſiſſent: verū quo præcepta divina ſequeretur, ajebat, ferre ſe poſſe, ut venia, quam petant, ipſis impetretur. Interim notum ſe velle, qua ratione deinceps ipſis obediendum ſit, quo ſi vel tantillum ab ea obedientia deflectant, ea libertate ſe merito excidiſſe meminerint, qua nunc excidere meruiſſent. Eos ſiquidem merito liberos eſſe, qui bonis, nō malis, operibus ſeſe exerceant, libertatem enim male adhibitam, tam ſeſe, quàm alios offendere, neq; eſſe officium hominis liberi, ſed diſſoluti, non ad bonum, ſed ad malum proclivis, qui Deū ipſum parvi, Eccleſiam vero ejus adhuc minus æſtimare in animum inducere poſſit, cujusmodi quidem flagitia cohercere, non modo ſui, ſed etiam cujusvis Principis Chriſtiani officii ſit. Ergo ob ea, quæ hactenus ſucceſſerint, neminem quā ſeipſos accuſent, qui malis ſuis actionibus bellum provocaverint, peſsimis vero idem abierint, quod quidem potius aliorum clementia, quam ipſorum merito extinctum ſit. Inde pacis & benedictionis formula pronunciata fuit. Quibus Pontifex præterea adjecit, (nihil ſiquidem in pactis ea de re comprehenſum) Florentinos, modo fructum benedictionis aſſequi cupiant, quindecim triremes bello Turcico, quamdiu id Regnum occupatum Turcæ teneat, publico ſumptu ſuppeditare debere. Licet vero oratores de onere iſto acceſſorio, neque pactis comprehenſo, ſummopere conquererentur, nihil tamen ſeu quærimoniis, ſeu favore, ſeu ulla alia ratione levamenti impetrare potuere.

Florentinis pax conceſſa.

Verum iis Florentiam regreſsis, Florentini, quo pacem eam in melius formarent, Guidantonium veſpuccium, nuper ex Gallia reverſum, Romam ad Pontificem miſerunt, qui quidem prudentia ſua, omnia, ferendum in modum, reduxit, ipſeque non contemnendis beneficiis, à Pontifice affectus fuit, quod quidem uberioris reconciliationis ſpem parturiebat.

Rebus ergo Florentinorum apud Pontificem pacatis, præterea ipſis verſus Senenſes, quod Dux Calabriæ Tuſciam deſeruiſſet, magno metu liberatis, poſtquam Turcæ nihilominus Regno moleſti eſſe pergerent, illi Regem omni ex parte urgere cœperunt, ut ipſis arces ſuas, quas Dux Calabriæ diſcedens, Senenſium poteſtati reliquerat, reſtitueret. Cum ergo Rex metueret, ne tanta in neceſsitate à Florentinis deſtitueretur, præterea ſi illi Senenſibus bellum moverent, forte auxilia quæ à Pontifice, reliquiſque Italiæ Principibus exſpectabat, diverterentur. Eam ob rem tandem in reſtitutionem omnium eorum, quæ ipſis occupaſſet, conſenſit, Florentinoſque novis obligationibus ſibi obſtrinxit. Unde *liquet non chartas, ſcripturas, aut obligationes, ſed vim atq; neceſsitatem, Principes ad fidem ſervandam adigere.*

Receptis ergo omnibus iis locis, novoque fœdere firmato, Laurentius eam authoritatem recuperavit, quam primum ex bello, poſtmodum ex pace, (dum de Rege dubitaretur) perdiderat. Neque interea temporis defuere, qui manifeſto illum calumniarentur, quod pro ſua ſalute redimenda patriam vendidiſſet, parique ratione ea pace de libertate actum iri, ſicuti bello anteacto ditione excidiſſent. Verum ditione omni recuperata, tum fœdere cum Rege, honeſtis conditionibus, firmato, urbeque priſtinæ exiſtimationi reſtituta, apud Florentinos, loquendi avidos, reſque non ex conſiliis, ſed ſucceſſu metientes, aliter loqui cœptum, Laurentiuſque laudibus in cœlum usque ſublatus fuit, eum nimirum, prudentia ſua, per pacem ea recuperaſſe, quæ ſiniſtra fortuna

Florentini garruli.

per

per bellnm ipſi eripuiſſet: pluſque ejus conſilia atque judicium, quam hoſtium potentiam viresque valuiſſe.

Narratum hactenus fuit, qua ratione Turcarum irruptio bellum quod Pontifex atque Veneti, ob pacem cum Rege indignati, moliebantur, averterit. Sicut autem initium ejus Turciæ invaſionis inopinatum, bonique non contemnendi cauſa fuit, ita exitus inexſpectatus, malis præter opinionem originem præbuit. Mahumete ſiquidem, Turcarum Imperatore, præter omnium mentem extincto, interque ejus filios diſcordia exorta, illi Turcarum, qui in Apulia ea ex morte neglecti fuerant. Hydruntum Regi deditione ceſsêre. Metu ergo illo qui hactenus Pontificis atque Venetorum cupiditatem repreſſerat, ſublato, univerſim novi motus hinc inde metui cœpere. *Mahumetes Turcarum Imp. moritur.*

Ex una parte in fœdus Veneti cum Pontifice conſenſerant, ad eosque Genuenſes, Senenſes, aliique inferioris conditionis, conceſſerant: ex altera Florentini, Rex atque Dux ſtabant, quibus Bononienſes, aliique Principes acceſſerant. Ardebant Veneti cupiditate Ferrariæ potiundæ, ipſisque videbatur, tam juſta ſe cauſa quam ſpe non adeo incerta moveri. Cauſa hæc erat, quod Marchio negaret, ſeſe ad recipiendum Vicedominum, ſalque à Venetis petendum ulterius teneri, quod nimirum conventum eſſet, poſt annum LXX, Ferrariam, ab utroque iſto onere, liberam eſſe debere. Ad ea Veneti replicabant, Marchionem quamdiu Poleſinio potiretur, tamdiu etiam ad recipiendum, tam ſal, quam Vicedominum, obſtrictum eſſe. Id ergo cum Marchio utrumque recuſaret, videbatur jam Venetis, juſtis ex cauſis ſe bellum capeſſere, idque eo tempore ſatis commode ſuſcipere poſſe, quod Pontificem, tam Regi, quam Florentinis, infenſum noviſſent. Quo ergo Pontificis gratiam eô amplius venarentur, poſtquam Comes Hieronymus Venetias veniſſet, non modo inſigni cum honore habuerunt, verum etiam civitate atque *Venetorum ius in Ferrarienſem urbem.*

gentilitatis dignitate, eum donarunt, qui quidem honos quam maximus penes ipſos haberi ſemper ſolet.

Veneti bellum Ferrarienſe parant. Huic ergo bello conficiendo, tam novis exactionibus ærarium locupletaverant, quam copiis ſuis Robertum Sanſeverinum præfecerant, utpote qui diſſidiis, inter ipſum atq; Ludoicum Sforziam, Mediolani adminiſtratorem, ortis, Dertonam fuga elapſus eſſet, inde poſtquam aliquid ab eo turbarum datum, Genuam ſeſe recepiſſet, unde à Venetis vocatus, copiisque præfectus fuit.

Fœderati pro Ferrarienſe ſiant. Atq; illa quidem novi belli cura, adverſam partem non latuit, adeo ut etiam illi ſeſe ad bellum accingerent. Inter quos Dux Mediolanenſis Fridericum Urbinatem, Florentini vero Conſtantium Peſarienſem copiis ſuis præfecerunt. Quo vero Pontificis animum porro explorarêt, an ejus conſenſu bellum Ferrarieſi moveretur, eam ob rem Ferdinandus filium ſuum Alfonſum, cum exercitu ad Troentum pergere, eumq; à Pontifice, trajiciendi in Longobardiam copiam, rogare voluit, quæ quidem ei omnino denegata fuit. Cum ergo ipſius mentem, inde ſatis exploratam eſſe, Regi atq; Florentinis videretur, eam ob rem, manifeſto ipſum Marte adgrediendum decrevere, ut vel neceſsitate adactus, in ipſorum amicitiam concederet, vel ſaltem tantopere impediretur, ne Venetis auxilia ſubminiſtrare poſſet. Illi ſiquidem copias ſuas jam produxerant, Marchionique bellum moverant; devaſtatisq; agris Figarolum, magni momenti arcem, obſidione cinxerant.

Ergo re apud Regem Florentinosque conſtituta, Alfonſus Calabriæ Dux, Columnenſium auxilio, (ſiquidem Urſini à Pontifice ſtabant) magna undique illata ſtrage, Romam verſus movere cœperat, ex altera parte Florentini unà cum Nicolao Vitellio, civitatem Caſtelli obſidione cinxerant, eamque occupaverant, pulſoque Laurentio, qui Pontificis nomine eam tenebat, Vitellio eam conceſſerant.

Dux Calabriæ Pontificem bello petit. Eam ob rem, Pontifex ſummas in anguſtias redactus erat, tam quod Roma partium ſtudiis diſtracta, quam

quam ager circa urbem undique ab hoſtibus occupatus eſſet. Nihilominus (ut homo erat magni animi, quique vincere non cedere ſueviſſet) ſcripto milite, Robertum Ariminenſem exercitus ducem conſtituit, eique Romam quò jam antea omnes ſuos cataphractarios coegerat, evocato demonſtrare cœpit, quantum id gloriæ ipſi futurum eſſet, ſi contra Regium exercitum, ſedem Pont. ex tot anguſtiis eum liberare contingeret, ſiquidem ea ratione, non modo ſe, ſed etiam omnes ſuos ſucceſſores ſibi obſtricturus, neç modo homines, ſed potius Deum ipſum beneficii redhibitorem habiturus eſſet.

Robertus exploratis prius Pontificiis Cataphractariis, omnique ejus bellico apparatu, eum ad peditem ſcribendum ſedulo hortari cœpit, morigerumq; ea in re habuit. Erat Dux Calabriæ jam prope urbem indiesque ad portas uſque excurrebat, quæ quidem res indignationem populi Romani tantopere provoçavit, ut eorum non pauci Roberto, pro liberanda patria ſeſe offerrent, omnesque ab ipſo ad militiam reciperentur. Ergo Dux hoſtium animo explorato, quo ab inopinato inſultu ſecurior eſſet, ab urbe ſeſe recipere cœpit, tam quod arbitraretur, Roberto vix tantum animi fore, ut eum adeo diſſitum aggrederetur, quam quod fratrem Fridericum, novis çum copiis, à patre ſubſidio miſſum, exſpectaret.

Contra Robertus, poſtquam Cataphractariis Duci jam penè par, pedite vero etiam ſuperior eſſet, non diutius cunctandum ratus, copias produxit, atque ad ſecundum ab hoſte miliare caſtra locavit.

Dux præter omnem exſpectationem hoſtem in propinquo conſpiciens, aut ſibi pugnandum, aut tanquam profligato fugiendum eſſe facile animadvertit: eam ob rē, ne quidq̄ Rege indignū cōmitteret, neceſſario ſibi pugnandū duxit, productu igitur & ipſe exercitu, eoq; pro more iſtius ſeculi in ordines diſpoſito, manus conſerere cœpit. productū fuit prælium iſtud ad medium uſque diem, pugnatumq; tanta utrinque

virtute,

virtute, ut nullum hactenus prælium, à quinquageſimo usque anno, in Italia decertatum, huic comparari poſsit, utpote quo utrinque ultra mille militum deſiderarentur Exitus ſedi Pontificiæ gloriam peperit, quod nimirū copia peditum equitatum Ducis eum ad modum offenderet, ut tandem ipſis fuga capeſſenda fuerit, Duxque præterea ipſe in hoſtium manus deveniſſet, niſi à Turcarum turma, qui poſt deditionem Hydrunti ipſi militabant, protectus, ereptusque fuiſſet.

Regius exercitus à Pontificio profligatus

Ea victoria adepta, Robertus ovans urbem repetiit, neque tamen victoria diutius gaudere ipſi licuit. Poſtquam etenim inter pugnandum multa aqua ſeſe reſtauraſſet, profluvio alvi inde concitato, paulo poſt interiit: cadaver ejus Pontifex omnis generis honoribus proſecutus eſt.

Pontificis ingratitudo erga Robertum victoriæ ducem.

Ab ea victoria, Pontifex ſubito Comitem civitatem Caſtelli recuperare, tum præterea Ariminum tentare voluit: poſtquam etenim ex Roberto extincto, unicus ſaltem filiolus, immaturæ ætatis, ſubque matris imperio ſuppereſſet, facile Ariminum à ſe occupari poſſe ſperabat. Atque id fortaſsis feliciter ipſi ceſsiſſet, niſi vidua à Florentinis protecta fuiſſet, qui quidem, tanta virtute Pontificiis copiis ſeſe oppoſuere, ut omnis earum conatus in fumum abiret.

Fridericus Urbinas moritur.

Hæc dum ad Romam, inque Flaminia gererentur, interim Veneti Figaruolum occupaverant, Padumque trajecerant: exercitus contra Ducis Mediolanenſis, atque Marchionis perturbari cœperat, quod Fridericus Urbinas belli dux morbo correptus, Boboniamque pro recuperanda ſalute delatus, in fata conceſsiſſet. Adeo ut res Marchionis indies minuerentur, atque jam Ferraria ipſa, non mediocriter periclitaretur. Ex altera parte Rex atq; Florentini, omni ſtudio Pontificem in partes ſuas pertrahere nitebantur, quem poſtquam aperto Marte eo compellere nequiviſſent, porro Concilio, ab Imperatore Baſileæ indicto, eum terreri poſſe ſperabant. Eam ob

Concilium Baſileæ ab Imperatore indictum.

rem,

rem, per oratorem Imperatoris, qui id temporis Romæ agebat, eorumq; Cardinalium opera, qui pacem deſiderabant, id continuis exhortationibus egêre, ut tandem de pace, univerſæque Italiæ unione cogitaret.

Ergo Pontifex partim metu perculſus, partim quod Venetorum potentiam tam Sedi Pont. quam univerſæ Italiæ nocumento eſſe animadverteret, ad fœdus animum inclinare cœpit. Oratoribus igitur, Neapolim ablegatis, fœdus in quinquennium cum Rege, Duce Mediolanenſi, atque Florentinis iniit, Venetis ejus amplectendi facultate conceſſa. Quibus porro Pontifex edixit, ut à bello Ferrarienſi abſtinerent, verum Veneti imperio ejus neglecto, majore conatu bello ſeſe accingere, profligatisq; Ducis atq; Marchionis prope Argentum copiis, tam arctè Ferrariam premere cœperant, ut in ipſo vivario caſtrametarentur. Non videbatur eam ob rem fœderatis diutius differendum, ſed omni celeritate Marchioni ſubveniendum eſſe.

Venetorum potentia Pontificib. noxia.

Papa ad pacem animũ adplicat.

Eius edictum Veneti contemnunt.

Amandato igitur verſus Ferrariam Calabriæ Duce, tam ſuis quam Pontificiis copiis inſtructo, quò præterea Florentini jam omnem ipſorum militem trajecerant, ipſi fœderatorum primi Cremonæ convenêre, deque bello adminiſtrando rationes iniêre, interque hos Legatus Pontificius, Comes Hieronymus, Calabriæ Dux, Ludoicus Sforzia, Laurentius Mediceus, aliique Italiæ Principes plerique. Diſputatum ibi de bello accuratiſsime, viſumque, nulla alia re Ferrariam felicius liberari poſſe, quam ſi Venetorum exercitus, inde neceſsitate aliqua diverteretur. Actum igitur eam ob rem cum Ludoico, ut per Ducatum Mediolanenſem, in Venetos irruptionem fieri pateretur, quod ipſi minime conſultum videbatur, ne forte iſtiusmodi bello implicaretur, cui poſtmodum componendo vires ipſius non ſufficerent. Eam ob rem decretum, cum univerſo exercitu Ferrariam verſus contendendum eſſe.

Contraq; quos Fœderatorum dieta.

Adunatis

Adunatis igitur quatuor mille Cataphractis, atque peditibus octo mille, Venetis obviam ivere, quorum exercitus bis mille quingentis cataphractis, ſex mille peditibus conſtabat. Viſum ergo fœderatis, ante omnia claſſem Venetorum, quam in Pado habebant, invadendam eſſe: eam igitur prope Bondinium adgreſsi profligarūt, navesq; prope ducentas in poteſtatem redegerunt, cum quibus Antonius Juſtinianus Venetorum legatus captus fuit. Porro Veneti poſtquam univerſam Italiam concitatam animadverterent, Ducem Lotharingiæ, cum ducentis Cataphractis ad ſtipendia ſua vocaverant: Ergo ab illa clade, hunc cum parte exercitus hoſti obviam ire, eumq; aliqua ratione diſtinere voluerunt. Sanſeverinū vero, cum reliqua parte Addam trajicere, atq; Mediolanū ſuccedere, ibiq; nomen Ducis, Bonæque ejus matris vocare, quod nimirum ea ratione, à Mediolanenſibus motum iri, arbitrarentur, utpote quib. perſuaſum erat, Ludoicum, ejusque adminiſtrationem ibi odio haberi.

Venetorum claſſis profligata.

Atque hæc quidem invaſio, prima fronte ſatis terroris peperit, omnemque urbem in arma conjecit: verum effectu ab eo, quem Veneti ſperaverant, plane contrario. Siquidem quod Ludoicus hactenus negaverat, id hac injuria provocatus, facile conceſsit. Nam Relicto Marchione Ferrarienſi, qui ſua tueretur, ipſe cum IIII M. Cataphractis II M. peditibus, Duxque Calabriæ cum XII M. Cataphractis, & V M. peditibus, primo agrum Bergomatem, poſtea Breſcianum, tandem etiam Veronenſem invaſēre, easque tres urbes, Venetis nihil quicquam obſtantibus, omni dominio ſpoliavēre: Siquidem Sanſeverino vix licuit urbes eas tueri.

Omnis ager circa Veronam Breſcianq; occupatus.

Ex altera porro parte, Marchio Ferrarienſis magnam ditionis ſuæ partem recuperaverat, ſiquidem Lotharingiæ Dux, exiguis cum copiis, nam II. ſaltem Cataphractorum millia, pedites vero mille habebat, ipſi obſiſtere metuebat, adeo ut ea æſtate, anni nimirum MCCCCLXXXIII. fœderati ſatis fœliciter pugnarent. Novo

Novo poſtmodum vere, (hyberno ſiquidem tempore nihil geſtum erat) exercitus utrinque iterum producti, viſumque fœderatis fuit omnes ſuas copias conjungere, eaque mole Venetos opprimere, neque adeo ſi pari animo, quo anno præterito, bellum adminiſtratum fuiſſet, difficile futurum erat, eos omni Longobardia expellere, utpote quorum copiæ equitum ſaltem VI M. peditum vero V. M. conſtabant, cum fœderatorum exercitus XIII, M. equites VI vero M. pedites contineret. Dux etenim Lotharingiæ, finito annuo ſtipendio, domum reverſus fuerat. Verum (*ut ſæpius occurrere ſolet, ubi multi æquali authoritate agunt, ut eorum diſſenſio hoſti victoriam ſuppeditet*) poſtquam Fridericus Gonzaga, Mantuæ Marchio in fata conceſsiſſet, qui ſua authoritate, Ducē Calabriæ, atq; Ludoicum, in officio continuerat, inter hos primum diſſenſio, inde æmulatio oriri cœpit. Joannes ſiquidem Galeazius Mediolani Dux, jam eo ætatis progreſſus erat, ut adminiſtrationi par eſſe poſſet, ductaq; filia Alfonſi, æquum ſocero videbatur, ut Ducatum gener potius, quam Ludoicus adminiſtraret. Cum ergo Ludoicus eam Alfonſi mentem perſpexiſſet, quo ſuas res ageret, commoditatem ejus perficiendi præverter conſtituit.

Fridericus Marchio Mantuanus moritur.

Neque porro eæ animorum alienationes Venetos latebāt. Ea igitur occaſione cōmodū utendū rati, tētare Ludoicum cœperunt, quod nimirū ſperarēt, pro eo quo hactenus uſi eſsēt fato, ea quæ bello amiſiſſent, pace recuperari poſſe, tādēq; mēſe Augusto anni MCCCCLXXXIIII, cum ipſo tranſegerunt. Quæ quidē res, poſtquam ad reliquos fœderatos perveniſſet, ipſis non mediocriter diſplicuit, præſertim cū animadverterent, Venetis non modo ea quæ ipſis erepta erant, reſtituenda eſſe, verum etiam iiſdem Rovigium atq; Poloſinium, quod Marchioni eripuerant, cedere, tum omne imperium ſalvum manere, quod antiquitus eā in urbem habuiſſent. Omnibus ergo videbatur, ejusmodi ſe bellū geſsiſſe, quod maximis ſumptib. cœprū, pro dignitate porro atq; exiſtimatione admiſſt atū,

Veneti cum Duce Med. clam tranſigunt.

at non præter ignominiam finitum eſſet. Verum coacti fuere fœderati, id æquo animo ferre, tam quod ſumptuum eos pœnitere inciperet, quam quod fortunæ aleam, ob aliorum defectus atque ambitionem, amplius ſubire nollent.

Hæc dum eum ad modum in Longobardia gererentur, interim Pontifex, Laurentii ſtipendiarii ſub medio civitatem Caſtelli urgebat, qua Nicolaum Vitellium mulctatum cupiebat, utpote qui à fœderatis, quo illi Papam ſuum facerent, deſtitutus fuiſſet. Verum illi, qui Nicolai partibus in urbe favebant, eruptione facta, hoſtemque magno animo adorti, eum in fugam egerunt. Revocatus eam ob rem ex Longobardia, à Pontifice, Comes Hieronymus, quo copiis reſtauratis, eandem obſidionem repeteret. Verum mente in melius mutata, Vitellium ſibi devincire conſtituit, tandemque cum eo tranſegit, eumque qua potuit ratione, cum Laurentio hoſte ſuo in amicitiam reduxit. Licet potius ob novorum motuum ſuſpiciones, quàm quod pacis ſtudioſus eſſet, eò inclinaverit, quod nimirum, antiqua inter Columnenſes & Urſinios odia, reviviſcere animadverteret.

Eripuerat nimirum Rex Neapolitanus, in bello cum Pontifice geſto, Urſiniis ditionem Caſsiolorum, (Tagliacozzum vocamus) eaque Columnenſes, qui ſuas partes ſequebantur, donaverat. Pace vero inter Regem Pontificemque conſtituta, Urſinii, pactis innixi, ſua repetebant, injunctumque ſæpius à Pontifice Columnenſibus fuerat, ut ea ditione cederent. At illi neque præcibus Urſiniorum moti, neque minis Pontificiis territi, eò deſcendere unquam voluere, ſed inſuper novis deprædationibus, *aliiſque* injuriis Urſiniis infeſti fuere.

Pontifex igitur ea non diutius diſsimulanda ratus, coactis omnibus tá ſuis quàm Urſiniorum copiis, in eos movere cœpit, ædesque eorum, quas Romæ habebant, diripuit, quique eas defendere nitebantur partim cœpit, partim interfecit, majoreque eos arcium

Columnenſes à Pontifice oppreſſi.

tum parte ſpoliavit, adeo ut tumultus illi, non quidem pace, ſed altera parte oppreſſa, tandem componerentur.

Neque etiam apud Genuenſes, inque Tuſcia, res pacatæ fuere. Florentini ſiquidem, duce Comite Antonio Marciano, in finibus Serezanorum cum copiis erant, interque bellum Longobardicum, ipſi Serezanenſib. moleſti fuerant. Genuæ porro, Baptiſtinus Fregoſus Dux, Paulo Fregoſo Archiepiſcopo confiſus, ab eodem, una cum conjuge atque liberis captus. Ducatusque ab eo occupatus fuit. Claſsis etiam Venetorum regnum Neapolitanum invaſerat, Galipolimque occupaverat, locisque vicinis moleſta erat. Verum per pacem in Longobardia omnes ubiq; motus, præterquam in Tuſcia Romaq; conſedere. Siquidem Pontifex quinto poſt pacem proclamatam die, è vivis exceſsit, ſeu quod terminus is vitæ ipſius conſtitutus, ſeu quod pacem ob factam, utpote cujus hoſtis erat, dolore extinctus fuiſſet. *Claſſis Venetorum Galipolim occupat.* *Pax & Pontifex hoſtes.*

Moriens igitur Pontifex eam Italiam pacatam reliquit, quam vivus continuis bellis agitaverat. Ob ejus mortem univerſa Roma ſubito arma corripuit. Comes Hieronymus, cum copiis ſuis, juxta Caſtellum ſeſe receperat, Urſini à Columnenſibus recentibus injuriis laceſsitis, ſibi metuebant, Columnenſes ædes ſuas arceſque repetebant. Unde paucorum dierum intervallo, ad cædes, furta & incendia deventum. Verum poſtquam Cardinales Comiti ſuaſiſſent, ut Caſtellum in manus Collegii conſtitueret, ſeque in ſuam ditionem reciperet, Romamque metu illo liberaret, ille quo futurum Pontificem ſibi conciliaret, obtemperandum ratus, tradito Caſtello ſeſe Imolam recepit. *Pontificem pax jugulat.*

Ergo tam Cardinalibus metu quam Baronibus ſubſidio iſto, quod ſibi ex Comitis copiis ſperabant, vacuis, ad novum tandem Pontificem creandum progreſſum, atque poſt aliquas diſſenſiones, Joannes Baptiſta Cibus Cardinalis Amalphæ Genuenſis, lectus, atque Innocentius VIII vocatus fuit, qui qui- *Innocentius VIII.*

dem, quod ingenio humano atque quieto eſſet, ar-
ma deponi, Romæque pacem reſtitui curavit.

At Florentini, poſt pacem Longobardiæ, quieſcere non poterant, turpe nimirum & ignominioſum eſſe, privato ſe à viro quamvis nobile caſtro Serezanenſi exutos eſſe. Et cum in pactis cautum eſſet, non modo licere cuique ea, quæ bello amiſiſſet, repetere, verum etiã, ſi qui repetenti obſiſterent, eos bello petere, confeſtim ad recuperationem ejus caſtri ſeſe accingere cœpere. Eam ob rem Auguſtinus Fregoſius, qui Serezanam tenebat, poſtquam viribus propriis eam ſe tueri poſſe deſperaſſet, Sancto Georgio arcem dono conceſsit. Poſtquam vero S. Georgii atque Genuenſium ſæpius mentio facienda ſit, non abs re me facturum confido, ſi rationes ejus urbis, utpote quæ inter potiſsimas univerſæ Italiæ cenſetur, diſcripſero.

Mons. S. Georgij apud Genuenſes. Poſt diuturnum iſtud bellum, quod Genuenſes, multis ab hinc annis, cum Venetis geſsêre, cum pace jam inter eas Reſpub. conſtituta, Genuenſes civibus ſuis, ob æs in bello concreditum, ſatisfacere non poſſent, iis vectigalibus ſeu Telonio, quod Doganam vocant, ceſſere, quo nimirum ex publicis iſtis reditibus, pro ratione uniuſcujusque mutui, temporis progreſſu omnibus ſatisfieret, Palatium etiam, quod ſupra Doganam eſt, ut commode illi convenire, deque ſuis rebus conſtituere poſſent, ipſis tradidere. Illi ergo creditores, rationem rerum ſuarum adminiſtrandarum talem iniere, ut ex ſuorum numero conſilium centum virorum conſtituerent, qui de rebus publicis deliberarent, præterea Magiſtratum octovirorum legerent, qui omnium reliquorum caput eſſent, resque deliberatas exſequerentur. Mutua porro in partes, quas Loca nominabant, divisêre, univerſam vero adminiſtrationem titulo. *S. Georgij* inſignivêre. Ea adminiſtratione ſic conſtituta, accidit porro, ut Reſpub. novo mutuo indigeret, eoque adipiſcendo S. Geor-

giam

gium accederet,qui quidem, ex optima adminiſtratione,jam locupletior, ſubſidio eſſe poterat. Ergo Reſpub. eadem ratinone, qua antea Telonio ceſſerat,etiam ditionem ſuam oppignerare cœpit, reque eò tandem,ex egeſtate Reip. Sanctique Georgii opitulatione,devenit, ut hæc adminiſtratio, maximam partem urbium atque regionum, quæ imperio Genuenſium parebant,ſibi ſubjecerit,easque regit, tuetur,inque ſingulos annos publicis ſuffragiis rectores iis locis præficit: quibus quidem in rebus curandis omnibus, Reipub. partes nullæ ſunt. Hinc factum eſt, ut cives illi amorem ſuum à Repub.ut quæ tyrannidem ſaperet,averterent,atq; ad S. Georgium, tanquam recte æqualiterque adminiſtratum, converterent, unde quidem crebræ illæ mutationes imperii oriri ſolent, dum cives, modo Civi, modo extraneo parent,ſiquidem non S. Georgius, ſed publicum dominum mutat. Adeo ut in iis decertationibus, Fregoſi & Adorni pro principatu pugnavêre,plerique civium,quod nimirum de publico ageretur,otioſi ſtarent, idque victoris prædæ exponerent. Neque ibi S. Georgii aliud agit, quam ut victorem juramento,ad obſervandas ſuas conſtitutiones, adigat, quæ quidem hactenus intemeratæ ſubſtitêre. Poſtquam etenim hic Georgius armis, opibus, atque magiſtratu inſtructiſsimus ſit, eam ob rem citra manifeſtiſsimum rebellionis periculum, vix quidquam contra ejus adminiſtrationem tentari queat.

Rariſsimo ſane exemplo,neque à tot Philoſophis, imaginariis iſtis in Rebuspub. ſuis, vel quas tueri contigit, unquam reperto, in una eademque nimirum urbe, interque eosdem cives libertatem, & tyrannidem, vitam civilem & corruptam, juſticiam atque licentiam conſpicere. Siquidem ſola illa adminiſtratio, urbi priſtinos venerandosque mores conſervat. Quod ſi porro aliquando eveniat quod omnino eventurum mihi perſuaſiſſimum eſt,) ut S. Georgius tandem omni ea Civitat-

te potiatur, poſſet ſane ea Respub. Venetorum imperio non modo æquiparari, ſed etiam anteferri.

Florentinorum cum Genuenſibus bellum.

Ergo huic S. Georgio Auguſtinus Fregoſius Serezanam ceſsit, qui eam non modo lubens recepit, verum etiam tuendam ſumſit, comparataque ſubito claſſe, PetramSanctam inſuper præſidio firmavit, quo Florentinus exercitus Serzanæ jam propinquus, omni aditu prohiberetur. Florentini contra Petramſanctam omnino occupandam cenſuerunt, ſine qua nimirum Serezanenſes occupare minus ex uſu foret, ut quæ inter Serezanum Piſasq; ſita eſſet, verũ non ipſis licebat eam aggredi, niſi Petraſanctenſes, aut qui eos tuebantur, prius ipſos laceſſiviſſent. Quo ergo iſtud commodum conſequerentur, conſtituêre copioſam annonam Piſâ ad exercitum mittere, eamque exiguo præſidio ſtipare, quo Petraſanctẽſes præſidiari à diſcrimine tuti, prædaque illecti, ad eam occupandam prorumperent. Atque res quidem ex ſententia ceſsit, illi ſiquidem, qui Petramſanctam cuſtodiebant, prædam expoſitam occupavêre.

Id ergo Florentinis anſam præbuit, ut jam omiſſa Serezana, juſtum titulum nacti, Petramſanctam obſidione cingerent, quæ quidem præſidiariis firmata ſtrenue defendebatur. Florentini tormentis in planitie diſpoſitis, propugnaculum porro in monte ædificarunt, quo etiam ea ex parte obſeſsis incommodarent. Erat ad exercitum legatus Jacobus Guicciardinus. Dum ergo ad Petramſanctam eum ad modum pugnaretur, interim Genuenſium claſsis arcem, quæ Roccavadana nuncupatur, occuparunt, atq; vaſtarunt, copiiſque expoſitis omnem illam oram depopulabantur. In quos obviam profectus Bonioannes Gianfigliazius, eorum audaciam quodammodo repreſsit, adeo ut jam minus licenter evagarentur. Nihilominus claſsis Genuenſium ad portum Ligurinum (quam Livorno nuncupamus) deflectens, cum pontonibus aliiſque machinis ad novam turrim ejus loci ſucceſsit, eamque tormentorum vi ſubruere, aliquot dierum continuato opere nitebatur verum

cum

cum duces nihil ſe proficere animadverterent, ab ea obſidione non præter ignominiam receſſerunt.

Ad Petramſanctam autem noſtri ſegnius agebant, eam ob rem hoſtes animo auctiores, eruptione facta, propugnaculum invaſerunt, idque occuparunt: quo quidem ſucceſſu tantam ſibi exiſtimationem, Florentino vero exercitui eum metum pepererunt, ut ille vix non in fugam ſeſe proriperet, ſiquidem ad quartum usque miliare ſeſe inde recipere viſus fuit, decretumque jam erat exercitus illius ducibus quod menſis October eſſet, ad hyberna divertere & expugnationem illam in proximum annum differre.

Atque ea quidem conſternatio Florentiæ percepta, non mediocriter animos Dominorum ſtimulavit, adeo ut recuperandæ exiſtimationi, reſtaurandisque copiis ſubito Antonium Puccium, Bernhardumque Neronem legatos eo ablegarent, qui quidem magna auri vi onuſti, poſtquam ad exercitum perveniſſent, confeſtim ducibus indignationem, non modo Dominorum, ſed etiam univerſæ urbis expoſuerunt, niſi cum exercitu ad obſidionem reverterentur, quantæ id nimirum infamiæ ipſis futurum ſit, ſi tot præclari duces, tam inſtructo cum exercitu, nullo alio hoſti, quam paucis aliquot præſidiariis cederent, caſtrumque adeo imbelle expugnare non valerent. Poſtea commodum, quod non modo præſens eos maneret, ſed etiam poſtmodum inde exſpectandum eſſet, ipſis ob oculos poſuerunt. Adeo ut omnium animi ad repetendam obſidionem incenderentur, omniumque primo propugnaculum recuperandum eſſe conſtituerentur.

Qua quidem in expugnatione animadvertere licuit, quantum nimirū humanitas, affabilitas, blandique ſermones apud militum animos poſſint, Antonius ſiquidem Puccius modo hunc incitando, illum provocãdo, alteri manum porrigendo, hunc complectendo, pollicendo, orandoque id effecit, ut tanto ani-

Recuperant Serezanam Florentini. mi ardore milites ad propugnaculum properarent, ut id ſubito recuperatum fuerit, licet ea expugnatio non citra cladem ſucceſſerit, Comite nimirum Antonio Marciano tormenti globo extincto.

Hæc victoria tanto terrori obſeſsis fuit, ut de deditione ſermones ſerere inciperent. Quo ergo res pro dignitate gereretur, viſum fuit Laurentio ad caſtra proficiſci, à cujus adventu, paucis poſt diebus, caſtrum illud deditione in Florentinorum manus devenit. Jamque hyems moleſtus eſſe cœperat, neque commodum ducibus videbatur jam ultra conari, præcipue quod ex Autumni tempeſtate univerſus exercitus morbus contraxiſſet, ipſique etiam duces laborarent, inter quos Antonius Puccius Bonioannesque Gianfiliazius morbo abſumpti fuere, quod quidem univerſæ urbi ſummo dolori fuit, adeo nimirum Antonius, eo bello, omnium animos ſibi conciliaverat.

Porro Luccenſes, poſtquam Florentini Petramſanctam occupaſſent, Oratoribus ad eos ablegatis, eam repetiere, ut quæ olim ipſorum imperio paruiſſet. Tranſactionibus ſiquidem contineri ajebant, omnia ad antiquos dominos, quæ alii aliis occupaſſent, reverti debere. Neque id Florentini negabant, verum neſcire ſeſe, utrum in pace, qua de nunc inter ipſos ac Genuenſes ageretur, ea reſtituenda Genuenſibus foret, eam ob rem nihil certi hoc in negotio, priusquam illa concluderetur, ſeſe decernere poſſe, præterea licet Genuenſibus ea minus reſtituenda eſſet, Luccenſibus tamen eo caſu incumbere, ut de ſumptibus damniſque, ob mortem tot civium rationem ineant, eaque penſanda eſſe cogitent, id vero ſi præſtare velint, facilem ad eam recuperandam viam fore.

Integrum ergo hyemem de pace inter Genuenſes & Florentinos actum, quæ quidem Pontifici maximæ curæ erat, verum poſteaquam nihil concluſum eſſet, conſtitutum quidem erat, Florentinis, ineunte

Ineunte vere Serezanam obſidere: verum morbo Laurentii Medicei, tum bello, quod inter Pontificem Regemque Ferdinandum exarſit, impediti fuere. Siquidem Laurentius non modo podagra, quæ ipſi quodammodo à patre hæreditaria fuerat, verum etiam doloribus ſtomachi adeo ſævis excruciabatur, ut ad thermas ipſi ſanitas quærenda fuerit. Bellum vero longe majoris momenti, ejusque hæc origo fuit.

Erant Amiterni (nos Aquilam vocamus) ea ratione Regibus Neapolitanis ſubjecti, ut penè liberi agerent. Apud hos authoritate plurimum valebat Comes Montorii. Igitur Dux Calabriæ, qui cum copiis, tanquam motus quosdam inter incolas ejus loci compoſiturus, ad Trœntum conſederat, verum Aniternum penitus Regi ſubjicere cogitabat, eum ad ſe, tanquam ejus opera iis in motibus uſurus, evocaverat. Paruit Comes citra ullam ſuſpicionem, verum à Duce compræhenſus, inque vinculis Neapolim amandatus fuit. Id, poſteaquam ab Amiternis intellectum fuiſſet, omnem urbem commovit, adeo ut armati Antonium Concinellum legatum Regium, aliosque Regis amicos trucidarent. Inde quo eſſet, qui ipſos defenderet, non modo ſigna Pontificia erigerent, verum etiam Oratoribus ablegatis Pontificem obnixe rogarent, ut ſui tanquam rei propriæ, curam atque tutelam contra Regiam tyrannidem habere dignaretur. Atque ſuſcepit Pontifex eorum defenſionem magno animo, utpote, qui tam privatas quam publicas ob cauſas Regem odio haberet.

Amiterni à Rege deficiunt.

A Pontifice ri, inn. tur.

Ergo cum Robertus Sanſeverinus, Ludoici hoſtis, eo tempore nemini mereret, eum ad ſe ſumma celeritate Pontifex vocatum copiis ſuis præfecit, præterea omnes Comitis Montorii amicos atq; neceſſarios, quo à Rege deficerent, concitavit, ſuisque artibus effecit, ut Principes Altemuranus, Salernitanus, atque Biſignanus à Rege fecederent. Atque

Rex quidem tam ſubito bello circumventus, auxilia Florentinos, Ducemque Mediolanenſem rogavit.

Florentini Regi adſunt. Florentini hactenus dubii animo fluctuabant, ſiquidem alterius ob cauſam res ſuas negligere, item cōtra ſedem Pontificiam denuo inſurgere, grave ipſis videbatur. Nihilominus fœderis memores, fidem commodo atque diſcrimini antepoſuere, Urſiniſque ad ſtipendia ſua vocatis, Comite præterea Pitiliano duce, omnes ſuas copias Romam verſus, Regi auxilio ſubmiſere. Ergo duas in partes Regi copias dividere viſum, primam Duce Calabriæ imperatore Romam proficiſci, atque Florentinis conjunctam, Pontificiis copiis obſiſtere voluit, reliqua parte ipſemet in Barones movere cœpit, pugnatum aliquandiu ubivis vario Marte: tandem Rege omni ex parte ſuperiore, oratoribus Regis Hiſpaniarum intermediis, tandem menſe Auguſto anni MCCCCLXXXVI pax firmata fuit, quam quidem Pontifex, adverſa fortuna percullſus, ejusque denuo experiundæ dubius, primus amplexus, omnes præterea Italiæ Principes in eandem conceſſere, ſolis Genuenſibus, utpote qui tam à Mediolanenſibus defeciſſent, quam Florentinorum res occupaſſent, ab ea excluſis.

Pax firmata.

A qua Genuenſes excluſi.

Robertus porro Sanſeverinus, qui anteacto bello nec Pontifici fidus amicus, nec Regi formidandus inimicus exſtitiſſet, pace conſtituta, vix non à Pontifice Roma pulſus, poſtquam cum turmis ſuis Cæſenam poſt ſe reliquiſſet, à copiis tam Ducis quam Florentinorum ſeſe depræhenſum iri animadvertens, in fugam ſe conjecit, atque circiter centum equitibus ſtipatus, Ravennam ſeſe recepit, reliquæ ipſius turmæ partim ad Ducem conceſſere, partim à ruſticis profligatæ fuêre.

Rex pace conſtituta, reconciliatisque Baronibus, Joannem Coppolam, Antonellumque Anverſiam una cum eorum filiis, quod in bello arcana Pontifici prodidiſſent, necavit. Porro cum Pontifici ex hoc bello cognoſcere licuiſſet, quanta cum animi promptitudine

ptitudine atque ſtudio Florentini in amicitia perſiſtere ſolerent, mutato animo, quos antea propter Genuenſes, auxiliaque Regi ſubminiſtrata odio proſecutus eſſet, amare, majoreque benevolentia, quam hactenus, ipſorum oratores habere cœpit. Quem quidem animum, Laurentius Mediceus depræhenſum, omni induſtria ſibi fovendum ſumſit, non mediocriter authoritati ſuæ profuturum ratus, ſi Regis amicitiæ porro Pontificia accederet.

Erat Pontifici filius, cui Franciſco nomen, quem imperio locupletatum, porro amicis munitum cupiebat, quo ſe è vivis ſublato, commodius ſua tueri poſſet. Neminem igitur in univerſa Italia ſibi opportuniorem, ipſo Laurentio ratus, tandem effecit, ut ejus filia Franciſco nuptum elocaretur. Hac affinitate conciliatus Pontifex, de Serezana Florentinis reſtituenda cũ Genuenſib. agere, atq; his demonſtrare cœpit, nõ poſſe eos jure tenere, quod Auguſtinus vendidiſſet, neq; Auguſtinus S. Georgio donare, quod in ſua poteſtate nõ eſſet. Verum nihil omnino perficere potuit, quin potius Genuenſes, hæc dũ Romæ agerētur cõductis multis navib. exercitum triũ peditũ millium iis exceptum, furtim atque clam Florentinis prope Serezanellam expoſuere, eamque arcem, quæ Florentinis parebat, ſupraque Serazanam ſita erat, adgreſsi, vicum arci contiguum occupavere atque arſere, omnique cura, tormentorum vi, ipſam arcem expugnare conavére.

Pontificis filius Medicæam ducit.

Genuenſes Florentinos bello petunt.

Licet vero ea invaſio, Florentinis omnem præter ſpem ceſsiſſet, cõfeſtim tamen Virginio Urſino duce, ad Piſas exercitum ſuum coëgere, apud Pontificem de injuriis, belloque inter pacis mentionem illato, doluere, Lucenſibus in fide continendis Petrum Corſinium eo ablegavere, Paulantonio Soderinio legato Venetorum animos tentavere, auxiliaque tam à Rege quam à Ludoico poſtulavere, quæ tamen nuſquam impetrarunt. Rex ſiquidem claſſem Turcicam ſibi imminere ajebat: Ludoicus vero variis artibus rem differre cœpit. Adeo ut Florentini in omni pro-

pemodum bello ſoli deſtituantur, nec eam fidem, qua aliis ſubvenire conſueverunt, erga ſe viciſsim experiantur.

Neque tamen eô (utpote re non nova) animo abjectiores, Jacobo Guicciardino Petroq; Vetturio legatis, maximo exercitu coadunato in hoſtem progreſsi, ad Macram fluvium caſtra locavere. Interea hoſtes Serezanellum urgebant, atque cuniculis aliisque rationibus rem tanto animo agebant, ut legatis omnino manus conſerendæ viderentur. Neque Genuenſes pugnam detrectavere, verum prælio ſuperati profligatique, Ludoicus porro Fleſcus, multique prætcrea belli duces in Florentinorum manus devenere. Neque tamen ea victoria Serezanenſes adeo perculit, ut ad deditionem inclinarent, quin potius obſtinato animo ad defenſionem parati legatorum in oppugnando ſtudium eo magis provocavêre. Pugnatum igitur tam intra quam extra ſtrenue, adeo ut bello diutius protracto, Laurentio ad exercitum proficiſcendum videretur. Quod quidem tam noſtris vires addidit, quam hoſtibus animum ademit: hi ſiquidem, animadverſa Florentinorum animi obſtinatione, atque Genuenſium in defendendo negligentia, libere, nullisque cum pactis, in manibus Laurentii ſeſe dedidere, atque à Florentinis humaniter, paucis quibusdam defectionis authoribus punitis, recepti fuere.

Prælio ſuperati.

Inter hæc geſta, Ludoicus ad Appuam (quæ Pontremolis recens vocatur) copias ſuas, tanquam noſtris ſuppetias laturus, collocaverat, verum occultis conſiliis egerat, ut Genuenſium aliqui ſeditione mota, ſibi viam ad occupandam Genuam patefacerent, quo quidem conſilio ea potitus eſt. Eodem tempore Germani Venetis bellum moverant, Boccolinus quoque civis Auximi in Piceno, urbem eam (nobis Oſimum vocatam) à Pontificis imperio ſubtraxerat, atque tyrannidem occupaverat. Atque hic quidem poſt varios ſucceſſus, à Laurentio Mediceo perſua-

Germani Venetis bellum movent.

fus

ſus, urbem Pontifici iterum ceſsit, atque Florentiam ſeſe contulit, ibique ſatis diu in honore fuit. Inde Mediolanum concedens, alia longe fide habitus, atque à Ludoico necatus fuit. Veneti prope Tridentum Germanos adorti, ab illis profligati, Sanſeverinusque quem copiis præfecerant, deletus fuit. A qua clade Veneti, pro eo quo fruebantur fato, cum Germanis, non ut victi, ſed ut victores, (adeo nimirum ea pax ipſis propitia fuit) transegere. Difficiles eodem tempore tumultus Flaminiam agitavere.

Erat Franciſcus Orſus magnæ apud Forum Livium authoritatis, verum Comiti Hieronymo, ſuſpectus, adeo ut non raro minis eum cohercendum adgrederetur. Ergo continuo metu Orſus exagitatus, ut præveniret, authores habuit amicos atq; neceſſarios quamplurimos, extingui nimirum illum ſatius eſſe, morteq; alterius periculum ſuū averti. Poſtquam igitur id inter ipſos jam conſtitutum eſſet, cædi diem nundinarum Forojulienſium deſtinarunt, quo nimirum multi amicorum alii, non vocati, confluere ſolerent, quarum opera hanc ad rem uſui eſſe poſſet. Erat menſis Majus, quo Itali penè omnes cœnam maturare ſolent, viſum ergo conjuratis, eum à cœna quam commodiſsime trucidari poſſe, utpote quo tempore, familia ejus cœnando occupata, ipſe ferè ſolus in cubiculo eſſe conſueviſſet. Re eum ad modum deliberata, Franciſcus ad ædes Comitis perrexit, ibique relictis ad primum aditum conſciis, ipſe ad cubiculum Comitis accedens, per cubicularium, tanquam neceſſaria dicturus, intromitti petiit, aditu q; impetrato, poſt aliquas ſermonis ambages Comitem ſolum interfecit, advocatisq; ſociis, etiam cubicularium obtruncavit. Accidit forte, ut præfectus, cui urbis cuſtodia cōmiſſa erat, Comitem conventurus, eò ſe conferret, qui à conjuratis, cum paucis ad aulam admiſſus, etiam ipſe interfectus fuit.

Inſidiæ in Comitem Hieronymum.

His cædibus perpetratis, cadaver Comitis per feneſtras

noſtras præcipitatum, Pontificiſque atque libertatis nomen vocari, eaque ratione plebs, cui Comitis avaritia atque tyrannis exoſa erat, concitari cœpta, adeo ut irruptione in ædes Comitis facta, iiſque direptis, viduam liberoſque Comitis in vincula conjicerent. Solum caſtrum adhuc ſuperandum erat, ſi victoria abſoluta potiri vellent: cum vero præfectus id tradere detrectaret, rogare conjurati viduam cœpere, ut ſuam authoritatem interponeret, quod ſeſe facturam recepit, modo præfecti conveniendi copia fieret, interimque liberi in poteſtate conjuratorum obſides manerent. Atque adhibuêre conjurati verbis fidem, poteſtatemque viduæ in caſtrum concedendi fecere, verum ea vix intus ſeſe receperat, cum ipſis ſupplicia mortemque ob cædem mariti minaretur, illis contra necem liberorum minitantibus, magno animo reſponderet, habere ſe ſalva, quibus alios parare poſſet. Eam ob rem conſternati conjurati, præſertim quod à Pontifice auxilia nulla ſubmitterentur, atque à Ludoico, viduæ patruo, copiæ ſubſidiariæ adventarent, ablatis iis quæ amovere licebat, civitatem Caſtelli conceſſerunt: adeo ut vidua imperium recuperaret, omnique crudelitatis genere mariti cædem ulciſceretur.

Florentini morte Comitis intellecta, ad recuperandum caſtrum Piancaldolinum, à Comite olim ipſis ereptum, animum adplicarunt, idque exercitu eô oblegato, licet Ciecæ Architecti celeberrimi morte, recuperarunt. Hos in Flaminia motus, alii non minoris momenti, eadem in provincia ſubſecuti ſunt.

Duxerat Galeottus, Faventinorum regulus, in matrimonium, Joannis Bentivoglii, Bononienſium principis filiam. Ea ſive Zelotypia ſive à marito durius habita, ſive maligno ingenio mota, maritum odio habere, eoque tandem acerbi animi progredi cœpit, ut de vita ipſi eripienda apud ſe deliberaret. Simulato igitur morbo, in lectum ſeſe recepit, quo nimirum maritum, ſi eam conveniret, ſicariis eam ad-

rem

trem clā in cubiculū receptis, opprimeret. Habuerat ejus conſilii patrem participem, qui quidem ſublato genero ad Faventinorum imperium adſpirabat. Cum ergo tempore ad cædem conſtituto, Galeottus conjugem pro more inviſeret, cumque ea aliquandiu confabularetur, ſicarii ex latebris proſilientes, necquiquam talé ſuſpicantem, haud difficulter oppreſſerunt. Verum cum ab ejus cæde omnia miſceri, populusque turbare inciperet, uxor cum filiolo ſuo Aſtorrio, in caſtrum ſeſe recipere neceſſe habuit.

At Joannes Bentivoglius, unà cum Bergamino, Mediolanenſis Ducis ſtipendiario, cum copiis eam ad rem paratis, Faventiam progreſſus, ubique conſilio cum Antonio Boſcolo Florentinorum legato, qui forte id temporis Faventiæ erat, habito, de urbe adminiſtranda agere cœpêre: dum vero illi conſilia conferrent, interim incolæ vallis Meſeniæ, (Valdilamona vulgo nuncupatum) qui hos ad motus populariter eò confluxerant, in Joannem atque Bergominum impetu facto, hunc quidem interſecere, illum vero in poteſtatem redegêre, vocatoque Aſtorrii nomine, tam urbis quam pupilli curam, Florentinis per legatum tradidêre. Fuit hic caſus, non præter luctum à Florentinis intellectus: nihilominus reſtituto in libertatem, Joanne, ejusque filia, curam tam Aſtorris quam urbis, magno cum populi aſſenſu ſubiêre.

Præter hos motus, multi præterea tumultus Picenum, Flaminiam, Senenſesque exercuere, verum quod illi, atrocioribus bellis undique ſopitis, parum momenti fuerint, ea narrare ſuperſedeo, verum quidem eſt, eos motus, qui poſtquam Calabriæ Dux ad bellum Turcicum avocatus fuiſſet, Senenſes agitavere, crebriores fuiſſe, multosque poſt caſus, quibus modo plebs imperio potiebatur, tandem nobiles ſuperiores exſtitiſſe, inter quos Pandolfus Jacobusque Petruccius authoritate eminebant alterque eorum prudentia, alter animo vix non imperio univerſæ urbis potiti erant. *Senenſium diſſidia.* *Nobilium imperia ſopita.*

Florentinis vero à bello Serezanenſi, usque ad annum

Laurentii Medicei mors.

num M. CCCCXCII, qui Laurentium Mediceum è vivis abſtulit, ſumma felicitate perfrui licuit. Siquidē Laurentius, pace jam univerſæ Italiæ, authoritate atque prudētia ſua, cōparata, animum ad amplificandā familiā urbemq; ſuā advertere cœpit, eamq; ob rem, Petro filio ſuo natu maximo, Alfonſinā Urſinii equitis filiam in matrimoniū ſumſit. Joannē vero ſecundū filium in Cardinalium numerum evexit, quod eo magis notatum fuit, quo id omni exemplo deſtituebatur, ſiquidem quartum decimo is anno ad id dignitatis faſtigium conſcenderat, unde tanquam per gradus, famuiam ſuam in cœlum usq; evehere poſtea ipſi proclive fuit. Juliano tertio filio, quod is puer eſſet, antequam in fata concederet, peculiarē fortunā explorare ipſi non licuit. Filiarum unam Jacobo Salviati alteram Franciſco Cibo, tertiam Petro Ridolfo elocavit, quarta, quæ Joanni Mediceo, quo familia uniretur, nupſerat, è vivis exceſsit.

In reliquis privatis negotiis, quoad mercaturā, fuit infeliciſsimus, ſiquidē ob miniſtrorū ſuorum nequitiam, qui non ut privati, ſed ut Principes res ejus adminiſtrabant, variis in locis magnā nobilium jacturā fecit, adeo ut à patria magno ære mutuo ipſi ſubveniendum fuerit. Eam ob rē, ne eandē fortunam iterum experiretur, omiſsis mercaturis, ad fundos, tāq̄ rē ſtabilem, ſolidasq; magis divitias, animū adplicavit. Eaq; poſt ad Pratum, in Piſano, inq; valle Peſana, tam ad utilitatem quā ad Magnificentiam ædificare cœpit, ut ea ædificia nō privatū ſed Regē ſaperēt. Inde ad amplificandā urbē coverſus, quæ multis in locis ab ædificiis vacua erat, novis hinc inde diſtinctis plateis, novos ædificatores provocavit, qua quidem opera, urbs tam amplitudine quā ſplendore non mediocriter crevit.

Securitati porro atque tranquillitati intentus, quo hoſtes aditu arcerentur, Bononiam verſus, in mediis alpib Caſtellum Florentiolam munivit: verſusq; Senenſes in colle, quem Imperialem vocant, caſtrum inſtaurari, magnoq; opere muniri curavit. Verſus Genuam, Petraſancta atq; Serezana occupatis, ex ea parte

ſe hoſtibus aditum interclufit. Stipendiis etiam atque largitionibus, multorum amicitiam, interq; hos apud Peruſinos Baglioniorum, ad civitatē veterem Vitelliorum, ſibi firmavit, Faventinorum peculiarem curā habuit, quæ quidē omnia, inſtar propugnaculi, Rempub. Florentinam tuebantur. Inde pace patriam publicis ludis, haſtiludiis, priſcorum triumphis, idq; genus aliis ſimulacris, reſtaurabat, in eum potiſsimū finem intentus, ut patria omni re abundaret, plebs concordiam aleret, atq, nobiles in honore eſſent.

Præterea ſumma benevolentia omnes, qui aliqua in arte excellerent, complectebatur, literatos amabat, cujus rei Agnolus Montepulcianus, Chriſtophorus Landinius, Demetriusq; Græcus, fidē abunde facere queant. Quam quidem ob rem Joannes Comes Mirandulanus, vir propemodum divinus, neglectis omnib. Europæ partibus, quas curioſe perluſtraverat, munificentia Laurentii provocatus, Florentiæ ſedem figere voluit. Architectura, Muſica, atque Poeſi, ultra modum capiebatur, exſtantque multa poemata ab eo tam compoſita, quam commentariis illuſtrata. *Ipſius ſtudia.* *Joannes Mirandulanus vir divinus*

Quo vero juventus Florentina ad literarum ſtudia provocaretur, eam ad rem Piſis ſcholam aperuit, eoq; præſtantiſsimos univerſæ Italiæ viros evocavit, atque conduxit. Fratri Mariano Chinazanio, Auguſtiniano (ob ipſius in ſermonibus eloquentiam) Monaſterium prope urbem fieri curavit.

Fuit tam Deo quam fortunæ ſummopere charus, ſiquidem omnes ipſius conatus felicem finem adipiſcerentur, hoſtes contra ipſius miſere perirent. Nam præter Pazziorum inſidias, à Baptiſta porro Freſcobaldio ad Cariminum, inque villa ſua à Baldinotto Piſtorienſi petitus, tā ipſi, quam eorum complices ſupplicio meritiſſimo affecti fuêre. Hæc ergo vitæ ipſius ratio, eaq; viri prudentia atq; fortuna, non modo univerſæ Italiæ, verum etiam remotiſsimis oris perſpecta inq; honore habita erat. Matthias ſiquidem Hungariæ Rex multis amorem ſuum erga eum teſtatum voluit. Sultanus per ſuos Oratores muneribus eum affecit. Turcarum Imperator Bernhardum Ban-

dinium, fratris ſicarium, ipſi compedib. vinctum in Italiam adduci curavit: quos quidem ob res Italia ipſum mirabatur: authoritasq; viri, prudentiâ ſuâ, indies augeſcebat: erat ſiquidem diſputando eloquens & acutus, decernendo prudẽs, exequendo promptus æque ac animoſus, neq; quicq̃ vitiorũ adduci queat, quod tot tãtasq; virtutes ejus cõmacularet. Licet in re venerea ad miraculũ involutus eſſet, atq; hominib. facetis, & mordacib. ludisq; puerilib. ultra q̃ tantũ virum decebat, deditus videretur, ut ſæpius depræhenſus fuerit, liberorũ ſuorũ oblectationib. ſeſe immiſcere, adeo ut ſi cui in eo, tam levitatem quã gravitatẽ conſiderare liberet, vix non duas perſonas diverſas, nulla ratione compulandas, in eo conjunctas eſſe diceret.

Habuit poſtremam ætatem ex morbis qui ipſum miſere affligebant, moleſtiarum plenam, ſiquidẽ cum dolore ſtomachi intollerabili cõflictabatur, qui quidẽ eum adeo afflixit, ut anno ætatis XLIIII. Anni à Chriſto MCCCCXCII menſe Aprili vitá cũ morte cõmutaret. Neq; vero quisq̃ unquá non modo Florẽtiæ, verũ etiã in univerſa Italia obiit, qui tãtã ſapientiæ laudẽ referret, queq; patria ſua tãtopere lugeret. cœlũ quoque ipſum prædicere viſũ, quod quãtæq; clades ipſius mortem conſecuturæ eſſent, ſiquidem ſummum tẽpli *Præſagia quæ ante ejus mortem.* ad S. Reparatã tectum, fulmine percuſſum, magna iſtius pinnaculi parte, maximo omnium terrori atque ſtupori abraſã, nudatum fuit.

Luxere ergo mortem ejus omnes tam cives, quam Italiæ proceres, idq; manifeſto teſtatum fecere ſiquidem nemo omnium fuit, qui non oratorib. miſsis, dolorem ſuum ex caſu ſuſceptum patefaceret. Num vero juſtã dolendi cauſam habuerint, id porro eventus paulo poſt demonſtravit, ſiquidẽ Italia, ipſius conſilio deſtituta, neminẽ jã habere potuit, qui immẽſã Ludoici Sforziæ, Mediolanenſis Ducatus adminiſtratoris, ambitionẽ atq; inſolentiã refrænaret, quã quidem ob rem, vix elato Laurentio, ſemina iſta pernicioſiſsima enaſci cœpere, quæ non multopoſt, Italiam peſſum dederunt, atq; etiam in poſterum everſura ſunt.

CASTRVCCII CASTRACANI LUCCENSIS *VITA,*

A NICOLAO MACHIAVELLO DESCRIPTA, AD ZA- *NOBIUM BUONDELMONTium & Ludoicum Alamannum.*

NOn præter rationem mirum videri poſſit, Zanobi atque Ludoici amiciſsime, ſi quis rem conſiderare velit, omnes eos, vel ſaltem maximam partem, qui in hoc terrarum orbe præſtantiſsimas res adgreſsi ſunt, atque inter cæteros ſui ævi heroas excelluerunt, aut obſcuro atq; abjecto loco editos & progenatos, aut alioquin præter omnẽ modum à fortuna, in ipſa origine, agitatos fuiſſe. Siquidem omnes aut expoſiti, aut patrib. adeo abjectis orti fuere, ut eorum ipſos puderet, ideoque vel Jove, vel alio aliquo Deo ſatos eſſe hominibus perſuaſum cuperent. Eorum vero catalogum recenſere, poſtquam omnibus eorum permulti innotuerint, fortaſsis legenti faſtidium parturire queat, eoque ut rem ſuperfluam hoc loco intermittendam duco. Arbitror quidem hoc ideo ſic evenire quod fortunam univerſo orbi teſtatum velit, abs ſe, non à prudentia proficiſci, ſi quos communem hominum ſortem anteire videmus, eamque ob rem vires ſuas eo potiſsimum eam in loco exercere atque ob oculos ponere, ubi omnium judicio prudentiæ partes nullæ ſint, ſed ab ipſa omnia pendêre manifeſto deprehendatur.

Ergo Caſtruccius quoque Caſtracanius Luccenſis, in eorum numerum cenſeri debet, qui quidem pro ſæculi ſui, urbisque in qua natus fuit, ratione egit res perquam maximas neque origine felice notaque magis, ac cæteri, uſus eſt, ſicuti ex vita ipſius copioſius patebit. Atque eam quidem ideo literarum monumentis recondendam, adque poſteros transmittendam cenſui, quod in ea permulta ſeſe exhibeant, quæ tam inſignis virtutis, quam fortunæ ratione aliquando exemplo eſſe queant: vobis vero potiſsimum eam offerendam duxi, quod eorum, quibus res præclare virtuteque adminiſtratæ, curæ atque oblectamento ſint, reliquos longo poſt vos intervallo relinqui, hactenus cognoviſſe mihi licuerit.

Ut ergo ad rem veniam. Conſtat Caſtracanos apud Luccenſes, inter nobiles ejus urbis familias recenſeri, licet ea (pro omnium rerum in hoc orbe ſerie) hoc ævo eſſe deſierit. Ex hac familia olim originem duxit Antonius quidam, qui cælibi vitæ generi deditus, inter Canonicos, ad S. Michaelem apud Luccenſes ſcriptus, atque honoris gratia, Dominus Antonius appellatus fuit. Huic præter ſororem unicam nihil familiæ erat, quæ quidem Buonaccorſio Centimanio matrimonio conjuncta, ab ejus obitu, ad fratrem ſeſe receperat, animumque ab omnibus deinceps nuptiis alienum induerat.

Colebat Antonius poſt ædes ſuas vineam, in quam, utpote aliis hortis circumſeptam, multis ex locis aditus patebat. Accidit ut forte, dum quodam mane Dianora (hoc enim nomen viduæ erat,) in ipſa aurora animi gratia eô exſpatiaretur, atque (ut fœminis mos eſt) herbas condimentis ſuis conquireret, ut ſub vite quadam inter pampinos neſcio quid ſtrepere, atque eô oculis converſis, vagitum audire ſibi videretur. Cum ergo eo verſus pedes conferret, remque exploratam cuperet, ecce infantulum pampinis involutum, qui blandulo vultu brachiolisque tanquam opem ejus implorare videbatur

batur, qua quidem re Dianora non minus miſericordia mota, quam ſtupefacta, inde ſublatum ad ædes fratris detulit, eumque ablutum, faſciiſque exceptum, fratri ex æde ſacra reverſo obtulit. Atque is quidem caſu percepto, infantuloque oculis perluſtrato, non minore admiratione atque miſericordia ſeſe rapi ſenſit, adeo, ut re cum ſorore aliquandiu deliberata, tandem de eo ſuſcipiendo, poſtquam utrique prole deſtituerentur, facile convenirent. Ergo conducta nutrice, tanta cura atque amore porro eum habere cœperunt, ut à paterna benevolentia parum abeſſe viderentur, cujus quidem rei cauſa, ad ſacrum fontem eum patris Caſtruccii nomine inſigniri voluere.

Adolevit unà cum Caſtruccio ea gratia, atque omni in re ingenio atq; prudentia pollere animadvertebatur, utpote qui pro ætate omnia facile addiſceret, ad quæ ab Antonio vocaretur, cui quidem animus erat, in eum tam Canonicatum, quam alia ſua beneficia, quæ vocant, ab obitu conferre, eamque ob rem, quæ eò ducebant, eum addiſcere volebat. Verum animum, à vita ſacerdotali omnino alienum, ſe tractare, haud difficulter animadvertere ipſi licuit.

Caſtruccius ſiquidem vix annum ætatis XIV attigerat, cum imperio Antonii atque Dianoræ ſeſe paulatim ſubducere, proculque valere cum metu pariter libris ſacris juſſis, ad arma tractanda animum adplicare, neque jam aliud quam idipſum agere, aut cum ſodalibus ſuis, currere, ſaltare, luctari, vel aliud tale conari, quibus in rebus omnibus tam animo quam corpore præſtare, atque reliquos longo intervallo poſt ſe relinquere videbatur. Quod ſi vero aliquando ad ſtudia ſeſe recipere libebat, nullis aliis libris delectari animadvertebatur, quam qui arma viroſque canerent, atque heroum res geſtas illuſtrarent, quod quidem Antonium maximopere ſollicitum mœſtumque habebat.

Erat id temporis inter nobiles Lucenſes Fran-

ciſcus Guinigius, qui virtute, gratia, atque opibus omnes ſuæ ætatis cives facile anteibat, porro militiæ deditus, multis jam annis ſub Viſcontiis Mediolanenſibus meruerat, Ghibellinorumque partes complexus, facile omnium eorum, qui ea ſtudia apud Lucenſes ſequebantur, dux caputque habebatur. Atque hic quidem eo tempore aliquandiu Lucæ moratus, indies ſub ædes illius, quem Reipub. primum, Poteſtatem vulgo vocant, cum reliquis civibus conveniebat, quo in loco, quod ædes illæ aream ad S. Michaelem, quæ omnium ejus urbis potiſsima eſt, contingerent, non raro Caſtruccium, iis, quæ ſupra attigimus exercitiis inſudantem videre ipſi obtigit, quibus non modo ſodales omnes excellere; ſed etiam authoritate quadam, tanquam regia, inter omnes eminere, atque ab iis tam amari, quam certo quodam modo revereri videbatur.

Quod quidem maximum ejus cognoſcendi deſiderium penes ipſum excitavit, adeo ut percunctando ejus fortunæ edoctus, majore ejus obtinendi cupiditate accenderetur, tandemque quodam mane eo vocato, ex ipſo ſciſcitaretur, an in ædibus nobilis, ubi arma tractare, atque equum regere diſceret, an apud presbyterum ubi nil præter miſſas audiret, eſſe mallet: atque deprehendere quidem Franciſco licuit, quantum ad nomen equorum armorumque auditum, Caſtruccius apud ſe gauderet, tacitus tamen ex verecundia, ut reſponderet animus ipſi addendus fuit: dixit ergo, ſi id hero ſuo benevolo fieri poſſet, optare ſe longe militiam, quam ſacerdotis ſtudia ſequi. Satisfactum Franciſco reſponſione iſta, egitque cum Antonio, adeo ſolicite ut tandem juvene potiretur, quem quidem eo facilius obtinuit, quod Antonio ingenium juvenis ſuis cum ſtudiis minus convenire videretur.

Ergo Caſtruccius ex ædibus Antonii Caſtracani ſacerdotis, in ædes Franciſci Guinigii turmarum ducis tranſcriptus, dici credive vix queat, quam exiguo temporis intervallo, omnes tam mores quam virtutes,

virtutes, nobile adoleſcente dignas, imbiberet. Inprimis vero in equorum agitatorem excellentiſsimum abiit, adeo ut equum, quantumvis ferociſsimum atque contumacem, ſumma dexteritate coherceret, inque haſtiludiis, licet adhuc puer, omnium oculos in ſe converteret, adeo ut in nullo exercitiorum genere, ſive robur ſive dexteritatem ſpectes, æqualem haberet.

Quibus præterea mores acceſſere, in quibus modeſtia inæſtimabilis elucebat, ſiquidem nihil quod diſpliceret, ſeu dicere ſeu agere ſolebat, ſed ſuperiores obſervare, æquales modeſte habere, apud inferiores deniq; feſtivus eſſe conſueverat, quas quidem ob res non modo Guinigiorum omnium, verum adeo univerſæ urbis amorem provocavit.

Accidit ergo, poſtquam Caſtruccius duodevigeſimum jam annum attigiſſet, ut Ghibellini Ticino à Guelfis pellerentur, in quorum ſubſidium à Viſcontiis Mediolanenſibus Franciſcus Guinigius miſſus, Caſtruccium comitem habuerat, utpote apud quem cura totius turmæ remaneret, qua quidem in expeditione, Caſtruccius tam prudentiæ quam animi tot experimenta de ſe exhibuit, ut nemo parem laudem atque benevolentiam, quotquot expeditioni iſti interfuerant, inde referret, adeo, ut non modo apud Ticinenſes, verum in univerſa Longobardia, nomen ipſius in honore atque exiſtimatione eſſe inciperet. Lucças ergo, longe honoratior, quam inde diſceſsiſſet reverſus, porro omni diligentia, artibusque iis quibus homines devinciri conſueverunt, amicos ſibi comparare quamplurimos ſtuduit.

Jamque Franciſcus Guinigius vita cum morte commutaverat, atque decedens, unico ſuo filio Paulo, Caſtruccium tutorem atque rectorem reliquerat, ipſum ante obitum ſedulo hortatus, ut pari qua erga ipſum uſus fuiſſet fide, etiam ipſe filium ſuum habere eamque gratitudinem, quam patri præſtare minus poſſet, filio exhibere niteretur. Ergo cum ab obitu Guinigii, Caſtruccius omnem ejus fortunam ad-

miniſtraret, tanta porro authoritate atque potentia inde augeri cœpit, ut ea, qua apud Lucenſes pollebat gratia, ſenſim in invidiá degeneraret, adeo ut non pauci ipſum, utpote cujus animus tyrannidem redoleret, calumniarentur: inter quos Georgius Opizius Guelfarum partium dux facile primas tenebat.

Atq; is quidem ab obitu Franciſci Guinigii, Principatum urbis ſibi ipſi pollicitus, ferre non poterat, ut à Caſtruccio, ea authoritate atq; gratia munito, occaſiones rei gerendæ ſibi præpedirentur, quá quidem ob rem ea in vulgus diſſeminabat, quæ Caſtruccio obfutura arbitraretur. Tulit id ab initio Caſtruccius ſatis indigno animo, cui paulò poſt ſuſpicio accesſit, ne forte Georgius apud Proregem Neapolitanum ſuum exitium quæreret, atque de eo urbe pellendo conſilia iniret.

Imperabat id temporis Piſanis Huguccio de Faggiola Aretinus, qui à Piſanis copiis præfectus, poſtea omni imperio eorum potitus fuerat, penes quem exulum aliqui Luccenſium, qui partium Ghibellinarum erant, morabantur. Ergo cum his Caſtruccius clam conſilia iniit, quo pacto Huguccionis ſubſidio ipſis patria recuperaretur, eamque mentem amicis ſuis in urbe, quibus Opizii potentia ſuſpecta erat, aperuit. Cum his igitur negotio conſtituto, Caſtruccius caute admodum turrim, cui Honeſtorum nomen, munire, eamque commeatu referre cœpit, quo neceſsitate urgente, aliquot dierum ſpatio in ea tutus ſubſiſtere poſſet.

Ergo omnibus rite exploratis Huguccionem, qui vocatus cum exercitu planiciem illam, quæ montes urbemque interjacet, inſederat, ſigno ad id præſtituto ut maturaret, monuit qui quidem eo animadverſo, mox ad portam S. Petri ſucceſsit, eamque igne injecto ſubruere cœpit. Caſtruccius altera ex parte tumultu concitato, plebeque convocata, eandem portam occupavit atque tandem effregit, adeo ut Huguccioni aditus in urbem pateret, qui unà cum copiis irrumpens, Georgium Opizium, omnemque ipſius

ipſius familiam, multos præterea, qui ejus amicitiam parteſque ſequebantur, interfecit, Rectorem urbe exegit, atque Rempub. Luccenſem ad ſuum arbitrium, maxima cum urbis clade, compoſuit. Siquidem conſtat, eo tempore, plus centum familias in exilium actas fuiſſe. Pulſorum alii Florentiam, Piſtoriam alii ſeſe recepere, quæ quidem tum urbes à Guelfis ſtabant, eamque ob rem Huguccionem atq; Luccenſes pro hoſtibus habebant.

Poſtquam ergo Florentinis, aliiſque Guelforum ſtudioſis videretur, Ghibellinas partes nimirum in Tuſcia incrementũ adquiſiviſſe, eam ob rem de patria Luccenſib. reſtituenda inter ſe convenere, coactoque valido exercitu, mox vallé, quæ à nivib. nuncupatur, invaſere, expugnatoque monte Catinio, inde monté Carlum obſidione cinxere, quo nimirum eo occupato, aperta porro ad Lucéſes via eſſet. Eá ob ré Huguccio multis Piſanorũ atq; Luccenſiũ ſub ſigna ſcriptis, petitoq; ex Longobardia copioſo Germano equite, in hoſtes movere cœpit, qui quidé ejus adventu intellecto, monté Carlum omiſerant, ſeq; inter monté Catinum atq; Peſciá receperát, adeo ut Huguccio caſtra infra monté Carlũ, altero à Florétinorũ copiis miliari, locaret, reſq; inde aliquot dies leviuſculis velitationib⁹ ageretur, ſiquidé Huguccione morbo correpto, Piſani atq; Luccenſes juſta acie decernere metuebant, verũ ſenſim cũ morb⁹ ingraveſceret, ipſi tádé ad montem Carlum (valetudinis recuperádæ gratia) concedendũ fuit, cura exercitus Caſtruccio demandata quæ quidem res Guelfis exitio fuit, utpote quibus animi quod exercitum hoſtilem duce deſtitutum arbitrarentur, non mediocriter excreviſſent. Atq; id à Caſtruccio optime animadverſum, porro eam opinionem apud ipſos confirmare ſedulo perrexit, metumq; ſimulans, nemini é munitionibus egredi copiam eſſe voluit, adeo ut Guelfi indies inſolentiores, ad caſtra ipſa Caſtruccii aciem ſuam ſæpius explicarent, ipſiq; ea ratione opportunitatem præberent, ut & animos & ordines ipſorũ explorare quá optime poſſet. Ergo

confirmatis oratione militum animis, certam ipſis victoriam modo ipſius inſtitutum ſequi vellent polliceri cœpit.

Animadverterat nimirum Caſtruccius, Guelfos omne ſuum robur in media acie collocaſſe, militem vero minus ſtrenuum ad utraque cornua recepiſſe. Contraria igitur ipſe ratione, in cornua validiſſimum quemque militum ſuorum conſtituit, in media vero acie minus ſtrenuos collocavit, atque hoc quidem ordine è caſtris profectus, quamprimum hoſtem in conſpectu haberet, (atque is pro more inſolenter obviam proficiſcebatur) mediam aciem gradum moderari, cornua vero citatius ferri voluit, qua quidem ratione factum eſt, ut ſaltem cornua ex utraque parte dimicarent, mediæ vero acies nihil agerent, ſiquidem Caſtruccii acies tam procul adhuc aberat ut ea ab hoſte jungi non poſſet, eoque robur omne exercitus Caſtruccii manus conſerebat, minusque ſtrenua pars ſtabat; cum contra in exercitu hoſtium potior pars nihil ageret, ſed inferiori ſolummodo pugnandum eſſet, adeo ut non magno labore, utrumque Florentinorum cornu in fugam ageretur, atque porro media acies , poſtquam latera jam nudata haberet , nihil pugnando , etiam ipſa in fugam ſeſe conjiceret.

Fuit ſane ea clades inſignis atque memoranda, ſiquidem ea, præter decem hominum millia, multi duces atq; ſtrenui milites, omnes Guelfarum partium, interque eos Principes non pauci deſiderati fuere, quibus accenſentur, Petrus Regis Ruperti Neapolitani filius, Carolus ipſius nepos, Philippusque Tarentinorum Princeps. Ex parte vero Caſtruccii circiter trecenti, interque hos Franciſcus Huguccionis filius occubuere, qui quidem juvenis atque fervidus inter primos ceciderat. Ergo ea victoria Caſtruccio quidem immortale nomen peperit, verum Huguccioni tantæ ſuſpicioni fuit, ut de imperio ſuo ſibi metuendum arbitratus, qua ratione eum è medio tolleret, ſecum ſollicite agitaret, eam nimirum victo-

riam

riam imperium non modo ſuum non ſtabiliviſſe, ſed potius undique labefactaſſe. Ergo occaſionem ſaltem opperiebatur, qua honeſta aliqua ratione à viro iſto liberaretur.

Accidit porro ut Petrusagnolus Michelius, vir apud Lucenſes magnæ exiſtimationis, interficeretur, iſque qui homicidium perpetraſſet, ad ædes Caſtruccii ſeſe fuga reciperet, indeque Capitaneus unà cum lictoribus qui eum repetitum Caſtruccium acceſſerant, ab eo turbarentur atque excluderentur, eaque ratione homicidæ occaſio ſuppeditaretur, ut ſuæ ſaluti fuga proſpiceret. Jam igitur Huguccio, qui id temporis Piſis erat, commodam ejus opprimendi occaſionem ſe adeptum ratus, vocato ad ſe Nerio filio, in quem Luccenſium imperium contulerat, ipſi injunxit, ut ad convivium invitatum Caſtruccium compræhenderet atque necaret. Caſtruccius ergo familiariter dominum conveniens, nihilque omnino ſiniſtri ſuſpicatus, primò quidem ad menſam exceptus, cœna vero peracta in vincula conjectus fuit. Cum autem Nerius metueret, ne forte populus turbaret, ſi Caſtruccius nullo ſervato juris ordine necaretur, maluit negotium differre, quo patris voluntatem manifeſtius exploraret. At is in tarditatem animique conſternationem filii magno ſtomacho invectus, quo rem citra periculum perficeret, aſſumptis quadringentis cataphractis Luccas verſus movere cœpit, verum vix ad Balnea progreſſus fuerat, cum nuncio edoceretur Piſanos defeciſſe, omnemque ipſius familiam unà cum vicario ſuo interfeciſſe, Gaddonemque Gherardeſciæ Comitem ſibi præfeciſſe.

Non erat Huguccioni integrum Piſas regredi, ne forte Luccenſes Piſanorum exemplo eruditi, eum urbe intercluderent. At Luccenſes defectionis Piſanæ jam conſcii, licet Huguccio jam in urbem penetraſſet, nihilominus ex Caſtruccii vinculis occaſione arrepta, primũ per v..os atq; circulos contumacius ſermones ſerere, tandem Caſtruccium tam obſtinate

repetere cœperunt, ut Huguccio, majoris diſcriminis evitandi gratia, eum libertati reſtitueret. At Caſtruccius conglobato amicorum agmine, populi porro ſubſidio fretus, tanta virtute Huguccionem adortus eſt, ut ipſi una cum ſuis in fuga ſalus reponenda atque Longobardia petenda fuerit, ubi apud Scalios miſere tandem vitam depoſuit.

Caſtruccius vero ex captivo vix jam non Lucenſium Princeps, opera amicorum, atq; recenti ob eam victoriam benevolentia, facile obtinuit, ut Lucenſes eum copiis ſuis in annum præficerent. Quo ergo bello aliquo gloriam ſibi pararet, conſtituit ea, quæ poſt Huguccionem profligatum à *Lucenſibus* defecerant municipia, ſibi recuperanda eſſe, eamque ob rem, poſtquam cum Piſanis tranſegiſſet, Serezanam obſidione cinxit, atque editiore in loco propugnaculum, (quod poſtmodum à Florentinis muro cinctum, hodie Serezanella nuncupatur) ad eam commodius ſubjugandam, conſtruxit, adeo ut intra ſecundum ab obſidione menſem Serezana potiretur. Eodem impetu poſtea Maſſam, Carraram, & La[illegible]ntiam cœpit, atque breviſsimo temporis intervallo omnem Lunenſem agrum occupavit. Appuam præterea, quo aditum in Lunenſem agrum ex Longobardia intercluderet, expugnavit, Anaſtaſiumque Palavizinum, ejus loci regulum, in poteſtatem redegit.

Inde tot victoriis clarus Luccam reverſus, univerſum populum ſibi obvium habuit, qua quidem animi propenſione commodum utendum ratus, *Pazzinii* Poggii, Puccinelli de Portico, Franciſci Boccanſachii, atque Ceccii Guinigii potiſsimum favore, utpote qui Lucenſium facile primi id temporis, ab eoque corrupti fuerant, imperium urbis in ſe tranſtulit, atque plebiſcito Princeps ſalutatus fuit.

Trajecerat id temporis in Italiam Fridericus Bavarus Romanorum Imperator, quo regno inauguraretur. Hunc ſibi Caſtruccius conciliandum ratus, *relicto* ad urbem Paulo Guinigio, quem ob beneficia

paterna

paterna filii loco habebat, quingentis cum Cataphractis ipſi obviam proficiſci voluit. Habitus fuit in honore à Friderico Caſtruccius, multisq; privilegiis auctus, inſuper vicarius Imperii per omnem Tuſciam conſtitutus, præterea Piſanorum imperium, qui pulſo Gaddone ad Fridericum de auxiliis confugerant, in ipſum translatum, ipſeque à Piſanis metu Guelforum, præcipue vero Florentinorum receptus fuit.

Imperatore poſtmodum in Germaniam regreſſo, atque Vicario, ad res Italiæ adminiſtrandas Romæ poſt ſe relicto, omnes Ghibellinorum partium tam ex Longobardia quam Tuſcia ad Caſtruccium confluere, atq; quilibet ipſi imperium patriæ ſuæ, ſi in ipſam ejus opera reſtitueretur, polliceri cœpere: inter quos fuere Mattheus Guidius, Nardus Scolarius, Lapus Ubertus, Georzzius Nardius, Petrusque Buonaccorſius Ghibellini & Florentini omnes.

Ergo Caſtruccius, qui horum opera, ſuisq; viribus, univerſæ Tuſciæ imperium in ſe transferri poſſe arbitraretur, amicitia cum Mattheo Viſcontio Mediolanenſium Principe contracta, omnem eam urbem, univerſamque provinciam arma tractare docuit. Inde ad Lucenſes converſus, quod urbi quinque portæ eſſent, pari ratione omnem ipſorum regionem in quinque claſſes diſtinxit, et quamque partem duci, ſignoque peculiari parere voluit, eaque ratione effecit, ut viginti hominum millia cum opus foret, præter quos ex agro Piſano cogere poſſet, ipſi momento præſto eſſent.

Accidit poſtmodum ut Mattheus Viſcontius à Guelfis Placentinis, qui Ghibellinos auxilio Florentinorum Regisque Ruperti exturbaverant, invaderetur, eamque ob rem ad Caſtruccium, tot amicis copiisque ſtipatum, confugeret, quo nimirum impreſſione in Florentinum agrum ab eo facta, illi ad ſua defendenda, resque Longobardiæ deſtituendas revocarentur. Caſtruccius ergo per vallem Arni in

Florentinos

Florentinos irrumpens, primo Fucechium, inde S. Miniatum, adeo ingenti præterea agris illata clade, occupavit, ut Viſcontii voto, Florentini exercitum revocare neceſſe habuerint, qui quidem vix Tuſciam attigerat, cum Caſtruccio ad Luccenſes, alia neceſſitate urgente, repedandum eſſet.

Erant apud Luccenſes familia Poggii potentiſſima, Caſtruccioque ad occupandum imperium maximo momento fuerant, verum quod minus ex officii magnitudine ſeſe exceptos arbitrarentur, eam ob rem clam conſiliis habitis, advocatisque in ſocietatem permultis familiis aliis, à Caſtruccio deficere, eumque urbe pellere decreverant: occaſionem ergo ob Caſtruccium bello implicatum ſeſe nactos rati, quodam mane in præfectum *juſtitiæ*, qui Caſtruccii nomine urbem adminiſtrabat, impetu facto, eum interemerunt, poſtmodum ad plebem concitandam converſi, Stefanum quidem Poggium, virum ſenem pacisque ſtudioſum, atque conjurationis neſcium obvium habuerunt, qui ſua authoritate obtinuit, ut arma conjurati deponerent, inque ipſius fidem, utpote qui ſeſe interventurum apud Caſtruccium, quo vobis potirentur, ſtipulabatur, recumberent.

Caſtruccius ergo defectionis iſtius edoctus, nulla interpoſita mora cum parte copiarum, reliqua *Pauli* Guinigii imperio commiſſa, Luccas verſus properavit, motuque licet compoſito, omnes aditus urbis opportuniores mox armato milite occupavit. Eam ob rem Stefanus Poggius, utpote qui Caſtruccium ſibi obſtrictū arbitraretur, pro ſuis interceſſurus (ſibi etenim ejus nihil opus eſſe putabat) ipſi ſeſe obvium exhibuit, multisq; rogare cœpit, ut alia juvenili fervori, alia veteri amicitiæ, atque officiis à familia Poggiorum in ipſum profectis, condonaret. Atque Caſtruccius quidem, eum benigne exceptum, bono animo eſſe juſsit, longe nimirum motus ſedatos majore gaudio ſibi eſſe, quam ob eos concitatos commotus fuerit, Deoque ſe gratias habere, qui occaſionem teſtandæ clementiæ atque liberalitatis ſibi exhibuerit,

venirent

venirent modo omnes, ipſiusque animum experirentur. Fide ergo tam Caſtruccii, quam Stefani interpoſita, decepti cum ſeſe præſentes Caſtruccio exhibuiſſent unà cum Stefano capti, necatique fuere.

Inter hæc geſta, Florentini S. Miniatum recuperaverant, viſum eam ob rem Caſtruccio id bellum componere, quod Lucenſes omittere, priusquam eorum animos ſibi firmaſſet, minus integrum arbitraretur: tentatis ergo Florentinorum animis, eos jam belli atque ſumptuum pertæſos non difficiles habuit. Induciæ igitur in biennium pactæ, præterea actum ut quisque iis, quæ in poteſtate tum haberet, potiretur.

Bello iſto compoſito, Caſtruccius aliis aliisque ſubcauſis, quo iſtiusmodi periculum deinceps præcaveret, omnes eos, quos ad imperiũ urbis adſpirare poſſe arbitraretur, è medio ſuſtulit, nullaq; cujusquã habita ratione, alios patria, alios fortunis, alios vero, quos habere poterat omnes vita ſpoliavit, quod nimirum affirmaret, experientia ſe edoctũ, iſtorum neminem ſibi fidum ulla ratione eſſe poſſe. Caſtrum præterea in ipſa urbe exſtruxit, materiamque ex turribus eorum quos urbe ejecerat, demolitis, eam ad ſtructuram petiit.

Neque tamen ob pacem cum Florentinis firmatam, dumque Lucenſibus cohercendis incumberet, à belli curis vacabat, verum omni ſtudio augendæ potentiæ ſuæ intẽtus, quidquid citra apertũ Martem ad eam conferre poterat, ſedulo aucupabatur; inprimis vero occupandorum Piſtorienſium incredibili deſiderio tenebatur, quod nimirũ arbitraretur, ea urbe in poteſtatẽ redacta, maximo id ſibi momento ad Florẽtinos ſubjugandos fore. Eo igitur animo omnem iſtũ tractũ variis rationibus in amicitiam ſuam pertraxit, inque ipſa adeo urbe tam dextre partium ſeſe ſtudiis accommodavit, ut utraque pars in ipſum recumberet.

Erant ſiquidem id temporis Piſtorienſes (ſicuti etiam

etiam hactenus ſemper) in Albos Nigroſque diviſi. Albi Sebaſtianum Poſſentium, Nigri Jacobum Giam ducem habebant, atque hi ambo cum Caſtruccio conſilia ſua occultiſsime communicabant, quod nimirum uterque ſperaret, ejus ſeſe auxilio adverſarium urbe ejicere poſſe. Cum ergo inter eas animi ſuſpenſiones, tandem ad arma inter partes deventum eſſet, & Jacobus quidem portam Florentinam Sebaſtianus vero Luccenſem occupaſſet, atq; utriſque minus ſpei in Florentinis, quam in Caſtruccio, utpote magis prompto, bellique cupido, repoſitum eſſet, igitur ambo occultis internunciis ejus auxilia accerſivere, eorumque obtinendorum promiſſis onerati fuere, Jacobo quidem ſeipſum adfuturum, Sebaſtiano vero Paulum Guinigium miſſurum pollicitus. Hora ergo ad id præſtituta, Paulus quidem Peſciana, Caſtruccius vero recta via Piſtoriam profecti, ſub mediam noctem ambo à partibus ejus conſilii ignaris, in urbem recepti fuere.

Igitur Caſtruccius tempus adeſſe ratus, quo deſiderio ſuo potiretur, ſigno conſtituto ipſe in Jacobum, Paulus vero in Sebaſtianum impetu facto, utrumque facile oppreſſere, omneſque partibus utriſque deditos partim interfecere, partim cœpere, urbiſque aditu inceſſo, protractoque ex Palatio magiſtratu, populum fide Caſtruccio obſtrinxere. Atque is quidem immunitate debitorum ipſis conceſſa, multis pollicitationibus præterea tam ipſos, quam omnes eorum montium incolas qui ad conſpiciendum novum Principem eô confluxerant, adgreſſus, facile eorum animos ingenti ſpe oneratos, pacavit.

Laborabatur inter hæc geſta Romæ annonæ penuria, ob Pontificis nimirum, qui Avenioni ſedem fixerat, abſentiam, ejusque rei culpa in Germanorum adminiſtrationem conferebatur, adeo ut ad defectionem res ſpectaret multæque cædes indies perpetrarentur: neque in Henrici, qui Imperatoris

ratoris ibi vices agebat, poteſtate jam eſſet, motum illium cohercere. Ergo animi anxius, ne forte Romani vocato Rege Neapolitanorum Ruperto, ipſum Roma exturbarent, Romamque Pontifici reſtituerent, neque porro auxilia opportuna fidaque magis in propinquo eſſent, ad Caſtruccium converſus, eum non modo auxilia, ſed etiam præſentiam ejus rogare cœpit.

Et Caſtruccius quidem, tam quo ſeſe Imperatori gratum teſtaretur, quam quod facile animadverteret, imperatore Roma excluſo, nullam ſibi ſalutem ſupereſſe, nihil cunctatus, relicto ad urbem tuendam Paulo Guinigio, ducentis cataphractis ſtipatus Romam perrexit, atque ab Henrico ſummo honore habitus, exigui temporis intervallo authoritate ſua tantum Çæſaris partibus momentum contulit, ut citra cædes aut vim omnia componerentur: ſiquidem annona navibus circum Piſanos impoſita, occaſionem turbandi Romanis ademit, inde præcipuos Romanorum adgreſſus, partim monendo, partim caſtigando effecit, ut non inviti ſub imperium Henrici reverterentur, in cujus rei beneficium, in Senatorum numerum (multis præterea honorib. à Po. Rom. cumulatus) cooptatus fuit, quam quidem dignitatem ſplendiſsimo apparatu ſolennitate publica lætus excepit ipſe veſte Attalica indutus, cui à fronte inſcriptum erat: *Eſt quod Deus vult*: à tergo vero. *Erit quod Deus volet.*

Interea Florentinos non mediocriter urebat, Caſtruccium induciarum tempore Piſtorienſium imperio auctum fuiſſe, conſiliaque eam ob rem agitabant, ſi forte, illi ob ejus abſentiam, ad defectionem ſollicitari poſſent.

Agebant id temporis apud Florentinos exulum Piſtorienſium Baleus Cecchius, & Jacobus Baldinius præcipui, tamque authoritate quam animo ingenti præditi. Atque hi quidem occultis apud Piſtorienſes conſiliis, ſubſidiiſque Florentinorum freti,

nocte

nocte quadam furtim in urbem penetrarunt, pulſisque Caſtruccii præfectis, eorumque quibusdam interfectis, urbem priſtinæ libertati reſtituerunt.

Atque ea quidem res Caſtruccium non mediocriter turbavit, adeo ut venia ab Henrico impetrata properato itinere Luccas contenderet. Florentini verò, quod eum vix quieturum arbitrarentur, antevertendum rati, primi cùm copiis in vallem Nivium penetrare decreverunt, quod nimirum ſperarent, ea valle occupata, Caſtruccio viam ad Piſtorienſes interclusam fore: coacto igitur valido undique à Guelfis exercitu, Piſtorienſium agrum occuparunt. Caſtruccius verò cum copiis ad montem Carlum progreſſus, poſtquam Florentinorum mentem exploraſſet non conſultum arbitratus, eos in planicie vel prope Piſas vel ad Peſciá adoriri, in anguſtiis ad Saravallem ipſos operiundos cenſuit, quem quidem in locum ſi eos pellicere obtingeret, certam de ipſis victoriam ſibi pollicebatur, quadraginta ſiquidem hominum millibus Florentinorum exercitum conſtare intellexerat, cum ipſe ex ſuis duodecim ſaltem millia delegiſſet, ac licet tam propria induſtria quàm militum virtute niteretur, maluit tamen planiciem devitare, ne forte ab inimico agmine circumveniretur.

Eſt porrò Saravallum caſtrum Peſciam inter atque Piſtoriam, eo in colle, qui vallem Nivium claudit, non quidem juxta ipſum aditum, ſed paulo remotius ſitum, via vero quæ ex ea valle ducit, non quidem ardua, ſed quâ prope caſtrum ſurgit, adeo anguſta eſt, præſertim in cacumine collis, ubi rivus in duas ſecatur partes, ut ea à viginti hominibus, quorum ſeſe latera contingant, quaqua verſum occupari poſsit. Ergo has anguſtias Caſtruccius ſibi opportunas ratus, eô loci hoſtem expectare decreverat, tam quo milites ſui ſitus ratione præſtarent, quàm ne hoſtibus ante pugnam ſeſe conſpiciendum exhiberet, eaque ratione milites ſui, conſpecto tanto agmine, forte trepidarent.

Tenebat eo tempore caſtrum iſtud Manfredus Vir Germa-

Germanus, qui quidem antequam Caſtruccius Piſtoria potiretur, tam Luccenſibus quam Piſtorienſibus pari amicitia jungebatur, neque etiam poſt occupatos Piſtorienſes ab ulla partium eum lædi contigerat, quod nimirum neutris ſeſe addicturum pollicitus eſſet, adeo ut tam eam ob rem, quam quod locum munitiorem habitaret, ab utrisque ſuſtentatus eousque fuerit, verum poſt Piſtorienſium defectionem Caſtruccius ad eam arcem occupandam animum adplicare, porroque cum quodam caſtri ejus cive, cum quo arcta ipſi familiaritas interceſſerat, agere cœpit, ut nocte ea, quæ pugnam præcedere debebat, quadringentos milites ſuos in caſtrum reciperet, atque dominum caſtri opprimeret.

Eum ergo ad modum Caſtruccius rebus conſtitutis, noluit exercitum à monte Carolo movere, quo nimirum Florentinos ad tranſeundum audactius provocaret. Atque hi quidem, quod bellum à Piſtorienſibus in vallem Nivium avocare cuperent, jam caſtra arcem infra Seravallam collocaverant, quo poſtridie nimirum anguſtias, quarum modo mentionem fecimus, ſuperarent. Verum Caſtruccius, occupato ea nocte clam caſtro illo, ſub mediam noctē à monte Carlo movere cœpit, adeo ut ipſo diluculo Saravallam pertingeret, atque tam ipſius quam Florentinorum copiæ, uno eodemque momento, licet diverſa via, collem conſcenderent.

Diſpoſuerat Caſtruccius pedites ſuos via regia, quadringentos vero equites ad lævam verſus caſtrum in inſidiis collocaverat: At Florentini quadringentos equites in frontem receperant, poſtque peditum aciem, tandem cataphractos ultimum agmen claudere volebant, neque de Caſtruccio quidquam, ſuſpicabantur, utpote quem caſtrum occupaſſe penitus ignorarent. Præter omnem ergo exſpectationem, equites Florentinorum in peditem Caſtruccii impingentes, vix ipſis per tempus licuit galeas ſibi aptare, adeo ut imparati à paratis, inque ordinem diſpoſitis excepti, vix ægre primum impetum ſuſtinerent.

indequeomnis exercitus Florentinorum maximopere turbaretur. Equites ſiquidem peditibus, pedites equitibus & inpedimentis implicati omnem ducibus imperandi facultatem, ob loci anguſtiam, præripiebant,neq; rebus eum ad modum turbatis quisquam erat,qui in medium conſulere poſſet, equites nihilominus peditem Caſtruccii ut poterant ſuſtinebant, non quidem virtute ſua, ſed quod ob loci anguſtiam ſeſe recipere non poſſent, atque neceſsitate ipſa ad pugnandum adigerentur, ſiquidem latera montibus obſepta habebant, tergum amici claudebant à fronte ab hoſte jugulabantur. Nihilominus difficulter admodum Caſtruccii miles agmen iſtud penetrabat,eam ob rem quadringentos illos equites, quos prope caſtrum in inſidiis collocatos ſupra diximus,unaq; mille pedites alia via deflectere,atq; ex latere hoſtem petere voluit,qua quidem ratione effecit,ut Florentini injuria potiſsimum loci oppreſsi, impetum iſtum ſuſtinere non poſſent,ſed terga obverterent,fugamque illi primi capeſſerent, qui ultimum agmen verſus Piſtoriam claudebant, atque, qua quisque poterat via ,ſaluti ſuæ conſulerent.

Fuit ſane ea clades Florentinis non minus cruenta, quam cæterum inſignis, captique ducum permulti,inter quos Bandinus Roſsius,Franciſcus Brunelleſchius,Joannes Toſanus ex nobilitate Florentina,præterea ex Tuſcia Regnoque Neapolitano non pauci, qui à Rege Ruperto Guelfis ſubſidio miſsi, Florentinis militaverant.

Piſtorienſes percepta Florentinorum clade, nil quidquam morati, pulſis Guelfarum partium ſtudioſis,in Caſtruccii poteſtatem rediere. Neque is hac victoria contentus,Pratum præterea,omnesq; eas arces,quæ in planicie,tá cis quam ultra Arnum ſitæ ſunt, in poteſtatem redegit,caſtraq; alterum à Florentia lapidé,in plano Peretolano metatꝰ eſt,ibiq; multos dies non modo in dividenda præda,verú etiá quo Florentinis ægre faceret,cohoneſtandæ atq; celebrandæ victoriæ gratia,in monetá cudenda, equorumq; curri-

culo

culo, cui tam viros quam meretrices inſudare volebat, exegit, quin etiam occultis cum quibusdam Florentinorum nobilibus conſiliis egit, ut noctu in urbē reciperetur, verum res detecta conjuratis exitio fuit, interq; hos Thomas Lupaccius, & Lambertuccius Freſcobaldus extremo capitis ſupplicio affecti fuere.

Ergo Florentini poſt cladem tot anguſtiis expoſiti, deque libertate deinceps tuenda ambigui, quo tandem aliqua ratione ex præſenti malo emergerent, Oratoribus ad Regem Rupertum Neapolitanum ablegatis, univerſæ urbis imperium ipſi detulerunt.

Atque Rex quidem, non tam quo gratum tanto honori animū teſtaretur, quam quod non ignoraret, quantum ſecuritati ſuæ conduceret, Tuſciā à Guelfis ſtare, eam conditionem, qua ducenta præterea Florenorum millia Florentini ipſi pendere tenebantur, non invitus amplexus eſt, Carolumque filium cum IIII. M. Cataphractis Florentiam pergere voluit.

Quæ inter geſta Florentini vires quodāmodo recolligere cœperant, Caſtruccio ſiquidē Piſas concedēdū fuerat, quo cōjurationi Benedicti Lanfranci Piſanorum facile primi, maturè obviā iret. Atque is quidem, quod animo ferre æquo non poſſet, patriā ſuā à Lucenſe ſubjugatam eſſe, contra ipſum clam machinari cœperat, quod Caſtrū à ſe Piſanū occupari, præſidiarios inde profligari, atque Caſtruccio deditos opprimi poſſe ſperaret. Verum cū iſtiusmodi in negotiis exigua quidē manus ad occultandos conatus ſufficiat, ad perficiendos vero eosdē ſatis eſſe nequeat, inde factū eſt, ut dum Lanfrancus plures ſibi complices conquireret, in delatorem ſuum qui omnia ad Caſtruccium referret, incideret, neq; defuere qui ejus rei Bonifacium Cerchiū Joannéq; Guidiū, qui tum tēporis Piſas relegati erant, nō abſq; ignominia inſimularēt. Quidquid autē de delatore ſit, Caſtruccius Lanfrancū cōpræhēſū ſupplicio affecit, omnéq; iſtā familiā in exiliū egit: permultis præterea nobilioribus civiū capite plexis, id potiſsimum egit, poſtquā Piſanis unaq; Piſtorienſibus fluxa fides eſſ t, ut tam vi quam arte eorum imperium ſibi ſtabiliret.

His ergo dum occupationibus Caſtruccius detineretur, interim Florentinis reſurgere, Carolique adventum operiri licuit: quo tandem impetrato, nihil jam cunctandum rati, ſcripto undique (ſiquidem ex univerſa fere Italia Guelfos exciverant) exercitum XXX peditum, X vero equitum millium coegerunt, inde quam in partem primum deflectendum eſſet, deliberando, Piſam oppugnandam eſſe conſtituere, tam quod eam facilius, ob conjurationem nuperam, conatibus ceſſuram, quam quod eam utilem quoque magis futuram arbitrarentur, utpote qua expugnata Piſtorienſes ultro ad deditionem deſcenſuri eſſent.

Ergo inſtructis copiis menſe Majo, anni MCCCXXVIII progreſsi, facile Laſtram Signiam, Montem Lupum atque Empolium occupavere, inde ad S. Miniatum caſtra poſuere. Caſtruccius altera ex parte, tam ingentes ob Florentinorum copias, animo nihil conſternatior, tempus jam adeſſe ratus, quo fortuna univerſæ Tuſciæ imperium ſibi exhiberet, quod nimirum hoſtes non magis proſpera in Piſano, quam Seravallenſi agro ſorte pugnaturos, atque à ſecunda hac clade jam nullam ipſis ſpem ſuper futuram arbitraretur, etiam ipſe militem ſuum legere, atque exercitum XX M. peditum, equitum vero IIII M. cogere cœpit, atque ipſe quidem cum exercitu ad Fucechium conſedit, Paulum vero Guinigium cum copiis V M. Piſas pugnare juſsit.

Situm eſt Fucechium in agro Piſano loco omnium reliquorum munitiſsimo, quod tam Guſcianam Arnumque fluvios ab utraque parte habeat, quam ſatis edito in colle conſtitutum ſit, quo quidem in loco Caſtruccius neque annona ab hoſte, quæ vel Luca vel Piſis ſubveheretur, intercludi, niſi is exercitum dividere mallet, neque etiam commode vel oppugnari, vel etiam ab hoſte Piſas deflecti poterat, altero ſiquidem caſu à copiis Caſtruccii atque Guinigii medii intercipi, altero vero non niſi ſummo diſcrimine, ob hoſtem vicinum, Arnum trajicere poterant.

Atque

Atque Caſtruccius quidem, quo eos in hanc poſteriorem ſententiam inclinaret, conſulto Arni ripam occupare noluit, ſed exercitu juxta Fucecbii muros diſpoſito, ſatis amplo ſpatio ab Arno ſeceſſerat.

Ergo Florentini, poſtquam S. Miniatum in poteſtatem redegiſſent, iterum deliberare, an Piſæ obſidendæ, an potius Caſtruccius petendus eſſet, atque utroque accurate diſputato, tandem ad Caſtruccium invadendum inclinavere. Erat ſiquidem Arnus id temporis non adeo plenus, quin vadari poſſet, licet milites ad humeros, equites vero ad ephippia usque mergendi eſſent.

Decima ergo Junii die Florentini exercitu in aciem diſpoſito, primo equitum partem, agmenque X peditum M. flumen trajicere voluere. Caſtruccius vero, qui animo omnes jam caſus exploraſſet, occaſionibus intentus, agmine V. peditum, globoque equitum III. M. his obviam progreſſus præterea mille peditibus partim inferiore, partim ſuperiore ex ripæ parte collocatis, manus cum ipſis antequā ripam alteram conſcēdiſſent, cōſerere cœpit. Florentinus ergo pedes tam armis onuſtus quam aquis madidus erat, neque porro omnibus vortices ſuperare licuerat, equitum vero primi protrito alveo inſequentibus aditum difficilem reliquerant, adeo ut equorum alii pavidi dominos erecti excuterent alii ipſo cæno profundiore immoti hærerent, adeo ut exercitus duces ſuperiorem ripam, num forte ea alveo exæſo præruptoque minus eſſet, tentandum imperarent, verum etiam illi in peditem Caſtruccii per ripam depoſitum, atque leviter parmis jaculiſque armatum impingentes, crebris tam clamoribus quam jaculis excepti fuere, ut porro etiam hac ex parte equi qua vociferationibus qua vulneribus perterriti, nulla concitatione moveri ultra poſſent.

Interea apud Caſtruccium ſtrenue utrinque pugnabatur, multique tam hinc quam illinc cadebant, magnoque pariter animo utrique ad victoriam adſpirabant: Caſtruccianus quidem miles Florentinum

in fluvium repellere, at ille Caſtruccium à ripa propellere, quo etiam reliquis trajiciendi locus eſſet, nitebatur, ducesque utrinque animum ſuis tam verbis quam opere addebant. Caſtruccius quidem ſuos monere, hunc eum ipſum hoſtem eſſe, quem nuper ad Saravallem tam feliciter profligaſſent. Florentini vero ſuis animi imbecillitatem, quod à paucis ſeſe vinci paterentur, exprobrare.

Tandem Caſtruccius, poſtquam pugnam protrahi, ſuosque pariter ac hoſtes jam defatigatos animadverterat, recens agmen V.M. peditum vocare, eosque à tergo ſuorum qui pugnabant collocato, primis imperare cœpit, ut ordines aperirent, ac tanquam fugam molituri ad dextrâ pariter atq; ſiniſtram deflecterent, eaque ratione Florentinis copiam progrediendi aliquam facerent. At illi jam defatigati, poſtquam in recentem iſtum militem offendiſſent, non magno molimine repreſsi inq; flumen repulſi fuere. Inter equites porro hactenus æquali Marte pugnatum fuerat, Caſtrucciano ſiquidem utpote numero inferiori, injunctum erat, ut impetum modo hoſtium ſuſtineret, quod Caſtruccius ſperaret, profligato Florentinorum pedite, nullo deinceps labore etiam equitem ſuperari poſſe, atque id quidem ex ſententia conſecutus eſt: poſtquam etenim peditem hoſtium in flumen jam repulſum animadverteret, immiſſo, quem reliquum habebat, ut equitatum hoſtium haſtis atque jaculis ex latere impeteret, pedite, omnem etiã equitatum, ſuorum equitum virtute à fronte ſtrenue præterea oppugnatum, in fugam egit. Duces nihilominus Florentini exercitus, cum difficultatem, qua cum equites pro aditu confl.ctabantur animadverterent, pedites ſuos ex inferiore fluminis parte trajicere nitebantur, quo illi ex latere equitem Caſtruccii peterent, verum quod ripa undique prærupta eſſet, præterea à pedite Caſtruccii occuparetur, nil egerunt.

Ergo profligatus tandem univerſus exercitus, magnam Caſtruccio gloriam peperit, exque tanto militum numero vix tertius cladem evaſit. Devenêre in

Caſtruccii

Caſtruccii poteſtatem permulti ducum, Carolus vero Regis filius, Michael Agnolus Falconius, Taddeusq; Albizius Florentinorum ad exercitum legati Empoliũ fuga petiere. Potitus fuit Caſtruccius præda ingenti, ſiquidem ex exercitu Florentino XX. M. CCXXXI. milites deſiderati fuere, ex partibus Caſtruccii MDLXX. occubuere.

Verum fortuna ipſius gloriæ inimica, cum vitam viro tribuere debebat, eum ipſa ſpoliatum, ejusq; conatus, multo jam tempore occaſionem opperientes, morte, quæ ſola obſiſtere iis poterat, [illegible]ſos voluit. Caſtruccius ſiquidem, ob labores in prælio exantlatos ſudore diffluens, à victoria in ipſa Fucechii porta, ut exercitum victorem gratulabundus exciperet, tum ut hoſtibus, ſi quid ultra forte conarentur, obviam commode ire poſſet, aliquandiu ſubſtitit, boni ducis eſſe arbitratus, primum equum conſcendere, poſtremumq; eundem relinquere: Quo in loco diutius moratus, ob ventum, qui ſub meridiem ex Arno oriri, utq; plurimum peſtifer eſſe ſolet, totus obriguit. Atq; ea quidẽ res ab ipſo, laborib. innutrito primitus neglecta, præſentaneæ mortis ipſi cauſa fuit, nocte ſiquidem proxima vehementiſsima febre correptus, poſtquã morbum invaleſcere, eumq; tã ex medicorũ ſententia, quam proprio judicio lethalem eſſe animadverteret, vocato ad ſe Paulo Guinigio, eum hunc ad modum alloqui cœpit.

Si mihi, fili dilectiſsime, in mentẽ veniſſet, fortunã in ipſo ad gloriã curriculo, quã ex tot tãtisq; ſecũdis ſucceſsib. ſperare mihi licebat, metã mihi interrupturã, equidẽ tã minus laborũ atq; diſcriminũ adiiſſẽ, quam minus hoſtiũ, licet fortaſsis minore cũ imperii amplitudine, tibi poſt me reliquiſsẽ, ſiquidẽ imperio Luccẽſiũ atq; Piſanorũ cõtentus, Piſtorienſes occupare Florẽtinosq; tot injuriis provocare intermiſiſsẽ, ſed potius eorũ amicitia cõparata vitã ſi nõ diuturnã, at certe quietã magis vixiſsẽ, imperiumq; ſi nõ adeo amplũ, at proculdubio ſecurum atque firmum magis in te transmiſiſſem. verum fortuna, quæ arbitrium rerum

humanarum ſibi eripi nuſquam patitur, neq; tantum judicii, quo id mature depræhendere, neque, tantum temporis, quo id ſuperare potuerim, mihi elargiri voluit. Noviſti porro, ſiquidem permulti id te edocuerunt, neq; id ego unquam negavi, qua ratione adhuc puer in ædes patris tui devenerim, omnis nimirum ſpei iſtius inops, quæ animos generoſos excitare ſolet, quam porro inſigni amore ab eo educatus, atque filii inſtar habitus fuerim, adeo ut ipſius ductu ad eam virtutem fortunamque conarer, quam tu ipſemet percipere potuiſti, atque etiamnum vides. Nec te latet, poſtquam obiens & te, & omnes ſuas fortunas mihi concredere ipſi viſum fuit, quanta porro cum fide ſollicitudineque & te habuerim & eas immenſum amplificaverim. Quo vero omne in te transmitterem tam quod à patre tuo tibi relictum, quam quod ſecundo meo genio meaque virtute paratum eſſet, eam ob rem ab uxore ducenda animo alieniore fui, ne forte amor liberorum, ulla ex parte amorem meum animumve gratum memoremque retardaret, quem manibus parentis tui me debere perſuaſiſsimus eram. Relinquo ergo tibi imperium ampliſsimum, idque non mediocri cum animi mei ſatisfactione, quod vero id tibi intutum infirmumque deſtituam, id porro medullitus doleo. Habes civitatem Lucccenſem, quæ nunquam æquo animo imperium tuum latura eſt, habes Piſas, hominibus nobilibus atque fraudulentis refertas quæ quidem licet ſervitutem variis temporibus ſervire jam edocta ſit, nihilominus Luccenſem dominum nunquam lubenti animo feret. Piſtorienſes denique minus fides habes, tam quod diviſi, quam à nobis recentibus injuriis irritati fuerint. Habes vicinos Florentinos provocatos, atque infinitis injuriis à nobis affectos, nec tamen deletos, quibus quidem mors mea jucundior erit, quam ſi imperio univerſæ Tuſciæ potiti fuiſſent. In Mediolanenſibus atque in Imperatorem quod recumbas, nihil habes, remoti ſiquidem ſunt, pigri, auxiliaque ipſorum lenta. Ergo nulla alia in re tibi obſecto

ſpes

ſpes ſit,quam in tua induſtria,atq; in memoria, quam virtus mea atque exiſtimatio ex recenti victoria partanobis peperit, qua quidem ſi dextre ubi noveris, non mediocre momentum ea, ad firmandam cum Florentinis pacem tibi conferre poterit,quos quidem, ob recentem,cladē eandē avide amplexuros vero conſentaneū eſt. Quos ergo mihi hoſtes eſſe volui, quod nimirum perſuaſus eſſem, eorum amicitiam mihi potentiam atque gloriam paraturam, eos omni ſtudio tibi ambiendos inque amicitiam pelliciendos ſuadeo atque exhortor, ſiquidem eorum amicitia tibi magno commodo atque utilitati cedere queat. Non mediocriter ſane ad hanc vitam commode agendam facit, *ſe ipſum noſſe, atq; tam animi quam imperii ſui vires dejudicare*,ut qui bello ſeſe imparem animadverterit,is artibus pacis ſeſe tueri diſcat, Atque eô quidem te animo tuo deflectere velim, quo eà via meis periculis atque laboribus commodum perfrui queas, quod porro facile aſſequeris, modo monitis hiſce meis fidem adhibere velis,eaque ratione duplici nomine mihi obſtrictus tenebere, primo quidem, quod hoc imperium in te transmiſerim, deinde ut ejus conſervandi author tibi fuerim.

Poſt hæc vocatis Lucceníium, Piſanorum atque Piſtorienſium qui ipſi militabant, iisque Sacramento in fidem Pauli Guinigii obſtrictis, diem extremum clauſit, reliquitque apud eos, qui fama eum noverant felicem ſui memoriam, penes eos vero, qui eo amico uſi fuerant, tantum ſui deſiderium, quantum vix ullum imperatorem quocunque tempore poſt ſe reliquiſſe conſtet. Excepit oſſa ejus templum S. Franciſci apud Luccenſes,funusque habuit tanto imperatore dignum.

Guinigius vero nec virtutem nec fortunam adeo amicam ac Caſtruccius expertus eſt, ſiquidem haud multo poſt Piſtorienſium,inde etiam Piſanorum dominio excidit,Luccenſe quin etiam imperium vix ægrè obtinuit, idque in Paulum pronepotem uſque ſuum tranſmiſit.

Fuit ergo, ut jam docuimus, Caſtruccius vir non modo iſtius, verum etiam multorum quæ anteceſſerant ſæculorum plane rarus. Erat ſtatura regia, quæ communem excederet, cujusq; membra debita ſymmetria ſibi invicem reſponderent, aſpectu adeo amœno, tantaque humanitate conſpicuo, ut nemo unquam minus ſatisfactus ab eo recederet. Crine erat ſubrubro, ad aures reſecto, quos nulla temporis injuria tegere ſolebat, amicis gratus, hoſtibus terribilis, erga ſubditos juſtus, erga exteros infidus, quiq; nũquam in viribus victoriam reponeret, ſi aſtu vincere poſſet. ajebat ſiquidem, *ipſam victoriam, non vero modum victoriæ gloriæ eſſe.* Nemo eo audacior ad ſubeunda pericula, nemo cautior ad ea devitanda, ſolebat dicere, *hominibus omnia conanda eſſe, neque ulla ex re paveſcere. Deum ſiquidem viros fortes curare, poſtquam ſemper imbelles fortioribus plectere ſoleat.*

Mirus etiam erat in ſermonibus, ſive quid acute, ſive urbane dicendum eſſet, ſicuti vero eo in genere nemini parcere, ita etiam eodem animo alios ipſum mordentes ferre ſolebat. Adeo ut multa exſtent tam acute ab eo dicta, quam æquo animo in ipſum prolata, cujusmodi hæc ſunt. Cum aliquando ſturnum Hungarico emiſſet, eamque ob rem ab amico quodam repræhenderetur, dixit, tu fortaſsis eum vix ſolido emiſſes: cum ille, vera loqui ipſum reſpondiſſet, dixit: At pol ego Hungaricum longe minoris facio. Cum adulatori ignominiæ cauſa in os aliquando exſpuiſſet, isq; dixiſſet, piſcatores unius piſciculi adipiſcendi cauſa perſæpe toti madefiunt, atque ego, quo balæna potiar, ſputum recuſarem? id Caſtruccius non modo æquo animo tulit, verum etiam adulatorem præmio affecit. Cum quidam eum repræhenderet, quod nimis laute cœnaret, reſpondit. Atqui ſi id vitio verteretur, non tam ſplendidis conviviis dies ſanctis noſtris feſtos exciperemus. Cum in platea aliquando adoleſcentem ex lupanari egreſſum, atque quod ab ipſo animadverſus fuiſſet, rubo-

re

re perfuſum vidiſſet, noli, dixit, verecundari quod inde exeuntem te videmus, ſed potius cum ingredi volueris. Cum amicus ipſi nodum affabre implicatum ad exſolvendum eum exhibuiſſet, ſtulte, inquit, an me id diſſoluturum arbitraris, quod etiamnum compactum tantum mihi faſtidium parit? Philoſopho cuidam dicebat, vos inſtar canum agitis, eosque qui plus vobis cibi offerunt, ſectamini. At ille reſpondebat: At pol medicos æmulamur, eorumq; ædes inviſimus, qui opera noſtra potiſsimum indigere videntur. Cum à Luccenſibus Piſas verſus nave veheretur, tempeſtateque ſubito exorta Caſtruccius turbaretur, à quodam qui nihil ſe timere dicebat, puſillanimitatis argui cœpit, cui reſpondit, id ſe minime mirari, quemvis ſiquidem animam ſuam tanti æſtimare, quantum ea valeat. A quodam interrogatus, quid ſibi faciendum eſſet, quo exiſtimationem mereretur? dixit, fac ad convivium vocatus ne lignum ligno inſedeat. Cum quidam jactaret, multa ſe legiſſe: ſatius foret, reſpondit Caſtruccius, plura te menti impreſsiſſe. Alio jactanti, quod multum vinum ingurgitando non inebriaretur, dixit, idem etiam bos præſtat.

Erat Caſtruccio adoleſcentula, cum qua ſeſe oblectare ſolebat, ejus rei à quodam amico repræhenſus, præſertim, quod ignominioſum eſſe diceret, ipſum à muliercula capi: falleris inquit Caſtruccius, ego illam potius cœpi, quam ille me. Alter cum moneret, cibis eum delicatioribus veſci, à Caſtruccio interrogabatur, an ipſe non tantum in ejusmodi cupedias erogaturus eſſet, cumque id minime quidem gentium alter reſpondiſſet, ergo te magis avarum, quam me heluonem eſſe teſtaris. A Bernhardo Taddæo cive Luccenſe opulentiſsimo & ſplendidiſsimo ad cœnam vocatus, inque cubiculum deductus variis aulæis exornatum, pavimento etiam ipſo lapillis, qui varios colores, frondes, floresque expri-

mebant,

mebant, ſegmentato, Caſtruccius copioſa ſaliva collecta, eam in os Taddei inſpuit, atque ejus rei turbato dixit, Equidem nihil loci videbam, quem minore cum injuria conſpurcare poſſem. Interrogatus, qua morte Cæſar occubuerit? dixit, Utinam etiam mihi ita occumbere daretur! Nocte quadam à viro nobili vocatus, quo diem ſolennem hilariter inter nobiles fœminas atque ſaltationes duceret, atque præter dignitatem tripudiis iſtiusque generis recreationibus vacare viſus, ejusque ab amico admonitus, dixit. Qui interdiu ſapiens ſit, vix unquam noctu deſipere videri queat. Cum quidam ab eo rem petiturus eum acceſsiſſet, Caſtrucciusque tanquam non auditum præteriiſſet, alter ad genua ejus provolutus, ejuſdem nomine inſtare cœpit, eam ob rem à Caſtruccio objurgatus, at tu pol ipſe in cauſa es, dixit ille, qui aures in pedibus geras: quo quidem dicterio plus, quam petierat, adeptus eſt. Solebat dicere, viam ad inferos valde proclivem eſſe, quod nimirum imâ peterentur, idque oculis clauſis. Cum quidam permultis verbis, aliquid impetraturus, eum oneraſſet, dixit. Si quid deinceps tibi à me petendum ſit, vide ut id per alium agas. Alter cum prolixa oratione quiddam ab eo rogaſſet, tandemque dixiſſet, fortaſsis tædium tibi ſermo meus pariat, nihil omnium, dixit Caſtruccius, ſiquidem nihil eorum, quæ dixeras, audivi. De quodam qui tam puer, quam adultus formoſus habebatur, ſolebat dicere, Nimirum ipſum injurium eſſe, qui puer maritos uxoribus, audultus uxores maritis abalienaret. Invidum ridentem interrogavit an quod alius male haberet, rideret? Dum adhuc ſub imperio Franciſci Guinigii ageret, interrogatus à ſodali, quid vis ut tibi dem, quo alapam à me patienter feras? galeam reſpondit. Cum quendam civium Luccenſium, à quo potentia auctus fuerat, ſupplicio affeciſſet, atque veterem amicum interfeciſſe repræhenderetur, falleris inquit, ſiquidem recentem hoſtem necavi.

Laudare ſolebat eos qui nuberent, nec, tamen uxores,

res domum deducerent, non ſecus ac eos, qui navigaturos ſeſe dicerent, nec tamen navigarent. Mirari ſeſe dicebat homines, dum videat eos ollas teſtaceas coementes, prius eas ictibus tentare atq; explorare, at uxores dum ducunt, viſu ſibi ſatiſfactum putare. Interrogatus aliquando, quem in modum mortuus ſepeliri cuperet? Facie inverſa, dixit: noviſſe ſe ſiquidem ſe mortuo, omnem iſtam provinciam peſſum ituram. Interrogatus ſi pro redimenda anima ſua unquam in cœnobium abire in animo habuerit? nunquam, reſpondit, iniquum ſiquidē ſibi videri fratrem Lazarum Paradiſum, Huguccionem contra Faggiolanum orcum petere. Interrogatus, quando commedere ſanitati potiſsimum conduceret? Reſpondit, ſi dives ſis, cum fame urgearis, at ſi pauper, cum poſſis. Cum aliquando obſervaſſet nobilem ex ſua familia ad aſtringendas caligas famuli operam adhibere, utinam, inquit, etiam ejus manibus cibus tibi ore excipiendus ſit! Cum quendam ædibus ſuis inſcriptione perciperet, *Tueatur eam Deus à malo*, dixit primus ergo ipſemet eam non intret. Cum ad viam humiles anguſtasque ædes conſpexiſſet, quibus maxima janua erat, dixit, Ædes hæ per januam fugituræ videntur. Coram legato Regis Neapolitani, ob bona exulum in fiſcum redacta, cum aliquantum commotior altercando ſui oblitus fuiſſet, atque à legato monitus fuiſſet, an non iram tanti Regis metueretur? viciſſim interrogavit, num bonus an vero malus Rex ille eſſet? poſtquam bonum intellexiſſet, quid agis igitur, dixit, ut à viro bono mihi metuam? Permulta alia narrari poſſent, ab ipſo acute atque ingenioſe pariter & graviter dicta, verum hæc in teſtimonium ejus induſtriæ ſufficiant.

Vixit annos XLIIII, omnemque fortunam ſupergreſſus eſt: ut vero ſecundæ multa ſuperſunt monumenta, ita etiam adverſæ veſtigia exſtare voluit, ſiquidem compedes, quibus in carcere onuſtus fuerat, ad turrim ædium ſuarum affigi curavit, ut perpetuum ejus ſiniſtræ fortunæ monimentum manerent.

Cumque

Cumque neq; Philippo Macedone Alexandri magni patre, aut Scipione Romano ulla ex parte inferior fuerit, ita quoque parem vitæ rationem terminumq; adeptus eſt, atque proculdubio utrumque eorum ſuperaſſet, ſi ipſi loco Luccenſium vel Macedonia vel Roma patria obtigiſſet.

FINIS.

783712

INDEX NOMINUM ET RERUM IN OCTO LIBRIS FLORENTINÆ Hiſtoriæ Nicolai Machiavelli contentarum.

A

Acrina vallis 268.
Adaulph. ducis uxorem Placidiam Impp. ſororem 2.
Adolphus Imperator Germ. 35
Adorna familia illuſtris Genuenſium 240
Admoniti in Republ. Florentina qui 129
Admonitis via ad dignitates paratur 140
Ægidius Cardinalis collapſum Eccleſiæ ſtatum in Italia reſtituit 45. 46
Æneas Piccolominæus 350
Ærarium Florentiæ ſpoliatū 143
Ærarium qua exhaurire ſoleant 293
Agapetus II. Pontifex Rom. 19
Agnoli Acciaivoli epiſtola ad Petrum Mediceum. 381. *literæ ad Coſmum Mediceum ſcriptæ intercipiuntur* 224
Agnolus Acciaivolus Epiſcopus Florent. 111. *in exilium pulſus & quare.* 224. *privatas alit inimicitias cum Mediceis & unde* 371
Agnolus Pergolenſis univerſam ferè Flaminiam occupat 194
Agnolus proditorem punit 194
Alamanno Salviati demandatur provincia belli contra Luccenſes 210
Alaricus Veſtrogothorum rex Imperium oppugnat 2
Albarum & Nigrarum partium origo Florentiæ 76
Albarum partium principes 77
Alberghettino carcer Coſmi Medicei 221
Albericus Tuſciæ dux Romam defendit 18.
Alberti Rom. Regis filia Florentiæ 90
Albertorum familia Florentiam revocatur 237
Albi Florentia expelluntur 80. *reſtituuntur* 80.
Alboini Langobardorum regis res geſtæ 11. *eius interitus* 12.
Albitiorum & Ricciorum familiarum diſſidium 127. *contentiones.* 130.
Albitiorū partes amplificatæ 136.
Albitius in exilium mittitur 229.
Alexander II. Pontifex Rom. 21.
Alexander III. Pontif. Rom. 25
Alexander V. Pontif. Rom. 49.
Alexander VI. Pontifex Roman. 43
Alexander Sforcia Florentinos ſubſidio mittitur 340
Alexandriæ urbis initium 26.
Alphonſus Aragoniæ rex, regno electus 52
Alfonſus Arragon. rex captus à Genuenſibus 239

Alfonſus

Alfonſus à Philippo libertati reſtitutus 240

Alfonſus cur pacem univerſalem ægrè tulerit 344

Alfonſus rex Florentinis bellum infert 313. *Florentinos regno eiicit.* 333. *rex Genuenſes bello petit.* 348. *in Florentinos movet.* 336. *Neapolim occupare nititur.* 238. *triremes Florentinorum profligat.* 314

Alfonſi regis mors 349

Amalphianum principatum in Antonium Pontificis nepotem transfert Ferdinandus rex Arrag. 350

Americus Donatus accuſatus 93

Amideorum familia Florentiæ 59

Amiterni à rege deficiunt 455

Amiterni hodie aquila. 455

Amoris erga patriam exemplum inſigne 73

Andreæ Mauroceni Veneti legati cum Franciſco comite contentio 253

Andreas Hungariæ rex à coniuge interficitur 44

Andreas Strozzius tyrannidem Florentiæ quærit 120

Anghurium Caſtrum 285

Angli Germaniæ populi 3

Animi infracti exemplum 194

Animi proditorii exemplum 194

Annalena uxor Baldaccii Anghiarii, ædes in monaſterium convertit 302

Anni Jubilæi Romani initium 36

Annus Jubilæus à C. annis ad L. reducitur 45

Antipapa ab Imperatore.Germ. conſtituitur 97

Antonius Adimarius conſpirationem detegit. 112. *invitus equeſtri ornatur dignitate* 115

Antonius Guadagnius capite plectitur 257

Antonius Gualanda Borzanam arcem defendit 341

Antoniu Juſtinianus Venetorũ Legatus captus 446

Antonius Roſſius Luccenſium tyrannum opprimit 212

Antonius Taſſinus Galeazii viduam ducit 434

Antverpiæ celebrat comitia Pontifex Romanus. 24

Appua hodie Pontremolis 458

Aquila olim Amiterni 455

Aquileia ab Attila obſeſſa & occupata. 4. *vaſtata* 7

Arragoniæ rex Renatum univerſo regno exuit 299

Arces Veronæ S. Petri & S. Felicis 270

Archiepiſcopus laqueo Florentiæ ſuſpenſus 415

Arcolanus Volaterranos Juſtum opprimit & urbem Florentinis reſtituit 202

Aretini cum Florentinis fœdus faciunt 117

Arnolphus Germanorum Imperator primus 18

Arriana hæreſis in Africa 8

Artificum claſſium authoritas Florentiæ 69

Aſola Venetis addicitur 298

Aſtorrii crudele facinus 207

Aſtorrius Legatus ad bellũ Lucenſibus inferendum. 206. *ob crudelitatem admonitione Florentiæ notatur* 209

Aſtulfus Longobardorum rex 15. & 16

Attalarius Gothorum rex 9

Athenienſis ducis ingenium 117

Athenienſis dux tyrannidẽ exercet in Florentinos 96

Atheſis fluvii curſus 270

Attila Hunnorum rex, Italiam invadit. 4

Avennio-

Avenio urbs Eccleſiæ Romanæ donata 45
Avitus Imperator 5
Auximum hodie Oſimum 458

B

Baldacci Anghiarii robor 301. *interitus* 302
Balia dictatura 359
Balnearum vallis à Florentinis abenatur 340
Balthajar Coſſa fit Pontifex 50
Bandolinum caſtrum 268
Baptiſtæ Cannetenſis fortuna 236
Baptiſta Canneſchius in tũba deliteſcens productus interficitur 305
Bardi Manzinij virtus 190
Bardus Freſcobaldus in Jacobum Gabrielem Eugubinum conſpirat 99
Bardus Mancinius Benedictum Alberti in exilium pellit 169
Bartholomæus Orlandinus vindictæ cupidus cædem meditatur 302
Bartholomæus Senſius Cortonam ab inſidijs liberat 284
Baſilienſe concilium.257. 444
Beliſarius Neapolim & Romam occupat 9
Beliſarius Romam recuperat 10
Bella in Italia incruenta 232
Bellum Alfonſi regis cum Genuenſibus 239. *contra Luccenſes à Florentinis decretum*. 206 *in Flaminia*. 235. 308. *in Longobardia reſuſcitatur*. 299 *inter Gibellinos & Guelphos ingens*. 31. 37. *inteſtinum Florentiæ* 73. 77. 82. 83. 86. 90. 101. 114. 119. 121. 127. 138. 142. 152. *in Volaterranos* 397
Benchus Buondelmontius Guelpharum partium reſtituendarum author 103
Benedictus Abbas ſanctitatis opinione illuſtris 10
Benedicti Alberti in exiliũ exeũtis oratio. 169. *Alberti peregrinatio & obitus* 170
Benedictus Alberti in exilium pellitur. 169. *Alberti patriæ & libertatis amans*.164. *Reipub. adminiſtrationem affectat*. 167. *tumultum excitat Florentiæ* 141
Benedictus XI. Pontifex Rom. 36
Benedictus XII. Pontif. Rom. 43
Benedictus XIII Pontif. Rom. 48
Beneventum ad Pontificem redit 351.
Bentivoglii nothi fortuna memoranda 306
Bentivogliorum familia Bononiæ 305
Berengarijs in Italia regnum ademptum 19
Berengarius Italiæ rex creatur 18
Bernardettus Mediceus 291
Bernhardi Nardi conatus in Mediceam familiam 391
Bertacii immane facinus 76
Bertoldus Urſinus Romandiolæ præfectus 133
Bertonio Cinio lingua præciditur 111
Bibiena caſtrũ occupatur à Piccinino, eiusq. ſitus 282
Blanca Sforciæ deſponſata 234
Blancorum familia unde 76
Blaſii Melanenſis infractus animus 194
Bleda Attila frater occiſus 4
Boccolinus à Laur. Mediceo perſuaſus Oſimum Pontifici reſtituit 458
Boetij interitus 7

Bohemorum rex Longobardiam penetrat 98
Bombardæ in Italia primum conſpectæ 46
Bondelmontij Florentini 59
Bondelmontius Florentiæ ob ſpretam ſponſam occiditur 60
Bonifacius Africæ præſes Vandalos evocat 3
Bonifacius IX. Pontif. Roman. 48
Bonifacius VIII. Pontif. Rom. 35. 36. 45
Bonifacius Pontifex partes Nigrorum & Alborum conciliare ſtudet 78
Boni homines in magiſtrat. Florent. electi 91
Bonorum hominum magiſtratus Florentiæ 67
Borſi Ferrariæ ducis obitus 387
Braccius bellum gerit cum Sfortia 52
Breſciæ ſitus 267
Breſcia Venetis addicitur 198
Breſcianus ager à Piccinino occupatur 260. 269
Breſcianus ager devaſtatus 446
Britannia Inſula hodiè Anglia 3
Britones Anglia eiecti 3
Brunelleſci conatus in Luccenſibus mergendis 211
Burgundia à quibus dicta 3

C

Cæſaris Petrucci laqueo collo inſerto oratio ad Bernhardum 393
Cæſar Petruccius Pratenſium rector 391
Calabriæ dux comitē Monterii per inſidias capit 455. Pōtificē bello petit 442. Senenſiū arbiter 437
Calixti Pontificis mors 350
Calixtus III. Pontif. creatur 345
Campana Martinellæ 62
Campus Aldinus 70
Cancellariorum familia apud Piſtorienſes 75. 76
Cādia Inſula Venetis acquiſita 42
Caneſchiorū familia Bononiæ 305
Caneſchij Bononia à civibus pulſi 305
Capitaneorum inſolentia in notandis civibus 129
Capitaneorum partium origo 147
Cardinalis S. Sixti conatus 399
Cardinaliū dignitas cōfirmata 21
Cardinalitiæ dignitatis initium 17
Cardinalitiæ ſuperbiæ & luxus exemplum 399
Caravaggianum caſtrum à Mediolanenſibus obſidetur 317
Carceres publici effringuntur Florentiæ 115
Carceres publici Florentiæ fieri cœpti 75
Carminator iuſticiæ vexillum nudis pedibus incedens geſtat 156
Caroli comitis mors 430
Carolus Andii Baro 81
Carolus Andium dux Manfredum interimit 65
Carolus Andius Vicarius Imperij conſtituitur 68
Carolus Angius rex Siciliæ ac Neapolis creatur 32
Carolus Bohemiæ rex Imperator Rom. 35. 47
Carolus Burgundiæ dux adverſus Turcas 369
Carolus Calabriæ dux de Imperio Florent. urbis ſollicitatur 95. fatis concedit 97
Carolus Deiphob. Florentinarum copiarum dux 429
Carolus Durazzius Hungariā occupat 168. regnum Neapolitanum occupare nititur 163
Carolus Durerius Neapolitanum regnū occupat 47

Carolus Magnus Florentiam reſtaurat 58. *Galliæ rex & Imperator in occidente* 16. 17
Carolus Martellus Saracenos ad Turonem cædit 15
Carolus IV. Imp.Germ. feuda in Italia conſtituit 43
Carolus rex Senenſes premit 401
Carolus Strozzius in vitæ periculo 141
Carolus Valeſius ad Rempubl. Florent. reformandam à Pontifice miſſus 79
Caſcianum arx 431
Caſpar Vicomercatius ſuadet Mediolanenſibus ut ducem Sforciam recipiant 330
Caſſianum caſtrum horrenda tempeſtate affligitur 347
Caſſiolorum diris hodie Tagglia cozzum 448
Caſtellettum caſtrum 352
Caſtellina occupata 426
Caſtellinum non ſatis munitum ab ignavo exercitu non expugnatur 357
Caſtiglio Peſcaia vocata 345
Caſtrucarum arx 384
Caſtruccius Caſtracanus Gibellinorum princeps 91. *Fagiolanum exturbat* 90. *Florentinos profligat* 95. *moritur* 97 *occupat Piſas* 96. *Piſtoriam occupat* 94
Cataſtum exactionis genus apud Florentinos 196. 358. *potentiores Florentiæ ferre non poſſunt* 199. *proſcinditur* 197
Celeſtinus III. Pontif. Roman. 28
Celeſtinus V. Pontifex Rom. 35
Cerchii cum Gibellinis cur proſcripti 81
Cerchiorum familia viget Florentiæ 75. 77
Ciarpellio cur à comite in vincula coniectus 307
Cignanum caſtrum obſidione cinctum 296
Cives Florentini admonitione notati 162. *in exilium pulſi* 170. *proſcripti* 178
Civitatum Italiæ inter Principes diſtributio 40
Civitatum Longobardiæ fœdus adverſ. Fridericũ Imper. 29. 30
Civiũ patriæ amantiũ oratio 130
Clades ex luſu 75
Claſſes opificum Florent. renovantur 85
Claſſes quatuor Reipubl. Florentinæ 118
Claſſis Alfonſi regis contra Florentinam Rempubl. 337
Claſſis Venetorum Galipolim occupat 449
Clemens II. Pontifex Rom. 20
Clemens V. Pontifex Roma 36
Clemens VI. Pontifex Rom. 43
Clemens VIII. 46
Clementiæ ob paſſam iniuriam exemplum 319
Clephes Longobardorum rex 13
Collegiũ admonitione notatũ 139
Coloniæ quid 55
Coloniarum utilitas 55
Colũnenſes à Põtifice oppreſſi 448
Colũnenſiũ familia Romæ floret 35
Comes Franciſcus animum ſubdolum gerit, ſeq. ſuſpectum omnibus reddit 260
Comes Mirandulanus vir divinus 463
Comitiæ Ferrariæ indictæ 312
Compagniæ in Rẽpubl. Florent. 82
Concilium Baſileæ ab Imperatore indictum 444
Concilium Baſilienſe 257. *Cõſtantiæ* 50. *Lugdunenſe* 31
Conradinus Conradi Imperatoris filius 31. 32
Conradus Friderici Imperatoris filius 31

Conradus II. Sueuus Imper. German. 20
Conſpiratio in Petrum Mediceum 374
Conſilium Credentiæ in Reipubl. Florent. 67
Conſilium L XX. ciuium Florentiæ conſtitutum 436
Conſtantinopolis à Turcis occupata 343
Conſules Romæ eſſe deſinunt 29
Cõuẽticula quouſq; prohibita 130
Conventiculorum ciuium Florentin. cauſa 189
Corſus & Americus Donati carceres publicos effringunt 115
Corſus turbat Rempubl. Florentinam. 81. 85. *proſcribitur.* 86. *occiditur* 87
Cortona à Piccinino tentatur 284
Coſmianæ partes in partes ſcedunt 396
Coſmi Medicei reſponſio ad Venetorum expoſtulationes. 332. *vita.* 214. 215. *&c. obitus.* 360 *eius vitæ curriculum & mores.* 361. 362. *&c.*
Coſmus Barbadorus obtruncatus 237
Coſmus Mediceus inſidijs petitus & in vincula coniectus. 220. 221. *in exilium mittitur.* 223. *ab exilio reuocatur.* 229. *cenſet utile eſſe Italiæ Sforzam Mediolano potiri.* 328. *legatus ad Venetos ob comitem Franciſcum conducendũ proficiſcitur.* 254. *Florentiam triumphans ingreditur.* 230 *legitima via poteſtatẽ cupit* 350 *Ioannis filius* 193
Crucigerorum expeditio 24
Crucis ſignum Chriſtianorum teſſera 346
Crudelitatis in dedititios exemplum 207
Crux Pontificum arma. 32. 35

D

Dantis poetæ ædes diruuntur 61
Decemuiri contra Philippum Vicecomitem Florentiæ creati 184
Deſiderius Longobardorũ rex 16
Dictaturæ urbis Florentinæ partes ad nihilum deducuntur 181
Dictaturam deponendi ratio apud Florentinos 170
Dietiſalui Neronis animus ſubdolus in Petrum Mediceum. 370. 371
Dietiſaluus Venetos in Patriam armare non veretur 383
Diſcordiarum fructus. 71. 146
Diſſidia malorum fomentum in Rebuspubl. 125
Dominicanorũ ordinis initium 29
Donatorum familia Florentiæ 59
Donatorum & Cerchiorum familiarium ſimultates. 75. 77
Donati Acciaiuoli Legati obitus 428
Donatus Acciaiuolus in exilium eijcitur 175
Donatus Vellutus quare in vincula coniectus 226
Druſiana Franciſci ducis notha Piccinino nubit 368
Ducis Veneti ſententia de Longobardia tuenda 278

E

Eccleſiæ Romanæ & Græcæ diſſidia 257
Electorum in Imperio German. origo 20
Epiſcopi Florentini inconſtãtia 119
Epiſtola Agnoli Acciaiuoli ad Petrum Mediceum 381

Epiſtola

Epiſtola Petri Medicei ad Agnolum Acciaiolum 382
Equeſtris dignitas in præmium inter populum recenſetur 130
Exteros Rempublicam adminiſtrantium 182
Eubœa Inſula à Turcis capta 187
Everhardus Mediceus. 215. Ioannem exſtimulat ad inimicos perſequendos 193
Eugenius Papa à Sforcia Piceno exutus 234. agit de pace inter Genuenſes & Mediolanenſem 246. pacem ignominioſam metuit 334. Roma pulſus 228. 234. Roma iterum potitur 235. Papa moritur 310
Eugenius II. Pontifex 17
Exactionis norma à lege non hominum libidine pendens 196
Exactionum Florentiæ accerbitas 189
Exercitus varij in Italia 127
Exules Florẽtini ad ducem Mediolanenſem 142. reſtituuntur 166. revocantur 67. in occupare tentant 84
Exules patriam occupare fruſtra tentant 93
Exules Prato expulſi 494
Exules Venetos in patriam concitant 383
Exulum Florentinorum occulti conatus de patria recuperanda 175. 177
Ezelinus occupat multa Italiæ loca. 30. 31

F

FAllacia fallaciam trudit 326
Familiæ fatales & exitioſa Rebuspublicis 134
Familiæ Florentiæ ob coniurationem proſcriptæ 178
Familiæ permultæ nobiles Genuenſium 240
Familiarum diſſenſio atq; diviſio unde 240
Familiarum partium origo Florentiæ 59
Fantini Canis obitus & teſtamentum 51
Fargannaccius Coſmi Medicei in carcere detẽti cauſam agit 222
Farrinata patriam ab interitu vindicat 64
Fatum Reipubl. Venetæ 340
Ferdinandus Alfonſi regis filius patri ſuccedit 349
Ferdinandus Alfonſi regis nothus Fluvianum oppugnat 336
Ferdinandus rex profligatus 352
Ferdinandus rex undequaq; ſeſe munire ſtudet & quibus rationibus 367
Ferrariæ comitias indicit Papa 312
Ferrariæ ducis obitus 387
Ferrariæ ducum origo 30
Ferrariæ Marchioni Mutina & Rhegium dantur 335
Ferrarienſis Marchionis contentio cum Venetis 441
Flaminia bello infeſtata. 235. hodiè Romania 234
Flaminia omnis Pontifici eripitur 259
Feſulani Florentiæ conditores 57
Feſulanorum everſio 58
Florentia ab Henrico Imp. Germ. obſeſſa 88. fortuito tumultu concitata. 127. ob inſidias in Mediceam familiam detectas tumultuatur 418. Peſte devaſta 124. Romæ comparata 125 ſeditione turbatur 99. ſubiecta Imp. German. 58
Florentiæ bellum [illegible] oritur 73. 77. duces [illegible] notati 129. exactionum accerbitas 189. Guelphorum & Ghibelli-

norum partes verſantur 62. incendium 83. incrementum 7. 57. inteſtina bella ſuſcitantur 199. Libertas venalis 133. nomen unde 57. 58. nova Proſcriptiones inſtituuntur 359. ob Cataſtum exactionis normam contentio 197. Opificum claſſes conſtituuntur 65. 66. origo à Feſulanis 57. pugna inter cives 66. vaſtatio & reſtauratio 58. urbis amplificatio 70

Florentiam occupare tentant exules ſed fruſtra 84

Florentinæ Reipub. alia diſpoſitio 171. conſtitutio LVI civib. committitur 135. diſſenſio 219. forma mutata 65. 67. 69. mutatio 90. nova conſtitutio 166. 171. 237. ſtatus mutatur 115

Florentinam Rempubl. Carminator gubernat. 156. 157

Florentina Reſpubl. duos magiſtratus habet 158. exploratores ſagaciſſimos alit 275. in ſex claſſes diſtributa 62. Laurentium Mediceum in clientelam recipit 424. priſtinam tranquillitatē recuperat unius Gonfalonerii virtute 152. reſtituitur 118. 123

Florent. Reſpubl. tyrannicis rationibus ſtabilita 238

Florentini ab Alfonſo rege bello petuntur 313. amittunt Piſanum agrum 214. à Pontifice ad generalē Concilium provocant 425. à Venetis eiecti 333. auxilia undiq; petunt per oratores 334. bellum contra Lucenſes cogitant 203. at diverſis ſententiis 204

Florentini bellum cum Ladislao rege Neapolitano gerunt 179. bellum in Lucenſes decernunt 206. bellum reſtaurant 429

Florentini Cardinalem quem in cuſtodia habebant Pontifici cedunt 425. cives de proditione ſuſpecti in vincula conjiciuntur 161. conciliant ſibi Pontificis benevolentiam 256. contra Caſtruccium exercitum ducunt 94. cum Aretinis fœdus ineunt 117. cum Ferdinando rege & Galeazio fœdus renovant 384. cum Huguccione infeliciter pugnant 89. cum Luccenſibus & Senenſibus pacem firmant 214. cum Mediolanenſi duce bellum gerunt 177. cum Piccinino confligunt 286. 287. cum rege Galliæ fœdus ineunt 335

Florentini decernunt bellum in Philipp. Viſcontium 184. depoſito Novello, Eugubinum præficiunt exercitui minus feliciter 89. ducis Athenienſis tyrannide premuntur 96. & ſeqq.

Florentini errata ſua in bello commiſſa ſibi invicem exprobrant 432. fœdus cum Peruſinis & Faventiæ domino pangunt 400. fœdus ineunt cum hoſtibus Pontificum 137. Franciſcum Sforciam pecunia corrumpunt 212

Florentini garruli 440

Florentini imbuuntur moribus Gallorum 110. in Caroli Durazzij gratiam victoriam celebrant 158. in duas partes diſtracti 252. ingenti belli ſumptu ſibi egeſtatem & diſcordiam parant 108. in multas partes diſtracti 83. in peſſima conditione 435. interdictionem Pontificis

Pontificis reſpuunt ac Concilium cogunt 425
Florentini Legati ob Breſciã liberandam Venetias miſſi 277
Florentini legatos ad Sforciã gratulatum mittunt 331. *Luccam emere nolunt* 97. *Luccã obſidet* 247. *Lucenſib. pacẽ dant* 255. *montem Carlum occupant* 250. *obſidione cingunt Luccẽſes* 211. *omni ditione excidunt* 117
Florentini petunt auxilia à Roberto rege Siciliæ 83. *Pontificias copias profligunt* 430. *Poppij comitatum occupant* 290
Florentini Popul. immanitas 116
Florẽtini poſtulant Renatum 342. *provocati à Legato Põtifici inferũt bellũ* 157. *recuperata libertate Rẽpublica reſtituũt* 97. *recuperat quæ in Flaminio amiſerant* 198. *regi adjunt* 456. *Rempubl. reſtaurant* 303. *Roberti regis filio Carolo Imperium urbis deferunt* 95
Florentini Serezanam recuperant 454. *ſervitutem precib. amovere conantur* 105. *ſubigunt Piſanos* 179. *ſupplices Pontifici* 438
Florentini venales 219
Florentini Venetorum auxilia ambiunt 195. *Venetos amicitiam petentes admittunt* 261. *Victoria uti neſciunt* 431. *Vollaterram obſident* 201
Florentinis à Pontifice pax conceſſa 439. *cum onere impoſito ibid. auxilia petentibus denegantur* 457. *fortuna tandem favet* 430. *interdicitur ſacris* 68. 78. 82. 83. 421
Florentinorum cum Genuenſibus bellum 452. *cum Venetis fœdus* 214. *exercitus à Piccinino profligatus* 213. *exercitus fugatus* 186. *fœdus cum Sforcia* 332. *literæ & lamentationes* 255. *miſerrima conditio* 109. *mores corruptiſſimi* 395. *orator finibus Venetorum prohibitus* 335. *proſcriptiones* 236. *victoria* 288. *vigilantia* 334. *triremes à Regia claſſe profligatæ* 314
Florentinus populus dicterijs inſectatur Dominos 187
Fluvjanum ab Alfonſi notho oppugnatur 336
Fœdus Bononienſium cum Venetis 305. *inter Florentinos & regem Galliæ* 335
Fœderati in Venetos 445. 447
Fortebraccius comes 234
Fortebraccius cum Sforcia pugnat 234
Fortebraccii interitus 236
Fortunæ malignitas prudentia ſuperari poteſt 135
Fortuna Florentinis propitia 430
Fortuna magis amica bellum inferentibus quam propulſantibus 185
Fortuna memoranda nothi Bentivoglij 306. 307. *&c.*
Francia quando ſic appellata 3
Franci occupant Galliam 3
Franciſcanorum origo 29
Franciſci comitis clementia in iniuriantem 319. *cum Republ. Veneta tranſactio* 320. *querela de ducis inconſtantia* 204. *reſponſio ad expoſtulationem Mediolanenſium* 324
Franciſcus auro ſe corrumpi patitur 212
Franciſcus Carmignuolus dux celeberrimus 195. *veneno petitur* 196

Franciſcus Carara Patavii dominus 48
Franciſcus comes à Mediolanenſibus ad ſtipendia vocatur 311. à Piccinino undiq; circumventus 297. Breſciam petit 319. cum duce Medioláneſ. tranſigit 255. cum Venetis de ſtipendio tranſigit 277. ducis copias profligat 284. dux Mediolanenſium declaratur. 331. Florentinos auxilia contra Mediolanenſes rogat 327. Florentinos mirè eludit 354. fluctuat an duci ſuppetias ferre poſſit. 309 310. in Longobardiam à Venetis proficiſcitur 253. Longobardiam relinquere & in Tuſciam contra Venetorum voluntatem cogitat 278. Mediolanenſibus ſua ſtudia & copias offert 311. Mediolanenſib. ſuſpectus 317. Mediolanenſium dux factus Ticinenſes recipit 316. Placentiam capit 317. Venetos aſtu in amicitia retinet 325. Venetos fallaces fallit 326. Veronam celeritate recuperat 272
Fráciſcus dux Genua potitur 367
Franciſcus dux Mediolanenſis diem obit 369
Franciſcus Orſus comitiis vita inſidiatur 459
Franciſcus Salviatus Gonfalonerius Florent. 100
Franciſcus Sforcia Peſciam tentat, Buggianum & Stibanum occupat 212. eiusq; geſta, vide Franciſcus comes
Franciſcus Salviatus Piſarum Epiſcopus 410
Franciſcus Spinola Philippo duci ſuſpectus in exilium abit 241 tumultum excitat Genuæ 341
Fregoſa familia nobilium Genuenſium 240
Fregoſi Joannem Genua petere conantur 351
Freſcobaldi vincuntur Florentiæ 102
Friderici Barbaroſſæ interitus 28
Friderici Malavoltÿ adhortatio ad Coſmum Mediceum 221
Friderici II. Imperatoris Germ. res geſtæ 29. 30. &c.
Fridericus I. Imper. Germ. Barbaroſſa cognominatus 25. eius res geſtæ 26
Fridericus Malateſta Florentinû exercitus dux 315
Fridericus Malavoltius Coſmum Mediceum carcere cuſtodit 221
Fridericus Marchio Mantuanus moritur 447
Fridericus II. Imper. Germanos copias Gibellinos defendit 65
Fridericus III. Imperator Romæ coronatur 338
Fridericus Urbinas belli dux moritur 444
Fridericus Urbinatium comes Florentini exercitus dux 384
Fridericus Urbinatium dominus Florentinorum dux militaris 313
Fridericus Urbinatium princeps imperatorum Italiæ præſtantiſſimus 400

G

Gadolus Parmenſis Pontifex Romanus 25
Galeazii ducis tyrannis 402
Galeatius Franciſco Mediolanenſium duci ſuccedit 369
Galeazius in templo trucidatus 405
Galeazius Mediolani dux 45

Galeazius Viſcontius fratricida 47
Galeottus Faventinorum regulus ab uxore occiditur 460
Galipolis à Venetis occupatur 449
Galliæ regis adverſus Pontificem bellum 47
Gallia Francia & Burgundia dicta 3
Gallicæ modernæ linguæ origo 8
Galli omnes in Sicilia interficiuntur 34
Gallorum mores Florentiam occupans 110
Gargari montis caſtellum à Saracenis extructum 18
Genſericus Romam ſpoliat & occupat 5
Genſericus Vandalorum rex 3
Genua à Saracenis devaſtata 19
Genua Franciſco Galeazio cedit 367
Genuenſes Carolo VII. regi Gallorum imperium offerunt 349
Genuenſes ab Alfonſo rege bello affliguntur 348. *à Viſcontiorũ imperio priſtinam libertatem recuperant* 46. *capiunt Alfonſum regem* 239. *claſſem regis Renati profligant* 353. *deficiunt à Mediolanenſis imperio & quare* 426. 427. *Florentinos bello petunt.* 457. *Gallorum imperij pertæſi* 352. *in Gallum arma capiunt* 352. *libertate authore Spinola potiuntur* 142. *prælio ſuperati* 458
Genuenſis Reipubl. cõſtitutio 249
Genuenſium cum Florentinis bellum 452
Genuenſium cum Venetis bellum ob inſulam Tenedon 46
Georgij Sancti mons Genuæ 459
Georgij Scalij inſolentia. 163
mors 165
Georgius Ginorius eques Rhodius Pratum liberat 394
Gerardi Gãbacortæ perfidia 340
Germani Venetis bellum movent 458
Germanus quidam miles Piccininum in ſacco portat 269
Giannozius Salernitanus dux belli celebris 168
Gherardinus Spinola Luccam emit 98
Ghiarardada provincia occupata à Venetis 308
Gibellini Florentiâ pulſi 63. *Florentia ſubacta reſtituuntur* 64. *profugi* 67
Gibellini qui vocati fuerint in Italia 30
Gibellini reſtitui 69
Gibellinorum bona rediguntur in fiſcum 68
Gibellinorum cum Guelphis bellum. 31. 37
Gibellinorum partes & principes in Italia 61
Gibellinos lex à Reipubl. adminiſtratione Florent. excludit 128
Gildo Africanæ Imperij partis præfectus 2
Ginius quædam oppida recuperat 290
Giottus pictor celeberrimus 98
Girfaleum Firmianum 234
Græca & Romana Eccleſiæ diſſidia 257
Græci cedunt Romanis ob Turcarum impreſſionem 257
Gregorius III. Pontifex 15
Gregorius V. Pontifex Rom. 19
Roma expellitur 20
Gregorius X. Põtifex Roman. 46
Gregorius XI. Pontif. Roman. Italiam per Legatos male adminiſtrat. 136

Gregorius XII. Pontif. Rom. 49
Gualtherus dux Athenienſis vices Imperii urbis Florentin. ſuſcipit 95. eius tyrannis 96. & ſeqq. 103. 104. & ſeqq.
Guelfæ partes reſtituuntur 130
Guelfi circumveniunt Pontificis hoſtes 137. Florētię eiecti 61. obtinēt vexillū Sedis Pontif. 65
Guelfi qui vocati fuerint 30
Guelfi viribus augentur apud Parmenſes 65
Guelphorum & Gibellinorum origo 21
Guelphis in patriam redeundi ſpes facta 91. ſed irrita 92
Guelphorum partium principes in Italia 61
Guido Bonatus Aſtrologus certum horæ momentum victoriæ prædicit 21
Guido Buttifolanus Comes Florentinis præficitur 90
Guidonis Comitiis in Republica Florent. formanda conatus 66
Guilielmi Neapolitani regis obitus 28
Guilielmus Ferabar Tancredi filius 22. Apuliam occupat 22
Guilielmus Scaliger 48
Gulielmus Sceſius unà cum filio trucidatur 116
Guinigius Luccenſium dominus Volaterranorum legatum cōprehendit & Florentiam mittit 201
Godefredus potens in Italia 20
Gonfaloneriii ædes qualis eſſe debeat 174
Gonfalonerii dignitas 140
Gonfalonerius vexillifer Florentinus 71
Gothorum nomen in Italia extinctum 10
Gothorum occidentaliū irruptio 1
Gothorum Orientaliū irruptio 4

H

Hadrianus V. Pontifex Roman. 32
Hannibal Bentivoglius à Canneſchiis interfectus 305
Hannibal Bentivoglius Bononia potitur 309
Haſtiludium Florentiæ celebratum 374
Heinrico Angliæ regi quid pænitentiæ loco ab Pontifice impoſitum ob Thomam Cantuariæ Epiſcopum interfectum 27
Heinricus Imperator bis ex communicatus 21. exules reſtituere conatur 87. Florentiam obſidet 88
Heinricus Lucenbergenſis 38
Heinricus II. Bavariæ dux. Imp. German. 20
Heinricus III. Imper. German. 59
Heinricus IV. & V. Imperator Germ. 2
Heinricus VI. Imperator Germ. 36
Heraclius Imperator 14
Hercules Ferrarieſis Marchio Florētinorū copiis præficitur 426
Hieronymi comitis cædes 459
Hieronymus Machiavellus Florētiæ relegatur 359. & necatur ibid
Hieroſolymæ reges 2. ſunt etiam Neapolis reges 29
Hieroſolymitanorū militū origo 2
Hiſpanicæ modernæ linguæ origo 8
Honorius III. Pontif. Rom. 29
Hugnccio Faggiolanus 85. 87. 88. à Caſtruccio exturbatur 90
Hunni à Berengario repreſſi 18 occupant Pannoniam 3
Hydruntum à Turcis occupatum 437
Hydruntum regi reſtuitur 441

I

Iacobi Pazzij ſepultura ignominioſa 419
Iacobus Guicciardinus legatus ad caſtra 430
Iacobus Marchiæ comes Neapolit. rex ſalutatur 51
Iacobus Pazzius Florentinorum nobiliſſimus 409
Iacobus Picciminus in carcere necatur 368. *Mediolanum cum copiis concedit* 368. *nothum Franciſci du is in uxorem ducit* 368. *primus copiarum dux in univerſa Italia auditur* 367 *Senenſibus bellum infert* 345
Iacobus Venetianus legatus Lucenſium Florentinos clanculum ad bellum incitat 204
Ildoadus Gothorum rex 9
Imola furtim occupata 186
Imola reſtaurata 13
Imperator dignitate ſua privatus à Pontifice Romano 21
Imperator Germ. feuda conſtituit in Italia 43
Imperator Otto IV. à Pontifice excommunicatus 29
Imperatori Romano ius quod in urbe habebat à Pontifice adimitur 27
Imperii in Oriente ruina 14
Imperii mutatio quã periculoſa 7
Imperium Romanum ad Germanos translatum 18
Incendium Florentiæ exortum 83. 142. 152
Innocentius III. Pontifex Rom. 29
Innocentius IV. Pontif. Rom. 31
Innocentius V. Pontif. Roman. 68
Innocentius VI. Pontif. Rom. 45
Innocentius VII. Pontif. Rom. 49
Innocentius VIII. Papa creatur 449
Inſidiæ in Coſmum Medicеum 215
Inſidiæ in Galeatium 408
Inſidiæ in Petrum Medicеum detectæ 375
Inſidiæ in Piſanos detectæ 214
Inſontes vi publica ad ſupplicium rapiuntur 162
Ioanna Regina Neapolit. 53. *maritum occidit* 44. *moritur* 258
Ioannes Agutus belli dux celeberrimus 163
Ioannes Andius Genuẽſiũ Princeps mittitur ad regimen 349
Ioannis Andreæ Lampognani oratio ad D. Ambroſium ob cædem perpetrandam 404
Ioannes Archiepiſcopus Mediolano ſolus potitur 45
Ioannes Baptiſta Monteſeccius bellica virtute inſignis 411
Ioannes Biccii primus fuit qui è Mediceorum familia fere oppreſſa emergeret 182
Iohannes Bohemiæ Rex 98. *urbes Italiæ occupat* 40
Ioannes Cambius proditionis accuſatur 163
Ioannes de Firmo Papa 26
Ioannes Delabella patriæ ſtatum reformari curat 72
Ioannes Franciſcus Gonzaga Veneti exercitus dux 247
Ioannes Franciſc. Pallæ Strozzy filius mercatorũ ditiſſimus 383
Ioan. Fregoſius inſidiatores pellit 351. *Neapolitani regnũ negligit* 352. *regno Neapol. pulſus* 353
Ioannes Galeazius comes cognomento virtuoſus 39. *primus dux Mediolani* ibid.
Ioannes Galeazius Viſcontius Longobardiæ Princeps belliсоſus 171
Ioan. Guicciardinus Lucca obſidione cingit 211. *pecunia corruptus male adminiſtrat bellum* 213

Ioannes

Ioannes Hannibalis Bentivoglij filius cur Reipubl. administrat. non adhibitus 306
Ioannes Hieroſolymæ rex 29
Ioannes Maria Mediolanenſis dux 39. 48
Ioannes Mediceus Florétinis diſſuadet bellum contra Philipp. Viſcontium 183. legem exactionis publicè laudat 196
Ioannes Vaivoda Turcas ad Belgradum vincit 346
Ioannes Ventimiglianus captus 345
Ioannes XXII. Pontif. Rom. 37
Ioannes XXIII. Pontif. Rom. 50
Ioannes Vitelleſch. Cornetanus Alexandrini Patriarcha eius authoritas 274. Floretinis formidabilis 275. eius ruina 276
Ioannes Vitelleſchius Patriarcha Reinaldum permovet 228
Ioannis Bentivoglii interitus 401
Ioannes Galeazij Viſcontij obitus 179
Ioannis Medicei animi conſtantia. 193. authoritas apud plebem 191. conſilium de Cataſto exactionum 198. exhortatio ad filios ante obitum 199 ingenium pacis ſtudioſum 191 vitæ inſtitutum 200
Ioannis Pazzii uxor hæreditate paterna ſpoliatur 409
Iordanus Comes 63
Italiæ civitates & provinciæ diſtractæ 53 conditio dubiæ fortis 233. principes confœderati 54 regulorum fides fluxa 262. vires fractæ. 53. 54
Italia cur tot Rerumpubl. mutationes paſſa 68. diviſa in duas partes Pontificis conatus 408. in Imperatorias & Pontificias partes diviſa. 59
pacem univerſalem conſequitur 344. peregrino milite referta 48. Pontificis ambitione in duas partes diſtracta 399. vario exercitu afflicta 427
Italica lingua quomodo exorta 8
Itali milites ſub titulo. S. Georgij conſcripti 48
Italorum militum ignavia 431
Iubilæus annus quinquagintæ annorum termino 45
Iubilei Romani author 36
Iudicia hominum incerta 133
Iudicum XII. Collegiũ Romæ 19
Iuliani Medicei funus, eiusq; mite ingenium 420
Iulianus Mediceus Laurentij filius 189. 390. interficitur nefariè 415
Iuſtinianus Imperator Beliſarium conſtituit ducem 9
Iuſtinus Imperator 10
Iuſtus quidam plebeius Prior eligitur 209

L

LAcus S. Andreæ 368
Ladislaus Neapolitanus rex 49. 50. bellum gerit contra Florentinos 179. moritur ibid
Lanam exercens tribus Florentiæ ſeditioſiſſima 148
Lando Eugubinus exercitui Florentin. præficitur 89
Lapus Caſtilionecchius hoſtis Reipublicæ declaratus 143
Lapus Guelphorum dux turbat Rempubl. 138
Laurentii Medicei oratio gravis ad Florentinos dominos 421 ſententia de Volaterranis compeſcendis 397. obitus, eiusq; vita & mores 464

Laurentius Mediceus ad regem Neapolitan. orator 433. apud regem ſumma cum laude oratorem agit 435. & pacem Florentinis impetrat 436. à ſicariis vulneratur. 415. authoritatem omnem recuperat 440 Claricem Urſinam ducit uxorem 386. in clientelam Rei publ. Florentinæ recipitur 424 Petri filius 389 390
Laurentius Petri Medicei filius in Haſtiludio palmam obtinet 372
Laurentius Ridolfius 189
Legati Imperatoris reguumq; Galliæ & Hungariæ pro Florentinis 428
Legatus Florentinus finibus Venetorum prohibitus 135
Legatorum Pontificis avaritia & ſuperbia 136
Legatorum mitigatione bellum inteſtinum componitur 74
Leonardus Venetus legatus Mediolani interimitur 330
Leonatum caſtrum Venetis datur 298
Leo III. Pontifex 17
Lex ad compeſcendam notationem Capitaneorum 129
Lex multarum calamitatum fons 128
Libertas apud Florentinos ſemper venalis 133
Libertas libertatis nomine opprimitur 132
Ligurinum hodie Livorno 452
Literæ Patriarchæ ad Piccininũ inſolito charactere conſcriptæ intercipiuntur 275
Liverno olim Ligurium 452
Lodinii ad Venetos concedunt 311
Longinus conſules & Senatum abrogat Exarchus Ravinæ 10
Longobardiæ civitatum fœdus in Fridericum Barbaroſſam Imperatorem 29
Longobardia unde nominata 17
Longobardicum bellum reſuſcitatur 299
Longobardi in Italiam vocantur 11. quamdiu in Italia 17
Lotterius Florent. Epiſcopus 82
Lucæ Pitii caſus cum ignominia 381. inſolentia & audacia 360
Lucas Pittius vir audax Dictaturam Florentiæ revocare ſtudet 359
Lucca à Florentinis obſeſſa 247. Florentinis venum offertur. 97. 103
Luccenſes à Florentinis obſeſſi 211 à Florentinis Petramſanctam poſtulant 454. obſeſſi ducem Mediolanenſem implorant 251 obſidione ſoluta Piſanum agrum Florentinis eripiunt 213 res Florentiæ turbatas componunt 82
Luccenſium legatus apud Florentinos bella deprecatur 204
Ludoicus Andius in Italiam trajicit 167. bellum cum Carolo Durazzio gerit 168. moritur 168
Ludoicus Angius in regno Neapolit. adoptatus 52
Ludovicus Bavarus Imper. German. in Italia 96
Ludovicus Fregoſius Serrazanam occupat 434
Ludovicus Galliæ rex bello petitus 366
Ludovicus Guicciardinus Juſtitiæ vexillifer 143
Ludovicus IV. Imperator Germ. 37. 39
Ludoicus Sforzius ad adminiſtr. Mediolan. recipitur 434.

Ludoicus Vngariæ rex Ioannam reginam è Siciliæ regno eiicit 44. 45.
Lues ſæviſſima Florẽtiã vaſtat 124
Luſus cauſa cladis 73

M

Maffeus Marradus virtute dirimit pugnam 101
Magiſtratum deponere coguntur Domini Florentiæ 155
Magiſtratus per urnam creandi mos 94
Mahumetes Turcarum Imper. Rhodium expugnat 437. *moritur* 441
Malateſtæ deficiunt à Venetis 278
Malateſta exercitus Florentini dux 103
Manfredus Friderici Imperatoris filius naturalis 31. 32
Manfredus Ghibellinos reſtituit 64
Manfredus Neapolis Rex Eccleſiam Romanam infeſtat 32
Manfredus vincitur & occiditur à Carolo Andium duce 65
Mantuanus Marchio a Venetis in partes ducis cedit 261
Maphæus Viſcontius tumultum excitat Mediolani 38. *& fit dominus Mediolani* 39
Marca olim Picenum vocabatur 234
Marchio Ferrarienſis cũ Venetis de urbis iure cõtẽdit 441. *ditionis maximam partem recuperat* 446
Marianorum contra hoſtes fidei Chriſtianæ expeditio 24
Mariottus Baldovinettus Reinaldi tyranno ſe opponit 224
Marradij caſtri amiſſio, eiusq; ſitus 280
Marradium caſtrum 280
Martinellæ Campana 62
Martinengha arx obſeſſa 296
Martinus Papa partium ſtudia reſuſcitat 69
Martinus IV. Pontif. Roman. 34
Martinus V. Pontifex Rom. 50
Maſtinus Luccam vendit 108
Maſtinus Scaliger Lucenſes ſub imperio habet 102
Maſius Albitius in vitæ periculo 176
Matthæus Aquaſpartanus Pontificis legatus 80
Mattheus Morozzius necatus 110
Matthias Hungariæ rex in expeditione contra Turcas 360
Mathildis Comitiſſæ obitus 25
Maximus Eudoxã Valentini Imp. uxorem ſibi nubere cogit 5
Medicei à Pazziorum familia inſidiis petuntur 410 411. &c.
Mediceorũ imperiũ firmatũ 390
Mediolanenſes averſantur Venetorum ſuperbiam 317. *comitem Franciſcum ad ſtipendia vocant* 311. *fame coacti de deditione cogitant* 329. *libertati ſeſe vendicant* 311. *lugent ob transactionem inter Sforciam & Venetos* 320. *Piccininis ducib. contra Sforciã ſe muniunt* 325. *Venetorũ auxilia implorãt* 325
Mediolanenſis cum comite ſe coniungit 198. *cum exercitu Florentinos & Venetos terret* 251. *Tuſciam occupare præſumit* 274. *in Florentinos bellum parat* 245. *ducatus adminiſtratio diſſidium parit* 426.
Mediolanenſis ducis copiæ profligata 308
Mediolanẽſis ducis de Venetis & Comite Frãciſco cõſultatio 258
Mediolanẽſ. expoſtulatio cũ Sforcia 321. *ducum origo* 37. *dux à*

Venetis in anguſtias addu-Etus 309. *dux diem obit* 310. *dux ieiunio Quadrageſimali valedicit* 395. *dux Luccenſibus obſeſſis auxilia mittit* 211. *dux Venetorum agros invadit* 336
Mediolani ducatus diſcinditur 48
Mediolani duces 39
Mediolanū expugnatur ab Imp. Friderico I. 26. *qua fortuna ad Sforciam inclinata* 330
Mens humana nunquam ſibi ſatisfactum putat 196
Mens mali præſaga 404
Meſenia vallis hodie Valida mons. 461
*Michael Landonius carminator vexillifer iuſtitiæ.*156. *&c. in exilium pulſus* 167
Michelettus Venetarum copiarum ductor ad Carravaggianum caſtrum 317
Militiæ corruptus ſtatus 293
Militiæ Italiæ exemplum 337
Militiæ ratio deploranda 288
Militis infracti exemplum 194
Militum in Italia duo genera 233
Miniati templū iuxta Florētiā 20
Modoecia hodie Montechium 303
Monaſteria Florentiæ direpta 142. 143
Monachus de coniuratione ſuſpectus 178
Monialis nubit Imperatori 28
Monrealis Gallus in Tuſciam exercitum ducit 127
Mons S. Georgii apud Genuenſes 450
Mons Sanſavinus obſidetur 426
Montechium olim Modoecia 303
Montes quid in Republ. Florentina 154
Montorij comes in vincula coniectus 455
Mutina & Regium Ferrariæ Marchioni donata 335
Myſterium ſacrum cædis 414

N

NArdorum conatus ad Mediceā familiā evertendā 391
Narſes Longobardos in Italiam vocat 11
Narſetis Eunuchi res geſtæ 10
Neapoli reges non poſſunt eſſe Imperatores Romani 32
Neapolis ab Alfonſo Arragoniæ rege infeſtata 438. *Alfonſo cedit* 300.
Neapolis reges ſunt etiam reges Hieroſolymæ 29
Neapolitanū regnū feudū Roman. Pontif. 32. *Normandis ereptū ad Germanos transfertur* 28
Nepotes Pontif. Romanorum 34
Nerii Ginii Caponii oratio ad Senatū Venetū 264. *prudētia* 313
Nerius Ginius Caponius legatus Florentinus ſplendide Venetiis exceptus 264. *diſſuadet compoſitionem cum rege Alfonſo* 315. *non cenſet conſultum Mediolanenſes à Sforcia occupari* 327. *quare Coſmo Mediceo maximè ſuſpectus* 301. *Reinaldo ſubſtituitur in bello contra Luccenſes* 210
Nicolai Piccinini milites in Italia 233
Nicolai Pontificis mors 345
Nicolai Uzani conatus in Coſmo Mediceo opprimendo 215. *iudicium de Ioannis Medicei authoritate* 191. *pro patriæ tranquillitate conſilium* 216
Nicolaus Cerclius 79. 81
Nicolaus Eſtenſis Ferrariæ Princeps comitem & Mediolanenſem ducem concilias 294
Nicolaus Fortebraccius belli dux celebris 202

Nicolaus Laurentius Romæ Imperium arripit 44. interficitur 45
Nicolaus Mantuanus liberam Rempublicam diſcipulis commendat, quod male ceſſit 402
Nicolaus Papa ut pacem Italiæ reſtitueret comitias Ferrariæ indicit 312
Nicolaus Piccininus dux belli celeberrimus 188. in vincula deductus 195
Nicolaus Piccininus, vide Piccininus
Nicolaus Pratenſis Pontificis Legatus ſtatum Florent. turbatum reſtituit 82
Nicolaus II. Pontif. Roman. 21. 23.
Nicolaus III. Pontifex Rom. 33. 68 ambitioſus 34
Nicolaus V. Pontifex creatur 310
Nicolaus Soderinus magno applauſu fit iuſticiæ vexillifer 375. Venetos in patriam armare ſtudet 383
Nicolaus Vitellinus 399.
Nicolaus Uzanus bellum contra Luccenſes diſuadet 203. bellum in Luccenſes contra Reinaldum diſſuadet 204. & quibus rationibus 205. familiam Mediceorum ſublevare nititur 182
Nigri auſpicijs Caroli Valeſii reſtituuntur 97
Nigrorum & Albarum partes Florentiæ 76
Nigrarum partium principes 77
Nobiles turbant Rempubl. Florentinam 118 119. &c
Nobilitas omnis Florentiæ oppreſſa 123
Normãdia in Italiã unde dicta 22
Nothi Bentivoghi fortuna memoranda 306
Novellus comes Andriæ dux exercitus Florentin. 89
Nuceria urbs Sarracenis ab Imperatore conceditur 31
Nutus lictor pede uno ad furcas affixus 156. 157

O

Octavianus Sforcia fluminis peris 426
Octo viri militiæ præfecti in Republ. Florent. 156. 157
Octo viris excubitarum Florentiæ ius vitæ necisq; tribuitur 238
Odoacer Regis Italiæ titulum ſibi arrogat 5. cum filio interficitur 6
Odo comes Braccij filius exercitui Florent. moderator datur 188
Oddo comes in valle Miſèniorum oppreſſus 195
Oratio ad St. Ambroſiũ homicidiũ animo verſantis 404
Oratio Benedicti Alberti antequã iret in exilium 169. Cæſaris Petruccij collo inſerto laqueo 393. civium patriæ amantium 132. civis Florentini ſeditioſi 148. Coſmi Medicei pro Sforcia 327. Ioannis Medicei ad Rinaldum de mutando Reipublicæ ſtatu 192. Laurentij Medicei ad Florentinos cum ſolus bello peteretur 421. Legati Seravecenſium accuſãtis crudelitatem Aſtorrij 207. Luccenſis cuiusdam ſenioris pro urbe defendenda 248. Ludoi. Guicciardini pro ſedandis motibus 144. Mediolanenſis nomine Reipubl. cum Sforcia expoſtulantis. 321. Nerij Capponii contra Sforciam 327. Nerij Ginij Caponii in Senatu Veneti

Venetis 264. Nicolai Uzani de patriæ tranquillitate conſervanda 216. Petri Medicei in Florentinos ambitioſos 388. Pompilii comitis ad Ginium 290. Reinaldi Albitij ad Ducem 142. Reinaldi ad Pontificem Eugenium ob fidem minus ſervatam 229. Reinaldi Albitij ad ſedandos motus populi 187. 190. Salveſtri Alamanni Medicei filij 140. Veri Medicei pro civibus oppreſſis 173
Ordelaffus Foroiulij dominus 185
Oreſtes & Auguſtulus Imp. 5
Orſattus Iuſtinianus 277
Opificum claſſes Florentiæ conſtitutæ 65
Oſimum olim Auximum 458
Os porci Papa 18
Oſtaſius Polentanus Potificis nomine Rector Ravennæ 259
Oſtrogothi Pannoniã occupant 4
Otho Columnenſis fit Pontifex Roman. 50
Ottonis I. Imperatoris Germani res geſtæ 19
Otto II. Imperator German. 19
Otto III. Imperator. German. 29

P

Padalaſiũ Florentiæ munitiũ 75
Palandrana familia Florentinis inimica 391
Pallæ Strozzii dictum de conatibus aſtutis 225. eiuſq; conſilium ibid. & 226
Palla Strozzius in exilium mittitur 229
Pannonia Hungaria dicta 3
Parlamenta Florentinorum 166
Partium apud Florentinos origo 59
Partium novarum in Republ. Florentin. ambitio 160
Paſchalis I. Pontifex 17
Paſchalis II. Pontif. Roman. 24
Patria ingratæ exemplum 167
Patriæ ſtudium nonnunquam exitioſum 72
Patriarcha Alexandrinus maxima authoritate evectus 274. eius ruina 276
Patrimonium Petri in Italia 20. 53
Pavia olim Ticinum 311
Pauli Pontifici mors 387
Paulus Luccenſium tyrannus proditur 212. & perit 213
Paulus III. Pontif. creatur 369
Pax in Italia excluſis Gennenſibus 456. in Longobardia inſtituta 298. inter Florentinos & ducem 198. inter Florentinos & Galliæ regem Mediante Laurentio Medıceo confirmata 436. inter Florentinos Lucenſes & Senenſes 214
Pax & Pontif. ſunt hoſtes 449
Pax univerſalis Italiæ 344. ab Alfonſo rege turbatur 345
Pazzij ſicarii morte plexi 418. 419
Pazziorum coniuratio in Mediceos 410
Pazziorum familia Florentiæ ampliſſima 408
Pennoneriorum magiſtratus 93
Peſcheria Venetis pace conſtituta cedit 298
Peſarum olim Piſaurum 308
Peſtis Florentiæ 124
Petrarchæ Vaticinium 338
Petra Sancta obſidetur 452
Petri Albitij inverſa fortuna 102
Petri Medicei adverſarij diſtracti 378. & fugati 380. ægritudo 386. cauſa victrix 380. Coſmi filij inſtantum 370. epiſtola ad

ad Agnolum Acciaivolum 382 oratio ad Florentinos 388. verba in ſenatu pro ſui defenſione 379. vitæ inſidiatur 376. 377. obitus, ſepultura & filij relicti 389
Petrinus Fregoſius Joannem Genua pellere nititur 351
Petri patrimonium 53
Petri patrimonium quid nominetur in Italia 20
Petro Mediceo unde tot emerſere inimicitiæ 371. 372
Petrus à Bardis conſpirat in Reipub. principes 99. ſed improvidè 100
Petrus Arragoniæ rex 33
Petrus Arrogoniæ rex occupat Siciliam 34
Petrus Brancha populi Florent. dux accuſat Corſum 86
Petrus Fregoſius Genuenſium dux Imperium transferre cogitat 349
Petrus Ginius Capponius orator Luccæ in vitæ periculo 428
Petrus Joannes Paulus Urſinus Venet. exercitus dux 278. 279
Petrus Mediceus Claricem Urſinam filio locat 386. graviſſimè apud Venetos accuſatur 383. ob inimicorũ inſidias detectas arma capit 377. ſuadet Galeatij amicitiam non negligendam 373
Petrus de Murone pontif. Rom. 35
Petrus Roberti regis Siciliæ frater pro Florentinis pugnans occiditur 89
Philippi Brunelleſchi architecti inſtitutum de Luccenſibus aquis mergendis 210
Philippi iudicium de Alfonſo rege 239
Philippi Viſcontij anceps fortuna 51
Philippus Gallicarum rex 36
Philippus Mediceus Archiepiſcopus Piſarum 408
Philippus Mediolani dux 39. 48
Philippus Mediolanenſium dux eiusq; res geſtæ, vide Mediolanenſium dux
Philippus victoriam negligit 298
Philippus Viſcontius Florentinos tentat 184. Forolivio aſtu potitur 185. Genuenſes ſibi conatur ſubiicere 183. Imola noctu furtim occupat 186. occupat Breſciam & Genuam 183
Piancaldolinum caſtrum Florentini recuperant 460
Piccinini prælium cum Florentinis 286. 287
Piccininus à comite Franciſco profligatus 269. 303. à duce callide revocatus mærore conſumitur 304 eius laus & filij ſuperſtites 304. à Florentinis profligatur 287. à Sforcia profligatus 247. agrum Breſcianum occupat 260. 296. Bibienam capit 282. caſtrum Marradium deſertum occupat 281. claſſem Venetam profligat 268 Cortonam per proditionem capere tentat 284. Florentinorum exercitum profligat 213. in Genuenſes movet 245. in ſacco à Germano quodam in tutum conſtitutus 269. Peruſinos fruſtra tentat 283. Pontificem eludit 259. tranſitum in regnum Neapolitanum tentat 246. Veronam furtim occupat 271. vires recolligens comitem undiq; circumvenit 304
Piccininus & Sforcia adverſu ſe gerunt bellum 235 236
Picenum à Pontifice invaditur 299

Picenum hodie Marca vocatur 234
Pipinus Galliæ rex 15
Pipinus Italiæ rex 17
Piſæ ab Caſtruccio occupatæ 96
Piſani à Florentinis ſubacti 179. Imperatori rebellant 40
Piſarum incrementum 56
Piſaurum hodie Peſarum 308
Pius II. pontifex creatur 350. principes adverſus Turcam incitat 396. moritur 369
placcæ & comitis pugna 298.
placentia à Franciſco comite occupata 317
placentini ad Venetos concedunt 311
plebis Florentinæ ſeditioſæ poſtulata 154. 158
plebis furioſæ exemplum 116
plebs Florentiæ à nobilibus oppreſſa 72. Dominis magiſtratum extorquet 155
plinius correctus 58
plumbinum obſidione cingitur ab Alfonſo rege 215
podeſta quid Florentiæ 62
poloſinium Venetis ex pacto cedit 447
pomeria Veſtinorũ hodie Seſſa 238
pompilij comes à Florentinis deficit Ginio ſe committit 290
pompilij forum hodie poppiũ 255
pontifex Romanus ambitione ſua Italiam in duas diſtrahit partes 399. à piccinino eluſus 259 cognita Florentinorum fida amicitia eos fovet 457. difficilis erga Florentinos 438. 439. pontifex everſis proditionum artibus bellum movet 420. ex paſtore in Lupum degenerat 424. filios provincijs donat 387. Flaminia exutus 259. Florentinis & Venetis pacem ſuadet 344. Florentinis interdicit ſacris 421 Imperatori ius Romanæ urbis adimit 27. metu perculſus pacem petit 445. ob penuriam vicum vendit 295. à bem Chriſtianum in Turcas concitat 346. pacis hoſtis 449. picenum invadit 299. piccinino extincto de pace cogitat, principes in regnum concitat 455. regnum Neapolitanum in Petrum Ludovicum Borgiam transferre nititur 350. Rom. Imperatorem coronare renuit 29. Spoletum diripit 398. Eugenius Roma pellitur à populo 228.
pontificem pax iugulat 449
pontifices Romani cauſa omnium malorum in utroq; Imperio 15. cur proprium mutent nomen 18. tres Romani uno tempore 50. tres ſimul in Romana Eccleſia 20
pontificiæ copiæ à Florentinis profligatæ 430
pontificiæ Romanæ dignitatis origo 13. incrementum 17
pontificis arma contra Imperatorem 30. 31. Romani cenſura toti occidenti terribilis 20. filius Mediceam ducit 457. ingratitudo erga ducem Robertum victorem 444. Romani in Imperatorem German. auſus 21. inſignis ambitio 387. Legatorum avaritia & ſuperbia 136. Romani mira ambitio 34. novi motus in Turcas 369. Roman. Sedes translata 36. Eugenij aſtus 228
pontificius fiſcus Romæ 48
pontificum Romanorum artes 60 Roman. authoritatem fregit propria libido & dominandi cupiditas 35. 36. hoſtes fœdus ineunt cum Florentinis 137

incrementum 58. Romanorum ingenium irrequietum 33. Romanorum nepotes 34
pontremolis olim Appua 458.
poppij comitatus Florentinis cedit 290
poppium olim pompilij forum 255
popularis incōſtantiæ exemplū 153
populus Florentinus Rempubl. reſtituit 123
poſtulata plebis Florent. ſeditioſæ 154
præſagia mortem Laurentij Medicei antecedentia 464
pratenſium ingenia ſuperba & avara 391
pratū à Caſtruccio obſeſſum 91
pratum furtim occupatur 392
principes quæ ad fidem ſervandam adigere poſſint 440
priores artium, Libertatis priores vocantur 359
priores in magiſtratu Florentiæ 69. 70
proditorij animi exemplum 194
proſcriptiones & exilia Florentiæ 236. 380
proſcriptiones novæ Florentiæ 359
proſcriptiones novæ Florentiæ ſub Bardo Altovitio 386
prudentia fortunæ malignitatem ſuperat 155
puccius pucci Coſmi Medicei potentia ſtabilit 215

Q

Quæſtoris Veneti inſolentia & dicterijs in Sforcia 319
Quatuor decemviri Florentiæ 119
Quatuor Reipubl. Florentinæ claſſes 118

R

Raimundus Cordubenſis, exercitus Florent. dux 94
Raphael Riarius Cardinalis 413
Ravenna Pontifici donata 16
Ravennates in Venetorum clientelam ſeſe recipiunt 295
Regina Neapolitana moritur 238
Regius exercitus à pontificio profligatus 444
Reinaldi Albitij oratio ſedandis motibus accōmodata 187. 189 & 90
Reinaldi ad Sepulcrum Salvatoris profectio & obitus 289 conatus in opprimendo Coſmo Mediceo 219. conſternatio ob Coſmum Mediceum in exilio viventem 223. expoſtulatio Florentiæ coràm Decemviris 210. verba ad pontificem ob fidem minus ſervatam 229
Reinaldus Albizius ſeditionem movet Florentiæ 226. 228
Rainaldus bellum contra Lucenſes Florentinis ſuadet, & quibus rationibus 204
Reinaldus ob malè adminiſtratum bellum accuſatur 209
Reinaldi oratio ad Ducem Mediolanenſ. pro exulibus Florentinis 142
Reinaldus pontifice confiſus ab ipſo circumvenitur 228
Reipublicæ conſtitutio LVI. civibus committitur 135
Reſpubl. Florentinæ mutatio 143. nova conſtitutio 160. 166. 237
Reſpubl. Florent. collapſa reſtaurata 156
Renatus ab Arragoniæ rege univerſo regno exutus 299. ignominioſè à Genuenſibus profligatus 353. rex in Italiam vocatur 342. invito duce Galliam repetit 343. omni regno Neapolitano pellitur 300. rex Florentinorum & ducis ſtipendiarius 342

Reſpubl.

Reſpubl. Florentina mutata 157. 160. à potentiorib reſtituenda 190. reſtituta 303
Rerumpublicarũ amplificandarum ratio 55
Rhodij à Turcis expugnati 437
Ricciorum & Albiciorum contentiones 130
Ricciorum & Albitiorum familiæ diſſidium 127
Ricciorum partes enervatæ 136
Ringhiera Florentiæ 108
Roca caſtrum 241
Roccavandana arx 452
Robertus Ariminenſis Florentinorũ exercitui præficitur 400
Roberti Guiſcardi familia & origo 22
Roberti Siciliæ regis obitus, teſtamentum & hæres 444
Robertus Ariminenſis pontificis exercitus dux 443. regium exercitum profligat 444
Robertus Guiſcardus obſeſſo pontifici fert opem 21. & Romam vaſtat 22
Robertus piſanũ agrũ vaſtat 427
Robertus Sanſeverinus copijs Venetorum præficitur 442. cũ Sforcij fratribus Mediolanenſem ducatum invadit 433. dux belli celeberrimus 394. relegatur 427
Robertus Sigiſmundi Malateſtæ nothus 387
Robertus rex Neapoli 36
Rodolfus pertucius Coſmi Medicei reſtitutioni adverſatur 228. 234
Romæ caſtrum S. Angeli munitur 48
Roma Florentiæ comparata 125
Romanæ Eccleſiæ vires fractæ & reſtauratæ 43. cum Græca Eccleſia diſſenſio 8. 257
Romandiola Italiæ pars quando ſic appellata 17. pontifici ab Imperatore reſtituta 33
Romania olim Flaminia 234
Romani Imperij ruina quæ cauſæ 1. 4
Romanorum corrupti mores 338
Romanorum Imperium ad Germanus translatum 18
Romanum Imperiũ diſtractum 6
Romanus Græcorũ Imperator 18
Romanus populus pontifici refragatur 27
Roſimunda adulterium & in maritum perfidia 12. 13
Rovigium Venetis addicitur 447
Rudolfus Bardius Epiſcopi fluxam fidem arguit 119
Rudolphus I. Imper. Germ. 32. 35
Ruffinus orientalis Imperij præfectus 2
Rugerius Siciliam occupat 23

S

SAbaudiæ urbs eiusq; imperium in Franciſcum ducem confertur 366
Salatinus Saracenorum princeps 24
Salveſter Alamanni Medicei filius patriæ opitulari ſtudet 139
Salveſtro Medicео eripitur magiſtratus 158
Samminiatus in patriam coniuras & deprævenditur 178
Sanſeverinus à Germanis deletus 358
Sanctij nothi fortuna memoranda 306. 307. &c.
Santius Bentivoglius rebelles Bononia eiicit 334
Sarraceni Apuliam & Calabriã invadunt 18. vocantur ab Imperatore contra pontificem 31
Saracenorũ ſtrages ad Tironum urbem 15

Schiſma Eccleſiæ Romæ 8
Schiſma papale 20.21.25.47.49. & 50
Schiſma papale XL. annorum 51
Sciarra Cardinalis pontificem capit 36
Sclavi infeſtant Traciam & Illyriam 10
Sclavonia unde appellata 14
Seditio Florentiæ 72. 78. 82. 90. 92. 99. 101. 104. 119. 127. 130. 141. 147. 152. 155. 158. 162. 172. 176. 226
Seditio Mediolani à duobus civibus tenuis conditionis excitata 330
Sena extructa 7
Senenſes Florentiæ tumultum ſedare nituntur 115. in Florentinorum amicitia conſtantes 313. Volaterranis auxilia denegant contrà Florentinos 261.
Senenſium diſſidia nobilium imperio ſopita 461
Serazana à Florentinis recuperata 454. Florentinis reſtituenda pontificis arbitrio 457. à Piccinino expugnata 245. à Fregoſio occupata 455
Seraveza vallis in clientelam Florentinorum cedit 207
Seravecenſes crudelitatem Aſtorrij experiuntur & apud Florẽtinos conqueruntur 207
Serchius fluvius 211
Sergius pontifex 18
Seſſa olim pomeria Veſtinorũ 238
Sicilia Arragoniæ regibus in feudum cedit 35
Siciliæ & Apuliæ regnum inſtitutum 23
Sicilia eiectis Sarracenis Imperio Græcorum ſubiicitur 22
Sigiſmundi Malateſtæ Ariminenſium reguli obitus 387
Sigiſmundus Malateſta Ariminenſibus imperans 308
Sigiſmundus Malateſta bello petitus 349
Sigiſmundus rex Ungariæ fit Imperator German. 50
Simetitha Imperatricis pietas 20
Sixti pontificis cum Medicea familia ſimultas 399
Sixtus IIII. Pontifex creatur primus pontificiæ poteſtatis aſſertor 387
Sforcia pacem petijt 236
Sforcia Papã Eugenium piceno privat 234
Sforciæ militia celeberrima 233
Sforcia, vide Franciſc. Comes 320
Sforcia de Mediolanenſis ducatus adminiſtratione cotendũt 426
Sforcij fratres ducatum Mediolanenſem invadunt 433
Sforcijs ſecunda fortuna inviatiam conciliat 368
Sforza Cantignolius 51
Stephanus porcarius Romam ab Eccleſiaſticis vendicare conatur 338. interimitur 339.
Stephanus VIII. pontif. Roman 29.
Stilico occidentalis Imperij præfectus 2. perturbat Imperij ſtatum 2
Stinchæ arx Calvacantiorum 84
Studium erga patriam aliquando exitioſum 72
Spectaculum de Miſſione Paracleti templum incendit 395
Spectacula Florentiæ & ob quam cauſam 372
Spinola Genuenſes reſtituit libertati 142
Spoletũ à pontifice diripitur 398
Squittinorum mos in magiſtratu creando 94
Subſcriptio Sforcianarum literarum. 234
Sylveſter Medicens equeſtri dignitati

gnitate ornatur à populo 153
Symmachi interitus 7

T

T*Agliacozzum olim Caſſiolerum ditio* 448
Taldus Valerius Gonfalonerius Florentiæ 100
Tancredus princeps Normandorum 22
Tancredus rex Siciliæ 28
Tempeſtas Horrēda in Tuſcia 147
Templariorum ordo & militum Hieroſolymitanorum 24
Templum S. Reparatæ dedicatur Florentiæ per Pontificem 250
Templum S. Sancti igne abſumtum 395
Terracina redit ad Pontificem 351
Theodorici regis Gothorum laus & res geſtæ 6. 7
Theodoricus Gothorum rex Italiæ partem occupat 6. *Italiam reſtituit* 8
Theodorus I. Pontifex 16
Theodoſius devicit Veſtrogothos 2
Theodoſius II. Imperator 3
Thomæ Soderini modeſtia 189
Thomas Campofregoſius Genuenſium dux 183
Thomas Cantuariæ epiſcopus interfectus 26
Thomas Soderinus novas ſortitiones urget 376
Thuringi Italiam impetu ingrediuntur 5
Tiberius Imperator 12
Ticinum hodiè Pavia 311
Tricinum Sforciæ cedit 316
Tornaquinciorum domus Florentiæ 66
Torrenſium familia Mediolani 37
Totila Gothorum rex Romam expugnat 9. 10
Tredecemviri gubernant Remp. Florentin. 90
Tribus infimæ plebis Florentiæ abrogata 160
Tribus quænam Florentiæ omnium ſeditioſiſſima 148
Tumultus Florentiæ 418
Turcæ ad Belgradum profligati 346. *Euboiā inſulā occupant* 387. *Conſtantinopolim capiunt* 343. *Rhodum expugnant* 437
Turris ad S. Reparatæ Florent. 98
Tuſcia omnis paret Florentinis 75
Tuſcia turbatur 427
Tyrannis Florentiæ ſtabilita 174
Tyranni triginta in Italia 13

V

V*Adenſis arx recuperata* 340
Valamir Gothorū Rex Hunnos profligat 4
Valentinianus Imp. Romani Imper. ſedem transfert 4
Vandali ex Hiſpania eiecti 3
Ubaldus Ruffolus primus vexilifer iuſtitiæ Florent. 71
Ubertorum familia Florentiæ 59
Venetæ Reipubl. fatum 320
Venetæ urbis origo & hiſtoria 40. 41
Venetia extructa 7
Venetia provincia Italiæ 41
Veneti à Florentinis amicitiam petunt 261. *à Germanis caſi* 459. *bellum Ferrarienſe parant* 442. *Bononienſes furtim occupant* 333. *Breſciam adipiſcuntur* 198. *cum comite contendunt de Pado traiiciendo* 252. *cum duce Mediolanenſ. clam tranſigunt* 447. *cum Florētinis fœdus ineunt* 196. *cum Maſtino bellum gerunt* 102

cum Sforcia paciſcuntur 320. duci Mediolanenſi bellum movent 335. Florentinis auxilia denegant 425. Florentinos bellum petunt ab exulibus concitati 384. Florentinos omnes eiiciunt 333. Galipolim occupant 449. municipiis variis exuuntur 261. occupant Veronam 49. Pontificis edictū contemnunt 445. provinciis inhiant 312. Sforcia deſerto cū Mediolanenſibus tranſigunt 325. ſuperbia inflati aliorum auxilia ſpernunt 260. ſuſpicaces 295

Venetorum ambitio 257. clades inaudita à Sforcia illata 318. claſſis profligata 268. claſſis profligata a fœderatis 446. cum Turcis pax 429. expoſtulatio apud Florentinos 332. faſtus 42. cum Bononienſib. 305. immane odium in Florentinos 334. iis in Ferrarienſem urbem 441. potentia Pontificibus noxia 445. reſponſum legato Florentino datum ob ſtipendium comiti ſolvendum 254. ſuperbia Mediolanenſibus invisa 317

Veri Medicei continentia & conſtantia 172. 173. eius oratio pro civibus oppreſſis ibid.

Verona à comite Franciſco liberata 267. a Piccinino occupata 271. à Venetis occupata 49. recuperata à Franciſco comite 272

Veronæ urbis ſitus 270

Veronenſis ager vaſtatus 446

Verus Cerchius 76. 79

Veſpera Siculæ 34

Veſtrogothorum ſedes 2

Vexilla Aſſium Florentiæ 62

Vexillifer iuſticiæ in urbe Florentia 91

Vexillum primarium plauſtro vectum 62

Vexillum Sedis Pontificis Guelphi obtinent 65

Victorum inſolentia 102

Vidua comitis Hieronymi reſponſum 460

Vicentini in Venetorum clientelam veniunt 49

Viſcontiorum familia 37

Vitiges Gothorum rex 2

Volaterra recuperatur à Florentinis 202

Volaterrani à Florentinis deficiunt 201. à Florentinis ſubacti 63. deditione à Florentinis recepti 398. ob exactionem indignantur 199

Volaterranorum defectio 395

Vortigernus rex Anglorum 3

Urbanus II. Pontif. Roman. 23

Urbanus IV. Pontif. Roman. 32

Urbanus V. Pontifex Rom. 46

Urbanus VI. Pontif. Rom. 46

Urbes à Florentinis domitæ 179

Urbis Lucæ defendendæ ratio 248

Urbium quæ Rerumpublicarum nomine gubernatur ſtatus 180

Urna in magiſtratib. creandis 94

Urſinorum cum Columnenſibus contentio 448. 449

Urſinorum familia Romæ incipit florere 35

Uzanum caſtrum à Florentinis obſeſſum 250

Z

Zagonara deditio 186

Zanobius Belſratellius obtruncatur 237

Zanobii Pinii proditorius animus 194

Zemum Veronenſium caſtrū 268

Zenonis vicus 270

FINIS.